This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

839.88
R84d

DELICIÆ QUORUNDAM POËTARUM DANORUM

COLLECTÆ

ET IN

II. TOMOS

DIVISÆ

A

FRIDERICO ROSTGAARD.

TOMUS SECUNDUS.

Erdmann Wilhelm Ferber.

Donum Freytagii Jct. Amici ? vet. acad.

LUGDUNI BATAVORUM.

Apud JORDANUM LUCHTMANS.

MDCXCIII.

VITI BERINGII

In ſupremo Tribunali & Ærario Regio Aſſeſſoris, Hiſtoriographi Regii & Profeſſoris

CARMINA.

383227

VITA BERINGII.

Quæ in BERINGIO *noſtro eruditus Orbis amavit ac ſuſpexit, ipſe, quo ſolitus erat calamo, id eſt, facundo & venuſto, utut in propriis laudibus parciſſimo, adumbravit. Exſtant ea in Programmate Academico ſub Rectoris Magnifici* OLAI BORRICHII *nomine edito, conſcripto autem à* WILHELMO WORMIO, *tunc temporis in Academia Hafnienſi Medicinæ Profeſſore Regio, & Academiæ Secretario, nunc in ſumma Themidos Curia Juſtitiario & ſacræ Regiæ Majeſtatis Daniæ & Norvegiæ Conſiliario Status, Juſtitiæ & Cancellariæ, Hiſtoriographo & Bibliothecario.*

Qualis autem quantuſque fuerit (*de Beringio loquitur Wormius*) omni dum advocato apparatu oſtendere laboramus, ipſe ſe nobis explicat totum, & quæcunque de ſe ſciri voluit, vel ut omnes aſſentationum colores effugeret, vel ne in viventium invidiam mortuus nimium prædicaretur, non minori modeſtiæ quàm divinæ facundiæ laude in ſuis titulis conſignata à ſe ipſo diſcenda proponit, quæ quidem licet, magni literarum Genii

affectuoſo in Patriæ eruditionis gloriam ſtudio, doctis extracta ſcriniis jam ante in publico videri legique meruerint, ut tamen fuſcæ, quas atteximus, laciniæ, ab aureâ dictionis purpurâ aliquem mutuentur ſplendorem, pace ſanctiſſimorum Manium, hic advocare nimiùm fortè audaces ſuſtinuimus.

„Patriam Wiburgum habuit, clarum in Cimbris oppidum, ortus Conſulari Patre, haud obſcuri inter ſuos nominis, cujus curâ traditus puer in Scholam, & ad capeſſendum ingenii cultum permiſſus Præceptoribus, ſpatia in literis, qualia rudior fert ætas, & prima ſtudiorum curricula confecit. Anno ætatis octavo & decimo, [qui à Christo nato MDCXXXV. erat] Hafniam nactus diſciplinarum Magiſtram, dedit Academiæ Civem; in quâ ut auſpicatiſſimè ingrederetur ſtudia, ire primùm cœpit per fidei Chriſtianæ capita, & divini juris audire interpretes; mox circumferre per eas artes animum, quæ liberale nactæ nomen, haud illiberalius ferè ingenium requirunt. In hoc ſtadio agnitus eſt à TYCHONE BRAHÆO, & moderator aſcitus filiolo, quem inter Brochmannianas ædes, ingens illud pietatis & Muſarum ſacrarium, cum pleriſque magnarum domuum pignoribus tum forte degentem, literarum primordia edoceret. Feliciſſimè id quidem, ut ſpargere ſtudiorum & capere ſimul fructus poſſet, & dum experiretur in alterius informatione ingenioli vires, effingere viciſſim ac expolire ſuas. Ab hâc Scholâ digreſſus ad exteros, Anni MDCXXXIX. adulto jam vere, tenuit Belgium, ubi Cadzium, Heinſium, Barlæum nactus, impetum cepit condendi Epigrammatis. Crederes in Parnaſſum aliquem aut Heli-

„cona

„ cona delatum, tanto cœpit impetu ingenii, aut, ſi
„ quis eſt, literati furoris impulſu, modulari car-
„ men, & aptare ad numeros ſermonem; leges ſe-
„ cutus, unas illas in libera Republica non liberas,
„ quas ſibi in hoc ſtudiorum campo, magni illi lite-
„ rarum Antiſtites præfigebant. *Sed & hoc fortè*
„ liberius aliquantò, quàm uſus ferret Patriæ, cui
„ parare Civem, non Vatem debebat. Quocirca,
„ omiſſis ſtudiorum deliciis, extulit ad ſeveriora
„ animum: & ducibus cœpit, hinc Voſſio, inde
„ Boxhornio, raptare ingenium per veterum hi-
„ ſtorias, aliquando etiam ad cultum deflectere
„ Orationis. Hæc agentem Bartholini fratres ab-
„ traxere in Galliam, eodem parantes abitionem:
„ Nec noluit ſequi jubentes, non tam vitæ duces,
„ quàm ſtudiorum moderatores. Ac inter hos
„ egit ætatem in beato Galliæ & Naturæ amœnio-
„ ris ſeceſſu, ob repentini carminis gratiam mirifi-
„ cè conciliatus Grotio, donec ab Heroë TOT-
„ TIO revocaretur in Patriam, ad regendam fili
„ ætatem, *&* capeſſendam ad exteros peregrina-
„ tionem. Venit, ſuſcepit nobilem Ephebum, &,
„ poſt brevem Soræ ſeceſſum, rediit in Belgium,
„ reſalutatis diſciplinarum ductoribus, & repetito
„ uſu ſtudiorum, ac priſtinæ felicitatis. Inde rur-
„ ſus in Galliam, eâque inſeſſâ biennii, & quod
„ excurrit, ſpatio, per mare Liguſticum in Ita-
„ liam trajecit. Seſquiannum dedit Romæ, nec
„ nihil Hetruriæ urbibus, neceſſarium ſpatium
„ Nobilis alumni uſibus, aſueſcentis diſciplinæ
„ armorum, & inter utriuſque palæſtræ medita-
„ tiones, firmantis ingenii & membrorum vires:
„ quo temporis flexu ob magnitudinem ingenii
„ Kircherum coluit, & Stradam conſuluit in ſtu-
„ diis, alterum judicem & Myſtam Naturæ; Ora-
A 3 „ to

„ torem alterum, & fati Belgici Præconem. Poſt „ hos dicere de Puteano Equite ſerum forſan fuerit, qui ad Danum omne nomen porrectâ benignitate, non plures vidit ex gente noſtrâ, quam „ devinxit meritis, non Equitis jam, non hominis nomen, ſed humanitatis. Supra Romam „ Campania erat, & quicquid in Bajis Puteolaniſque receſſibus prodigioſum aperit aut condit „ natura, quibus cum pleræque Italiæ ambitu „ obitis coràm aut luſtratis, fixit Patavii ſedem, „ ſubſtititque per annum, Ferrarii in literis Magiſterio & informatione uſus. Rhodium convenit „ gentilitatis jure, & in peregrino ſolo ſonantes „ Patriæ Muſas publico carmine celebravit. Digreſſus eſt ab Italia per Inſubres, & tranſcurſis Alpibus in Helvetiorum deſcendit pagos; „ inde Argentinam deflèxit, & Boeclero dedit „ operam, acerrimo ſtudiorum Concitatori. Obivit pleramque Germaniam, ardentem licet in „ ſinu, & omnia attonantem bello: ſuſpexit in „ itinere imperii caput, & Auſtriacæ domus ad „ ſummum rerum apicem provectam fortunam. „ publicâ proſequutus eſt ſcriptione, quæ paſſim „ per orbem benignos reppeit Interpretes, & ex „ aulâ Cæſareâ novæ dignitatis prolicuit ſplendorem, haud inglorium ſcriptori, ni domeſticæ „ fortùnæ memor, Auguſtæ clementiæ agnoſcere „ maluiſſet pignus, quàm circumdare ſibi, & ex „ alienâ benignitate nil propriæ indulgere ambitioni. In Gallias digreſſus eſt tertiâ jam vice, „ capeſſito per Lotharingos itinere, inde per Arteſios & Flandros in Patriam, juſſus ſuperiorum auctoritate docere publicè Poëſin, novo „ munere, nec jam tum uſitato Academiæ: & „ habuit diſputationem præſente Rege, qui pri-

„ mus

„ mus inter Danorum Principes & primâ tum
„ vice ingreſſus Doctorum ſubſellia, ſæpius ſub-
„ inde, quo eſt in literas amore, ad ſtudia publica
„ demiſit Majeſtatem, & choros ac adyta Muſarum
„ ingentior ipſe hoſpes implevit. Vocatus eſt ab
„ hâc diſputatione ad Soranam Cathedram, & hi-
„ ſtoriæ tradendæ profeſſionem; ſubiitque pro-
„ vinciam, ſed non diuturnam. Publicè docen-
„ tem avocavit T. TOTTIUS, oſtentatâ Scaniâ,
„ & benigno ad Muſas ſeceſſu; & ne non effica-
„ ciſſimè ſuaderet, magnificâ domo, parum infra
„ palatii cultum, ubi quod juſſus nuper à Rege
„ fuerat, condere in otio poſſet annales populi
„ ſui, & quicquid Majores indictum in hiſtoria
„ poſterorum indagini reliquerunt. Inſedit ergo
„ amœniſſimos penates, novum peculium & Re-
„ gis benignitate tranſiturum ad poſteros, quum
„ miſcuit ſeſe rebus bellorum turbo, & terram
„ ſubtraxit ſub pedibus, quam turbatâ poſſeſſio-
„ ne provinciæ, [ut ſunt in humanis vices rerum
„ ac orbes] in novos Dominos transfudit. Ergo
„ in Patriâ jam ſuâ, ſed id parum, domi etiam ſuæ
„ peregrinus, diſcerpebatur in partes, & novus
„ propemodum Geryon, obſequio ad alios, ad
„ alios incolatu pertinebat. Favit apud ſe habitan-
„ ti CAROLUS, & liberale obtulit ſtipendium,
„ in fide novi dominatus & clientelâ manſuro.
„ Cæterùm cum cedendum alterutro eſſet, carere
„ domicilio quàm Patriâ maluit, & Hafniam for-
„ tunas ac familiam deportavit, imminutus domo,
„ & quod dolentius, uxore, lectiſſimâ fœminâ &
„ intra luſtrum quinquies parente. Quem hodie
„ luctum novi matrimonii felicitate detergit. An-
„ no MDCLXI. in cœtu & conceſſu publico juſ-
„ ſus eſt aſſidere inter Conſiliarios ærarii: in quâ

„ functione muneris, quoties id ferunt negotia, ſe „ ſurripit Muſis, ut vacet muneri, in quo collo- „ cavit ætatem, & non illiterato otio poſteritatis „ notitiam mereatur. Amplo nuper opere deſcri- „ pſit Patriæ fatum, & quæ, durante ad Hafniam „ obſidione, per ſeptentrionem ferè omnem ad „ memoriam illuſtria contigére. Graditur nunc „ per antiquos faſtos, & Majorum labores, ut „ gentis ſuæ incunabula, & ex ultimâ vetuſtate „ repetitam ſeculorum memoriam exponat. Miſit „ non pauca in commentarios, nondum paſſa ſu- „ premam manum, quæ feſtinationi & tranſcur- „ ſui negata, ſolâ laboris pertinaciâ perficiuntur. „ Nec quicquam illi deſtinatius, quàm explicari „ hoc negotio & defungi opere. Enitetur ſpatium „ id omne, ni aliò adverterint Superiorum juſſa, „ & intra temporis haud longiſſimi flexum, aut „ finem vitæ, aut operi coronidem imponet.

Pergit paucis interjectis Wormius *& de ſupremis beati noſtri in hunc modum diſſerit*: Ad illa (æterna) pervenit die XX Maji, poſtquam Annos LVII, Menſes VII, Dies XV terris ſe indulſiſſet. Sed nec minus in hoc tranſitu, cujus ſola exſpectatio etiam ſublimes aliquando concutit animas, mirabilem ſe præſtitit, quàm in omni vitâ ſine exemplo fuit. Dubiæ Medicorum, ex conſilio, ſpem metumque ſimulantium voces, tantum abfuit ut ad extrema properantem triſtius afficerent, ut, illis excitatus potius, animæ ſuæ diu optatam gratularetur libertatem, quæ toto tempore, quo ægro coërcebatur corpore, id doluit maximè, quod tam humiliter ſerviret. Provocamus nos, quibus morienti adſtitiſſe contigit, & ultimas excipere voces, pietatis erga Deum, venerationis & gaudii ad aſpectum Sacerdotis Dei, erga Con-

jugem, fratrem, liberos, & amicos humanitatis, cum obſequii & beneficiorum recordatione, pleniſſimas, provocamus inquam, è Stoâ omnes, & quotquot unquam fortiter dixerunt, & quærimus, ita ne mori audeant? Etenim defunctæ jam ſuo officio manus pedeſque ceſſabant mentis imperio obſequi, lividus vultum infecerat color, proſtabat genis frigidi ſudoris glacies, & jam in ſe retractos deſtituere cœperat oculos fulgor, quando, ultimo conatu, non ingemuit, ſed nobile cecinit carmen, ut in vitâ; ſic in morte divinus Olor, factus carminis ipſe argumentum, quo mortale nihil à ſe alienum eſſe, mori ſe eâ fortitudine, eâ ſpe, eâ fiduciâ, profeſſus eſt, quâ ſemper vixerat & quæ Virum decet. Nullæ ſollicitudines angebant animum, nullus horror nec metus, & ne dubitans quidem ad hunc Rubiconem ſtetit, tranſiit enim intrepidus, planè eâ facie quâ ad lætiſſimi aliàs nuntii renidere ſolebat gaudia, ſciens utpote quò abiret, nec incertus quid ſibi poſthac fieret, qui rectè vivendo id egerat ſemper, ne moriturus diu hæreret.

Scriptorum ipſius, præter carmina, quæ hic damus, brevem catalogum ſubnectimus, licet nonnulla eorundem necdum videre contigerit.

1. *Fortuna* Auſtriacæ *Domus ad ſupremum culmen evectæ. Argentorati & Patavii* 1648. *fol.*
2. *Natalitia* FRIDERICÆ AMALIÆ, *vario carmine, Lyrici imprimis genere adumbrata. Hafniæ* 1649. *fol.* quod carmen nondum reperire potuimus.
3. *De artis* Poëticæ *natura & conſtitutione Diſputatio, reſpondente Olao Borrichio. Hafniæ* 1650. 4*to.*

4. *De* Hiſtoria *Oratio habita Soræ* 1651. *fol.*

5. *Carmen gratulatorium Principi Danorum* CHRISTIANO *dictum. Hafniæ* 1654. quod neque vidiſſe adhuc licuit.

6. *Memoriæ & æternitati* FRIDERICI *III. Daniæ Norvegiæ Regis nuper in terris, nunc in cælis glorioſi. Hafn.* 1670. *fol.*

7. CHRISTIANO QUINTO *Regna ſupremi juris hæreditate ſuſcipienti. Hafniæ* 1670. *fol.*

8. Obſidionis Hafnienſis *Hiſtorica deſcriptio, quæ poſt mortem ipſius Anno* 1676. *prodiit in* 4*to.*

9. Hiſtoriam Belli Dano-Suecici, *quæ nomen* Oroſii Annilonis *præ ſe fert, a* Beringio *noſtro conſcriptam eſſe, ſunt qui exiſtiment, moti forte ipſa forma vocum* Oroſii *&* Annilonis, *quibus ingenioſe involutum nomen* BERINGII *cenſent, &* Oroſium *quidem Latinis Montem Danis* Bjerg / Annilonem *vero, leviter flexo vocabulo, annulum, Danicè* Ring *ſignificare, utrumque ſimul ſumtum* Bierg-Ring *vel* Bering *efficere.*

10. *Quin & ex ipſius verbis ſupra allatis patet illum* Patriæ Hiſtoriam *juſto volumine concinnaſſe, de quo Opere in Programmate nuper citato Illuſtris Wormius* Inter hæc, *ait*, majoribus ſe curis applicuit, utque, quam ſingulis quotidie præſtabat, operam, nunc Epigrammate, nunc elogio, nunc titulo, nunc aliis ingenii ludis, quos Amicitiæ gratis & ſæpe etiam importunè iis ſolent extorquere, qui ſemel ſe aliquid feliciter meditari potuiſſe oſtenderunt, univerſæ Patriæ fructuoſius locaret, Gentis ſuæ Annales condere cœpit, magnarúmque rerum conſilia, Regum &

He-

Heroum actus cum temporum ac locorum ordine ac deſcriptione, ab ipſis Imperii initiis ad hanc uſque ætatem mira ſolertia conquiſita, fide planè incorruptâ, expoſuit, oſtenditque, ex una ſtirpe Regale Genus nullis longiſſimi temporis vel laſſatum moris, vel, quod cæterorum Regum fatum fuit, continuo ſeculorum attritu defectum exaruiſſe, ſed ultra ſex & viginti ſecula clariſſimam natalium virgam deduxiſſe, innumera lauro decoram, ſemper imperantem. Quæ omnia magna proſequutus eſt Majeſtate, eo ſcribendi genere, quod ſuum plane erat, id eſt, magnificum. *Quod quidem Opus nec dum lucem publicam aſpexit.*

Mittimus complures Ejuſdem Inſcriptiones, *queis illuſtriores cippos & ſarcophagos inſignivit; quæ una cum ipſis mortuis ſepulcrum ſubiere.*

Videatur quoque, ſi placet, Olai Borrichii *in Ejuſdem* Poëmata *Encomium, quod in Diſſertatione* de Poëtis Danis, *in frontiſpicio prioris Tomi poſita, reperies.*

Sed & bene meriturum me confido, ſi Epigramma Nobiliſſimi PAULI VINDINGII *Regii in Cancellaria Danica Conſiliarii & in Academia Hafnienſi Profeſſoris, quod Effigiem* BERINGII *noſtri illuſtrat, ſubjunxero:*

Stringitur exili facies Divina Metallo,
  Depoſitoque ſtupent æra animoſa ſuo,
Quô cinis Heroum ſpirat, quô vindice cunis
  Buſta renaſcuntur floridiora ſuis.
Roſcida fatalem diſcuſſit Suada Beringi
  Occaſum, & ſenii debilioris opus.
Ille Senem Smyrnæ Latiali provocat ore.
  Ille tuum ſuperat, Mantua docta, Deum.

Hoc ore abſtruſum, quicquid Verona recenſet,
Quicquid habet Calaber, quicquid Iberus amat.
Tu nil Zeuxi: ſuo faciem ſic carmine pinxit,
Ut metuat fœdam ſordida blatta famem.
Anno 1675. P. Vindingius.

Tandem lubet duplicem erecto Marmori inſculptam inſcriptionem *apponere, quam in Templo Divæ Virginis Hafnienſis calamo excepi*:

(1)

Io Fama
Reſolve ora,
Et, poſtquam ſiluerit Beringius,
Tu loquere:
Redde tanto Præconi vices,
Et, poſtquam ceſſârit ille,
Repone tuas.
Qui,
Vox, dum viveret, & eloquium ſeculi ſui,
E media Cimbria eductus
Provexit Muſas,
Et,
Quicquid Bolus vel Alaricus in Romanam peccârunt eloquentiam,
Redonavit Orbi.
Viburgo Cimbrorum orta hæc virtus
Circumtulit per longiſſimas peregrinationes juventutem,
Et nota ſummis per orbem ingeniis,
Ac par maximis,
Poſt geminam in utraque Patriæ Academia functionem,
Adlecta eſt Aulæ,
Inque Ærario
Aſſeſſoriam quam vocant dignitatem,

Mox

Mox
In Supremo dicundi juris Tribunali
Supremum togatæ felicitatis ſplendorem
Nactus
Læta animi ſublimitate
In Exemplum omnis ævi ſuffectura.
Inter quas functiones
Adjecit,
Quod rarum,
Aperto eloquio Carminis adſtricti gratiam,
Quâ
Ita peregrinas per orbem poteſtates,
Hinc Cæſaream, inde Galliarum Regem
Permulſit,
Ut alter Juveni & adhuc peregrinanti
Palatinos offerret honores,
Alter pretium illud,
Quod magnis per orbem ingeniis,
Novo ſed illuſtri invento,
Galliarum munificentia decernit.
Et vero
Poſt hos honores
Silet demum beata, lingua,
Et illas in ore gratias
Surripit Orbi;
Hocque monumento conditur,
Qui ubique
Etiam in Patria Hiſtoria
Viva exhibet monumenta,
Et Faſtigia functionum
Vitæ ſanctitate
Adæquavit.

(2)

VITUS BERING

Hîc Beatam exſpectat ἀνάςαςιν:
Patria illi Cimbria,
Parens Viburgenſis Conſul,
Ingenium ardens, amœnum, & ad ſumma natum,
Quo etiam meruit
A ſummis Europæ Principibus
Romano Imperatore, Danorum, Gallorum, Suecorumque Auguſtis
Prolixè amari.
Poſt oſtentatam exteris lucem ſuam,
In Patrio Lyceo primum Poëſeos conſtituitur
Profeſſor,
Hinc in Sorano Hiſtoriarum,
Tandem Hiſtoricus Regius,
Et poſtea ſimul
Ærarii, Summique juſtitiæ Fori
Aſſeſſor,
Par officiis,
A ſeculi labe immunis.
Duplex ei conjugium,
Utrumque prole felix.
Opera ſeculum omne intrabunt.
Anima cœlos habitat,
Quam Deo ſuo reddidit
XX Maij Anni MDCLXXV,
Nondum plane ſexagenarius.

Et hæc de vita Beringii ſufficiant.

VI.

VITI BERINGII CARMINA VARIA.

IN OBITUM. (1)

Perilluſtris & incomparabilis Herois HOLIGERI ROSENKRANTZII.

1642.

Non hæc ô Superi mors eſt, ſed publica clades;
  Arctoa hoc diro funere Cirrha cadit:
HOLGERO moriente ſtupent Lebethrides un-
  Atque Heliconiacæ conticuere Deæ: (dæ,
Turgida preſſerunt grandes Oracula Delphi,
  Cortinæque gravem dedidicere fidem,
Ipſa ſuum Pallas ſpectat viduata cadaver,
  Et gemit ad Clarios præfica mœſta rogos;
Quaque jacent cineres, Phœbus tumulatur in
  Et duplicis Sophiæ degravat oſſa lapis! (urna,
Ergo etiam in ductos morti peccare licebit,
  Ergo etiam Divos trux Libitina necat?
Nec juvat Auſonias pandens induſtria portas,
  Atque ora in Grajos ſollicitata ſonos:
Nec fandi torrens, viſque imperioſa palati,
  Linguaque, ſed poſthac non habitura parem.
Nec pulſans legum dubias prudentia tricas,
  Et latè abſtruſo jura profunda ſinu.
Denique nec quicquid jactat grandæva vetuſtas,
  Atque penu Tempe prodigioſa fovent.
Sed non tota tui ſub terras ibit imago, I
  Magne Heros, aliqua parte ſuperſtes eris.

Undi-

Undique, quà gremio mundum natura capaci
  Continet, & mediis machina ſtertit aquis.
Immenſum ſpatium pulſantibus increpet alis
  Gloria, & æterno remige fama fluet;
Pro centum trabeis, pro Dani parte Senatus
  Dicére Aonidum ſceptra tuliſſe gregis.
Diſcite Terrarum Proceres, quo more paretur,
  Nomen, & à tumulo continuetur honos;
Non hoc millena diducti gente tribules,
  Non hoc patricia purpura nata domo,
Divitiæque dabunt, perituraque lamina glebæ,
  Et Dîs fœtenti maſſa ſepulta luto.
Sed Muſis ſatiata quies, mens anxia Phœbi,
  Plectraque Pieridum principe ſumpta manu.
Plenum animi pectus, fulti gravitate calores
  Et ſine fortuna ſufficiente ſibi:
HOLIGER & Crœſus juncta condantur in urna,
  Plus habet hic mundi, plus habet ille ſui.

---

(2) IN

OLAUM WORMIUM.

Poſt reſtauratam literaturam Runicam.

Invenitur initio Monumentorum ejuſdem Danicorum. 1643.

Merſerat extinctas ſeclorum injuria RUNAS,
  Et ſpolium ignavi temporis Arctos erat:
DANICA in obſcuro ſtabant monumenta receſſu,
  Putria & æterno deſidioſa luto.
Tantum argilla tenax, & toto marmore rugæ
  Antiquum poterant reſtituiſſe chaos:
En jacet, & tuguri veſtitum ceſpite ſaxum
  Merſit ad emeritam naufraga buſta domum:

Car-

Cardine truſa nota eſt, liquere cubilia voces,
Ipſaque pars minima eſt litera foſſa ſui.
Tot tenebras WORMI, Boreæ celeberrime vin-
Diſcutis & longo ſecla ſepulta ſitu, (dex,
Lapſaque reſtauras damnati fruſta feretri,
Et ſuppoſta ſuis fulcra inimica rogis:
Exſeruere caput, quæ mordax ſorpſerat ætas,
Et ſeclum linguæ vincula laxat anus.
Hoc Cornu, hi Cippi, Lapides, quæque inſita
Vibrat Amazonia tela puella manu, (chartæ
Rurſus ad extinctæ revocantur lumina formæ,
Et mors devictas excubat ante fores.
Livor edax rerum victrixque ſuperbia ſecli
Ingenio potuit ſuccubuiſſe Tuo.
Molliter ite Dani, doctam calcamus arenam,
Quam premimus poterit proxima gleba loqui.
Clauſtra aperit non nota labor, cinereſque per
It cura, & varias ignea pandit opes. (ipſos
Veſtigat mens docta fores, patet omnis eunti
Trames, & ingentes explicat illa ſinus;
Felices doctorum animæ! queis ſæpè pependit
Indelaſſatâ pagina feſſa manu.
Dum ſeclum eruitis tenebris. Vos poſthuma merces
Fama triumphali pandet ad aſtra face.
Tolle decus WORMI! Tibi docto pulvere vivax
Laus venit, in mortis non abitura vices.
Non tibi Cirrha ſat eſt, non Coi vaſta papyrus,
Aut Arabum quicquid compoſuere Scholæ,
Fertur in arcanos ævi vis celſa labores,
Quæque per æternas obriguere neces.
Deſinite Hippoliti manes tellure renatos
Grajum mendaces obſtupuiſſe tubæ!
Nos jam quaſſati, ſenio frendente, ſepulchri
Nos rerum & ſecli pallida ſceptra damus;

At

At tu ſi patrias non neſcis Dania laudes:
Saxa tamen laudes nec peritura ſonant.

(3) Nobili fratrum Sobrinorum Pari

HENRICO FUIREN, & THOMÆ BARTHOLINO,

De ſummis in Medicina honoribus. 1646.

Mentiri neſcit, vivaxque ab origine ſanguis
Pullulat, atque ortus ſtat memor uſque ſui:
Parva aquilæ proles, patrio vix hoſpita nido,
Erecto Soles incipit ore pati;
Jamque ſitum plumarum, & ſegni ambage morantis
Tempora naturæ deſidioſa gemit;
Candentemque polum & patriæ veſtigia pennæ
Ardet, & aëreas ſpirat anhela vias;
Libera mox, cunarum oblita, & neſcia terræ,
Sublimes properat ſollicitare plagas;
Exſuperare Notos, cœlos & ſydera contra
Proruere & ſolio cominus ire Jovis;
Denique flammiferis gravidata tonitrua nimbis
Fundit, & ignivomo fulgura cocta ſinu,
Fulminibuſque Deos, & hiulci Sulphuris igne
Armat & infeſtis numina rauca minis:
Interea terras radunt ignobile Vulgus,
Pigraque percuſſam penna flagellat humum;
Seu ſpuria ignavæ gens innutrita paludi
Aſtra repercuſſis non niſi cernit aquis.
Silicet ingenium, & mores furata paternos,
Seminaque hæredi continuanda domo.
[illegible] mulget pueris primos natura per hauſtus
[illegible]llo natali non operoſa parens:

Hinc

Hinc dos ſponte bibit, ſtimuloſque impellit avi-
Et genus in faciles diditur inde manus; (tos,
Quique prius venam patriam, & præcordia coxit
Per teneras fibras currit & oſſa calor,
Denique quo fontes labuntur flumine rivi
Et docilis patria Najade reptat ager.

Te loquor, æternæ renovatrix magna juventæ,
Innumeræ ſtirpis pignore fœta parens,
FINCHIA progenies, Muſarum vaſta propago,
Doctorum cunis prodigioſa domus:
Tot reptata animis felicibus: una Trionum,
Unaque Parrhaſiæ Palladis alma penus:
Tuque ſerenati, cui ridet gratia cœli,
Candidaque illimi ſidera nube vacant,
Fortunate Senex; en felix aſpice germen,
Nec jam penè capax ſe numerare genus;
Aſpice fœcundas ſpatioſo ſtemmate ceras,
Aſpice in æternos pignora fuſa tribus:
Pars patrias implent ingenti voce cathedras,
Atque obeunt doctæ munia prima togæ,
Muſarum emeriti Heroës, ſecuraque famæ
Nomina, & Arctois ſidera celſa plagis:
Pars alia externos latè ſpatiata per axes,
Nil per inexpertæ laudis & orbis iter,
Per mare, per terras, per quicquid denique ubi-
Ingenii quæſtum nobilioris opes; (que eſt,
Undique qua vaſto lunantur marmora dorſo,
Et canâ obſeſſus vapulat Orbis aquâ,
Pone tuam viſunt præeuntem pignora famam,
Et, tua qua pridem gloria, ſanguis abit:
Jamque iterum docto adplaudit *Baſilea* lycæo,
Et procul ingeminant feſta Theatra ſonos:
Illa tuis olim multum geſtata capillis
Vivida Phœbeæ laurus honore comæ

Pro-

Protrudit foecunda botros, numeroſaque ſpargens
Brachia ſanguineis frondibus alta tumet,
Stant gemini, fremitumque merent, plauſumque
Et patrias animo ſpirat uterque faces. (nepotes,

Hinc: veterem ambroſio verſans ſub corde FU-
Junior, hæredes jactat ab ore nives (RENUM
Candorem generis profeſſus & invia fraudi
Pectora & Albenti lumina vincta fide.
Nil perſonatum huic genti: ſtat conſcius ore,
Qui mentes niveo ſufficit igne, color,
Hic omnes Charitum poſuere cubilia amores,
Hos habitat junctim Gratia trina lares:
Accipe jam dudum meritos, FURENE, corym-
Accipe Palladios fronde comante ſtolos: (bos,
Quos animus rerum excubitor, atque impiger
Quos indefeſſæ lucis avara dies, (ardor,
Quos tibi cura, & torrentis mens ſobria ſecli,
Et vigil ingenii promeruere labor;
Sive per Oenotriæ graderis monumenta Mi-
Et reſeras nigros ſcrinia merſa ſpecus; (nervæ,
Sive Machaonias mens eſt pervolvere chartas,
Quæque Podalirii continet arca ſenis;
Seu populatores morbos, funeſtaque vitæ
Agmina, & humano monſtra inimica gregi,
Et facilem noſtri occaſum ſcrutaris, & ortum,
Et varias fato percutiente vias;
Dum Borea, Patriaque domo ſpontaneus exul
Perſequeris longæ maſcula vota fugæ;
Qua ſerva Adriacas adlambunt æquora terras,
Atque habitat docto Pallas Etruſca Pado:
Denique anhelanti quicquid tibi pectore virtus
Suggerit, & Clario vivida corda Deo,
Dum geminare tuæ properans præconia ſtirpis
Erigis ad Patrium nomina nota polum:

Hoc

Hoc tandem pretio doctos mercamur honores,
Velat & ambitum Palladis umbra caput,
Hac ſe dote libens cervici palma maritat,
Lambit & undantes laurus opaca genas:
Linque Ariadnæos cœlo delapſa capillos,
Ut clarias decores Gnoſſa corolla comas.

Illinc: quem ingentes jam nunc teſtata decores,
Non humilis cœpti ſtrenua vota vocant.
BARTHLINUS: tanti menſuram nominis im-
Et Patrio ſpirans pectora cocta foco: (plens,
Jam pridem ingenii raptus plaudentibus alis
Feſtinat magnis mentibus ire comes:
Acer & auſpiciis decus immortale procatus
Calcatum excelſis curſibus urget iter,
Omnis adhuc juvenis, deſudat arundo, labori,
Et caſtigatis fervida præla typis,
Quæ latè plauſum docti meruere theatri,
Et famam ab longa poſteritate ferent.
Ite leves animæ, depreſſaque corda veterno,
Ite ſoporato pectora vincta gelu,
Accuſate fugam horarum, fraudemque diei,
Temporaque inſido depruperata pede,
Invidiaque onerate Deos, & lucis avara
Sidera, feſtinis inſidioſa rotis?
Non nos hora fugit; nos horis addimus alas,
Nos terimus cunctas contrahimuſque moras!
Dum noſtri immemores hebetant oblivia mentes,
Lentaque deſidiæ ſerpit in oſſa lues;
Dum nos uda trahit ſtrepero vindemia thyrſo,
Et ſpumat bibulum crapula longa diem;
Dum mentes in corde furens emaſculat æſtus,
Et funeſta nocens pectora cancer edit,
Turbida dum cæca gliſcunt præcordia peſte,
Et ſibi nos diræ proſtituere canes;

Denique quicquid id eſt, dominum quo noxia du-
Fallaci impellit proditione caro: (ctrix
Interea juſſas pertexunt ſecula metas
Horaque propoſitum ſtrenua raptat iter;
Mox cani incumbunt & fex ingrata ſenectæ,
Jamque vagæ ſerpunt per caput omne nives;
Dum vitæ ver eſt, & adhuc natura puella
Indelibatas prodiga fundit opes;
Tum caſtigati ſomni, frugique ſopores,
Et mens Seclorum cauta præire dolos,
Prædam præripient, utcunque rapacibus annis,
Ævi velocem fallere docta fugam;
Tunc juvat erecto mentem exſeruiſſe vigore,
Et rebus fidas adplicuiſſe manus.
Surge triumphatæ victor generoſe juventæ (ras;
BARTHLINE, ô cunctas rumpere digne mo-
Invidiaque abſolve Deos, atque exſere mundo
Tot monumenta animi non moritura tui;
Seu Latios Proceres, & culti flumina ſecli,
Seu Grajas mens eſt ſollicitare tubas;
Seu referas multa naturam ambage latentem,
Et ſubit obſcuros explicuiſſe ſinus;
Seu primos cœli hauſtus, atque exordia vitæ,
Sacraque natali Relligioſa die;
Seu juvat infeſtos, examina pallida, morbos,
Turbaque, quæ miſeram plurima acerbat hu-
(mum;
Sive ſalutares contra depromere ſuccos,
Et media inviſas pellere nata lues;
Staminaque, & vellus fatalibus addere fuſis,
Et fato doctas oppoſuiſſe moras; (affers,
Seu, tibi quod proprium eſt, lucem mortalibus
Et clarum exſertas, clarior ipſe, jubar;
Seu vindex læſi te provocat ira Parentis,
Atque laceſſita corripis arma manu;

De-

Denique quicquid agis, quas te doctrina per artes
Ingenii prona dexteritate rapit,
Sponte redundantem ſpirant præcordia Phœbum,
Nec tibi ſecreta Numina voce tonant:
Currite Io rapidis torrentia ſecla quadrigis,
Feſtinas anni præcipitare rotas;
Menſuram vitæ explevit BARTHLINUS; & unum,
Tempora, neſcitis, hora, dieſque, ſequi:
At Tu, quid facies olim inter ſidera mixtus,
Qui modo ſidereas vincis in orbe fugas?

Pariſiis 1646.

DOMINO (4)

THOMÆ BARTHOLINO

Paternæ laudis apud Gallos
vindici Ao. 1646.

QUo ſegnes Araris, Rhodani celer impetus undas,
Raptaque præcipites Sequana flectat aquas.
Quo Ligeris ſinuetur iter: quod in æquora Tethys
Flumina perpetuo continuata ciet.
Pilaque funereaſque faces, quibus urget Iberus,
Et tot in Heſperias tela retorta domus;
Æthera quadrupedante quod erret inania curſu,
Borbonio quotiens carcere fervet equus;
Gallia miraris: currit quoque Danica virtus,
Et rapidum curſum, quem celer urget, habet.
Aſpice BARTHLINUM: talem miraberis iſto,
Et non bracatum, flumine poſſe loqui.
Mentiri credas annos, aut traduce cœlo
Devolvi, aut Druidum diſſimulare genus;
Non Latium ſatis eſt Juveni: non ſufficit Hellas;
Grajus erit, ſi des pulpita, roſtra, Quires.

Quæ

Quæ tradit Cous, quæ docti cura Melampi,
Et Claros & Delos, Cyrrhaque tota, tenet.
Non unum eſt quodcunque placet. Per cuncta vagatur,
Et properans animo vividiore ruit.
Evehitur; vulgumque ſuper ſublimius exit,
Atque ardet cœlis exſeruiſſe caput.
Urſa ſuos habet atque Viros. Sæpe edita cœlo
Gens calido friget, frigidiore calet;
Eſt Deus in medio & Genius, pars arctior orbis,
Uſque licet frendas, Zoïle, numen habet.
Tolle ſenem Priamum, donabunt Hectora cœli,
Hectora ſi tollas, Aſtyanacta dabunt.
Heroum plerumque pari ſtant prole curules,
Et fati æterno tramite ſtemma migrat.
Jamque timet privata loqui, læſique parentis
Enthea mens gaudet, ſuſtinuiſſe vices.
Æneas Patrem tulit, Atlas pondere cœlum;
Par onus ut tulerint, gratius iſte tulit.
Tu modo diverſos dum pergis viſere ſoles,
Atque peregrinas anchora mordet aquas.
Nec laribus contenta ſuis, mens libera quærit
Exſilia, & latè vis animoſa meat.
Scilicet eſt ingens virtuti campus, & orbis
Urbs eſt, & quævis Parrhaſis Urſa, Paris:
Herous Patriam neſcit vigor; orbibus ipſis
Clauditur; & ſpatium neſcit habere minus:
Auguſtum moliris opus, patriæque patrique
Et tibi diverſo tramite ſternis iter.
Incipiendo ætas aliis it, & ultima noſtri
Quam trahimus ſecli, portio noſtra manet.
Hæremus fatale lutum, tellureque fixi
Stamus, & æternum cógimur eſſe chaos;
Sic ſumus infantes: ſeque abducentibus annis
Ducimur, & cunas volvimus inde ſenes;
Sic

Sic anni ſunt mille parum: Tibi ſola juventus
 Sufficit, & ſpatium, quod moderaris habes.
Bis vixit, cui nulla ſui pars prodiga ſecli eſt,
 Et dum fata ſinunt, qui ſapit, ille ſapit.

Lugdun. Batavo. 1646.

THOMÆ BARTHOLINO. (5)

Paternæ gloriæ vindici, Anno 1646.

Heroam bilem, & generoſum penè furorem
 Pro læſo quiſquis ſuggerit arma patre:
Nos pete livor edax, nos ipſos, ſi qua libido eſt,
 Adgredere, in noſtrum congere tela caput.
Stamus & hoſtiles animum firmamus in auſus,
 Et nuſquam fracto durat in ore color.
At ſi natales, ſi nomen dulce Parentis
 Vapulat, & ſævo carpitur ore genus,
Da veniam huic ſoli patientia ſpreta dolori,
 Cede verecundo pectore victe pudor,
Hic tandem auferimur, juſtaſque armamur in iras,
 Et tota Mavors claſſica mente tonat.
Parcite Rectores terræ; hic juvat eſſe ferocem,
 Fortis ad hæc aliquis vulnera mollis erit.
Tu modò, qui Arctoos, *Senior* BARTHLINE, Triones,
 Semideoſque inter lucida ſtella micas,
Magne hoſpes cœli, nomenque in ſecla verendum
 Gentibus, & patriæ gloria ſumma tuæ,
Nati cerne decus, tua per veſtigia euntis,
 Illaque adhuc juvenis dona ſtupenda viri,
Mentita ætatem, & ſecli ſuperantia mores,
 Atque uni ſaltem cedere certa tibi;
Cum quondam emenſus luſtris juvenilibus orbem,
 Penè pererrata ſolis utraque domo.

Sacrares memori jam tum vivacia ſeclo
Pignora, in æternos jus habitura rogos.
Jam penna felix, & clari nominis aura,
Cum vix dum imberbes cingeret umbra genas;
Æmulus ut tantis dignus ſuccederet auſis,
Et tibi calcatum ſollicitaret iter.
Debuit ex proprio primus tibi ſanguine naſci,
Qui ſic, aut nunquam repperiendus erat.
Lugd. Batav. 1646.

(6) Eidem tractatum ſuum de luce animalium edenti. Anno 1648.

Quid nos vobiſcum o tenebræ? nos cœlite dex-
Nos luce æthereâ gens animata ſumus, (tra,
Per totum nobis vigilant cœleſtia vultum
Lumina, & Artificem prodimus ore manum.
Cedite candentes diti Garamantide gazæ,
Totaque Hydaſpæi lubrica turba vadi,
Nos ipſi nativo homines ſplendeſcimus auro,
Et ſpurias lumina vincimus ore faces;
Fax oculi, fax fulva caput; mens integra fax eſt,
Pars ea factoris prodigioſa Dei.
Quid? quod & exiguis ſuus eſt animantibus ardor,
Arcanoque nitent cuncta creata die.
Cerne colorato maculoſas pectore lynces,
Illaque gemmatis membra coruſca notis.
Cerne Dionæas volucres, & eburnea colla,
Tergoraque ignitas irradiata faces.
Et corvum picei offuſcent licet uſque colores,
Plumarum è tenebris lux ſpecioſa micat.
Ipſe etiam ſpiras, & ſquamea terga coruſcus
Niliacæ fulget trux habitator aquæ;
Scilicet informis cum jam cunabula mundi
Vellet & immenſum fingere Numen opus,

Diviſit ſeſe; parſque exiguiſſima terræ,
  Authorem neſcit diſſimulare polum.
At tu, quod, BARTHLINE, facis mundo aſſere
  Quam bene materies convenit illa tibi, (lumen,
Cui lucem, & ſecreta ſuæ commercia flammæ
  Non parca cœli contribuere manu.
Nominibus totum ille tuis cum fœnore reddet,
  Splendidiorque domi lux tua ſemper erit.

VIRO CL: (7)
JOHANNI HENR: BOECLERO
M. P.
VITUS BERING.

Cum Argentorato diſcederet anno 1648.

Reperitur in *Cornelio Nepote BOECLERI*:

Dum ruit & celſo ducens de culmine lapſum
  Paulatim ad ſylvas & ſua luſtra redit,
Relliquiæ tantum crudi Germania ferri,
  Præda per hoſtiles diſlaceranda manus,
Jam bellis anguſta ſuis: dumque Albis & ingens
  Sanguineis Iſter decolor undat aquis:
Stat medios inter tuta *Argentina* fragores,
  Docta minas belli ſpernere, docta metus,
Quaque ſuas lauros, domitique inſignia mundi
  Mars miſeræ objectat ſanguinolentus humo.
Opponit Generoſa ſuas, & Palladis Artes;
  Et clarium ſacro liberat una decus.
Hic Rhenus doctas auritus lambit arenas,
  Quodque ſuæ Leidæ deferat, inde capit,
Hic Cirrham bibit, & puras Permeſſidos undas
  Et Tiberim obſcuri nominis eſſe facit:

Nil actum eſt Libitina tibi: ſtant roſtra virique,
Et loquitur priſca voce Latina Venus.
Hoc BOECLERE tibi debet Germania munus,
Auſpiciiſque refert gaudia tanta tuis,
Qui pridem ſciſſas uno nunc fœdere Muſas,
Et certa jungens Numina ſparſa fide,
Reſtituis Priſcum facundis vocibus ævum,
Eloquioque novas ſecula noſtra tuo:
Seu fati leges rerumque arcana revolvis,
Et ſeclum tenebris eruis omne ſuis;
Seu gemitus plauſuſque tuo ſe prodit ab ore,
Quo tibi cunque libet ducimur arte tua.
Hæſit in *Æmilii* non certus nomine mundus,
Nunc *probus* auſpiciis incipit eſſe tuis.
Jamque per & plauſus & dulcia murmura famæ,
Terrarum hinc illinc, qua patet omne latus,
Te tua perpetuis tranſcribet gloria faſtis,
Et memori tantum ſpargit in orbe decus.
Tu modò naſcentem Germania ſuſpice ſuadam,
Qualem lingua tibi nulla, vel illa dabit.

---

(8) Venerando & Clariſſimo Viro

M. JOHANNI SUANINGIO

Faſtos Danicos edenti.

Vicimus, & domitas Boreæ ſuperavimus umbras,
Et gelido abſtruſum fregimus axe diem;
Longa triumfatis reparantur ſecla tenebris,
Priſcaque Barbarico tempora preſſa jugo.
Jam pridem ignotus ceſſit ſub præla character,
Et Runæ extinctas exſeruere notas;
Atque aliquis tradux animoſi pectoris Orpheus
Traxerat ingenti mortua ſaxa tuba;

Tan-

Tandem etiam emeritus redit ad natalia Cimber,
Atque infans cunas ſupputat ipſe ſuas,
Inde per imbelles primæ lanuginis annos
Proficit & junctum calculus urget iter,
Per quot Olympiades torvam ſurrexit in haſtam,
Seque adeò Romæ præſtitit eſſe virum.
Tum fortes animas, ipſique habitata Gradivo
Pectora & Herculeo robore membra ſtupet,
Denique adhuc, quamvis canenti in corpore, vires
Sufficere & magnis paſſibus ire ſenem:
Omnia ſollicitis aſtringit ſecula faſtis,
Et numerum elapſos, cogit inire dies;
Ipſa ſedens ſolio rerum natura quieſcit,
Et neglecta retrò lumina torquet anus.
Nos tibi SUANNINGI, querna de fronde coro-(nas,
Et ſata Palladia brachia meſſe damus:
Eſt aliquid crudus, ſervato cive, triumſus,
Exuviiſque manus ſanguinolenta ſtrepens,
Plus tamen eſt cœcas ævi reſerare latebras,
Craſſum & inhorreſcens edomuiſſe chaos,
Totque paludatum prælustria fulmina Regum,
Extinctum terris reſtituiſſe decus,
Reddere depoſitum mortis, calcare Sepulcri
Imperia, & ſævi frangere clauſtra rogi.
Tuque o quæ medio ſurgis Samſoa profundo,
Atque indignantes inter araris aquas,
Codani è gremio vaſtum ſpatiata per æquor.
Hoſpitis ingenio celſa ferere tui:
Nil erit Aſterie, nil mater magna Coloſſi,
Heic ubi nulla dies ſole latente latet;
Nil Delos reptata Diis; nil patria Phœbi;
Et quotquot bimares verberat unda ſinus;
Omnis hyperboreo jam ceſſerit inſula ponto,
Cretaque confuſum viderit eſſe Jovem!

Soræ. *Anno* 1642. 21. *Martij.*

(9) In Natalem

THOMÆ BARTHOLINI,

1649.

Effuge, ſi poteris; ſtringunt pia vincula dextram,
Vincula, Arachnæo callidiora dolo:
Si nec lina tuas; nec ſtringunt vincula palmas,
Qui poterit ſolus, pectora ſtringet amor.

---

(10) Nuptiis

THOMÆ BARTHOLINI
ET
ELISÆ CHRISTOPHORI F.

Pulchra dies, & nox pulchræ germana diei,
Plauſa cupidinibus deliciiſque dies.
Et nox jucundi ſpectatrix ſola duelli,
Mille voluptatum pronuba, mille jocûm,
Exorere; & toto diſpellens nubila cœlo
Prome ſerenato clarius ore jubar;
Vicit Virgo rigorem; ardet BARTHLINUS (amatque
Gaudia connubii jam propiora parans,
Et Patris exemplum, & venturum cogitat ævum,
Et cauſam ſeræ poſteritatis agit.
Ille decus patriæ trinum decus ille Sororum,
Ad Cœlum Virtus cui ſua fecit iter.
Tempus erat longis pauſam interponere curis,
Humanaſque ſibi conciliare vices,
Poſt viſos non uno hominum ſub ſidere mores,
Atque pererrati non ſemel orbis iter,
Poſt ſecli plauſus, & didita nomina terris,
Et fati exemptum conditione decus;

Poſt

Poſt acquiſitos nivei candoris honores,
Quæque ſolent dotes compoſuiſſe Virum.
Phoſphore prome diem, jam te Charitumque le-
Et choreæ exſpectant, & genialis amor. (pores,
Jam pueri ſparſere nuces, ſparſere liguſtra,
Atque puellares lilia cana manus.
Lilia, Sponſa, tuo titulum factura pudori,
Et nunquam caſtas depoſitura nives.
Phoſphore prome diem; pigro cras eſſe licebit,
Et longa oppreſſum fallere nocte diem;
Cum thalami riguere fores, cum ceſſerit agmen,
Et Matronarum, turba moleſta cohors.
Cum jam non vacuo prendetur Virgo cubili
Et nox, & ſponſus, prætereaque nihil;
Tum tibi, ſi qua fides, lentas molire quadrigas;
Tum demum inviſum Phoſphore conde diem.

Impreſſ: Hafn: 1649.

Ad Sponſam Ejuſdem (11)

Si modò flamma Viri, quam latè fama, pererrat,
Luderis, in thalamos non venit illa tuos.

Impreſſ: ibid: 1649.

Piis Manibus (12)

DN: NICOLAI KRAGII

Regni Daniæ Senatoris

1650.

I.

Sancte *Senex* moreris, Pylio propè Principe ma-
Jam vitæ infracta proſperitate ſatur; (jor,

Occuluere diem longævæ ſidera frontis,
Candentemque comam jam color hoſtis habet.
Mors inferre tibi fatalem interrita dextram
Cœperat, & ſubito deſtitit icta metu,
Sæpius intentat, revocatum ſæpius enſem
Suſtinet, & dubia ſtatque feritque manu,
Tandem animat ſævæ funeſtum cuſpidis ictum
Vulnus ab Arbitrio figere viſa tuo.
Tarda fuit trepido te mors invadere telo,
Nam te mortalem credere tarda fuit.

2.

Poſt enodati ſinuoſa volumina juris,
Erutaque in titulis quæ latuere ſuis;
Poſt Themidem excuſſam, cunctaſque ex ordine
Reſtabat leges diſcere Parca tuas. (leges

3.

Fulcire auxiliis patrium ſapientibus orbem,
Seu fera ſigna tubæ, ſeu toga poſcat opem,
Præcipere eventus, curiſque ſagacibus omnes
Antegredi caſus, anticipare vices:
Quo pietas fert alma pedem, contendere curſum,
Et niſi conſulto nil voluiſſe Deo;
Ponere jura foro, ſua ponere jura Camenis,
Et dura, ante alios, ponere jura ſibi;
KRAGIUS hæc Aſtræa tibi. Tot nomina recti
Temperies animi nulla, vel illa, dedit.

4.

Nil actum eſt Libitina tamen. Poſt funera vivit
KRAGIUS, & ſupereſt nunc quoque parte
Incorrupta fides, & amans Prudentia recti, (ſui:
Et quicquid Pietas contulit ipſa ſibi,
Et Nivei mores, placidique modeſtia vultus,
Hæredem patriæ nobilitatis habent.
Fortunata domus, cui nunquam ſole remoto,
Extinctum fulget Lucifer ante diem.

Exequiis (13)

HENRICI RAMEL.

Anno 1653.

Conjugis exſtincti cineres, raptumque cubili
Pondus, & è viduo gaudia mille thoro,
Disjectamque domum, deſolatoſque penates
SCHELIA flebilibus deflet amara modis:
Id tua, ſed miſeræ proh jam prærepta dolenti!
Morum temperies & ſine labe tenor,
Id tua RAMELI virtus facit, id tuus ille
Indelibati pectoris hoſpes amor;
Id ſincera fides, & amans Conſtantia recti,
Æquanimi nunquam cedere certa gradu;
Jam ſtudia & doctis vigilans ſapientia chartis
Nec fruſtra Aoniis mens operata choris
Cui ſua, ſi quæ unquam pandiſſe oracula legum
Credimus, aut nullam credimus eſſe Themin;
Adde decus ſtirpis, numeroſumque Agmen hono-
Claraque ſed meritis nomina facta ſuis. (rum,
Tot ſpes, & tot delicias, tot funere in uno
Gaudia proh miſeræ! mors inimica rapit.
Sic tamen, ô querulum cohibe mens ægra dolo-
rem,
Atque modum lacrimis SCHELIA pone tuis;
Præter enim clarum, quod erit poſt funera no-
Et quod diminuent ſecula nulla, decus. (men
Vivit pars animis, RAMELIUS, addita magnis,
Vivit, & æternæ jura quietis habet.
Aſtra ſuper, cœlique ſuper revolubilis orbis,
Denique quidquid habet terraque ſolque ſuper.
Hic cinctum propiore Deo, propiore beatum
Ter face, ter flamma, ter nive fulgor obit.

(14) Sub Imagine

FRIDERICI TERTII.

1653.

Quid noſtro Cynoſura nites ſublimior axe,
Proximaque Arctoo Gnoſſa corona polo!
Hoc tellus habet ipſa ſibi: Rex regula recti eſt,
Et Domini in mores tranſiit Aula ſui,
Arcentur portis fraudes, luxuſque, ſceluſque,
Quiſquis amans recti non eris, hoſtis eris:
Hi, Lector, mores, hæc magni Regis imago eſt.
Sic gemina librat maxima regna manu,
Sic undis terræque præeſt belloque togæque,
Et ſe jure Ducem, plus ratione probat.
Emineant Reges Solio, terraſque potentes
Et populos lata ſub ditione premant;
Rex ille eſt, poſt hæc, qui ſe quoque poſſidet ipſum,
Qui Dominus rerum, plus tamen ipſe ſui eſt.

---

(15) In Centurias primas Hiſtoriarum Anatomicarum

THOMÆ BARTHOLINI.

1654.

Excutiat Natura ſinum: quæ denique reſtant
Bartholine auſpiciis non patefacta tuis?
Omne patet cœlum, ſeries patet abdita rerum,
Omnis & arcanis ſymbola clauſa notis.
Te Duce nil terris fas eſt mortale recludi,
Nil pigro abſtruſum delituiſſe ſitu;
Te Duce, quicquid obit, quicquid lethale per orbem
Pullulat, ad vitæ ſemina prima redit:
Te Medicina Ducem, ſibi te facundia poſcit,
Illa ſibi totum flagitat, iſta ſibi:

In-

Ingenio, rerum per amœna, per aſpera ferris
Materieſque Arti non placet una tuæ.
Sive Machaoniæ laſſarunt vulnera vires
Seu tenerum blando concinis ore melos,
Seu pubeſcentum decus & nova gloria campi,
A te Flora ſuas quærit & auget opes.
Seu relegens Patriæ paſſim miracula terræ
Condis inexhauſtæ nobile mentis opus,
Ille tuus, quicquid natura recluſerit, aut Ars
Eruit ingenio ſuppeditante labor;
Qua gradimur, monumenta tui, fructumque laboris
Aſpicimus, quicquid diſcimus, omne tuum eſt.
Sic Borea poteris, gelidaque habitare ſub Arcto,
Quaque patet, mundum demeruiſſe tibi.
Jamque adeo nullos neſcit tua fama receſſus,
Magna licet, meritis ſic quoque fama minor.
Illa per immenſum vaſtis ambagibus orbem
Cum ſocio pridem ſole peregit iter.
Utque alibi levis ire Comes ſublimibus auſis
Et raro magnis parcere Livor amet.
Te plauſus, te deliciæ, te vota bonorum
Te favor & patriæ publicus ambit amor.
Salve magne decor mundi, ter amabile ſidus,
Et noſtro exortum grande ſub axe jubar.
Per te priſca fides, per te felicia ſurgunt
Secula, & auſpiciis invaluere tuis,
Muſa tenet ſceptrum, terras Aſtræa reviſit.
Priſcum Barbaries nil niſi nomen habet.
Oſculaque alternis Themis & Clementia libant,
Et graditur ſocia cum Pietate fides.
Hæc ſcriptis calamoque probas, hæc exprimis ore,
Viſque tuis ſimiles moribus eſſe libros.
Di tantum ſervate decus! domus inclyta creſcat
Et gemat hoc raptum non niſi ſera caput:

Qui nondum pictis prima lanugine malis
  Penè puer ſcripſit, quæ ſtupuere ſenes;
Qui juvenis, qui vir, cunctas percenſuit artes,
  Neſcio quid faciet, ſi tamen oro, Senex.

Impreſſ: Hafn: 1654.

(16) In Hiſtoriam Vaſorum Lacteorum in Homine THOMÆ BARTHOLINI. 1654.

ARgentum fulvo ſic olim jungitur auro,
  Sic rutilant mixtis verna liguſtra roſis.
Terra colorata ſic paſſim cyclade gaudens
  Diverſos pariter induit una ſinus,
Miſcet eburna nigris, & nigra colorat eburnis,
  Et vario certum quærit in ore decus;
Hæc tua, Barthline, eſt libros ſcribentis imago,
  Et toties aliud parturientis opus;
Quam diſpar ſimilisque tui per cuncta vagatus
  Pandis in Arctoo totum Helicona ſolo;
Doctrinæ pars nulla vacat; nulloſque receſſus
  Linquit inexhauſtus nocte dieque labor.
Mille novos referens vultus, & mille recludens
  Ornatus, varii mille coloris opes.
Jam pridem noſtro Natura in corpore ludit,
  Et tacito abſtruſos permeat orbe ſinus.
At procul affines à ſanguine dividit undas,
  Et toto ignotas corpore miſcet aquas;
Stagnamus lymphis, quas ignoravimus ipſi,
  Et ſibi non noto quilibet imbre fluit.
Pandis operta ſagax, longiſque incognita ſeclis
  Eruis, & vultu das meliora legi,
Sic pretium nomenque facis, Doctiſſime, rebus,
  Et peragit partes lingua diſerta ſuas.

Hic

Hic ubi tota ſibi fixit facundia ſedem.
Et colit, & nullo cultior illa loco eſt.
Fortunate liquor; non te ventura ſilebunt
Diminuentque tuum ſecula nulla decus;
Poſteritas laticeſque tuos celebrabit & undas,
Phocidis æternæ dum memorentur aquæ.

Impreſſ: Hafn: 1654.

In Beat: (17)

CHRISTIANUM SEHSTED.

Invenitur in oratione Bangii in eundem.

1657.

Jamque illud, quo nil majus Natura vel auſa eſt,
Vel dedit, heu terris mors rapit atra decus;
Occidit ille ingens juris moderator & æqui;
Ille Themi; ille tuum Calliopæa decus;
Spes populi, Procerumque Pater, tutelaque Regni;
Cunctorum Rector magnus, & ipſe ſui:
Parvum hoc eſt: rigidum mundo præſcribere re-
Et Patriæ auguſtis verba præire ſonis, (ctum,
Ambiguas librare vices & fortibus auſis
Addere conſilium, conſiliiſque moras;
Condere in imperio leges, in legibus æquum,
Demere, vel feſſis addere rebus opem;
Moribus effinxit Cives. hæc vivida lex eſt,
Quodque ſuos docuit, ipſe præivit iter.
Ite pererratis, utroque a cardine, terris,
Qua patet exoriens occiduuſque dies,
Quærite, quem nullo fregerunt ſecula luxu,
Fortunæ ſemper muneribuſque parem; (nec
Quærite, qui nullas unquam, dum poſſidet om-
Spectet opes, terrâ de locuplete nihil,
Quærite, qui in decorum cumulo non quærat ho-
Et pretium ex animo non aliunde petat; (nores,

Hæc eſt SESTEDI Patriam moderantis Imago;
Sic potuit magnus, ſic tamen eſſe pius:
Celſius ire nequit Virtus ſpatioſa, nec ultra
Aut potuere homines, aut voluere Dei.

II.

Sed nobis THOMÆE peris: de ſanguine noſtro
Effuſum eſt, quicquid perdidit iſta dies:
Magne Heros in te miſeri diſperdimur omnes,
Deque tuo quivis funere vulnus habet,
It Themis inferias, comiteſque in funera Muſas
Ducit, & exequias it miſeranda ſibi,
Ipſa ſuum Pietas ſpectat viduata cadaver,
Et gemit ad tantos, triſtis inopſque rogos;
Quaque jacent cineres Pallas tumulatur in urna,
Immenſumque brevi claudit in orbe decus.
Cuncta ſuum mœrens luget Natura decorem,
Rectorem populus; Calliopæa Ducem;
Relligio ſacra tutorem, palatia Civem:
Urbs Dominum, ſocium Curia, cuncta Patrem.

III.

Quid ſperas Libitina tamen? viden altior exſtat
Et bona mens tumulis ſtat rediviva ſuis,
Una per immenſam Virtus diffunditur Arcton,
Quam late hinc tellus, inde dat unda viam:
Labentur ſtellæ, labentur ſidera cœlo,
Corruet excuſſo mobilis axe polus,
Illa tamen ſtabit ſeclis immota futuris,
Dum fuerit fidei, dum Pietatis amor.

---

(18) In Imaginem

CHRISTIANI THOMAE SEHSTED. 1657.

Pingitur Arctoi locuples facundia ſceptri,
Et loquitur populo vel ſine voce ſuo:

Aſ-

Aſpicè famæ virum, quodem ſibi Gratia finxit,
Et Muſæ norunt & Themis eſſe ſuum:
Seu Patrium ſcitis fulcit ſapientibus orbem,
Et tantæ librat non leve molis onus.
Seu procul externas affando detinet aulas,
Et Regno nomen vindicat atque decus.
Quos cernis canos, vegetæ ſunt ſigna ſenectæ,
Signa fidem Domini ſponte imitata ſui.
Quæ poſt & plauſus revocataque nomina faſtis,
Parta decora domi, parta decora foris;
Tota ſuperſtat adhuc infractæ erroribus ævi,
Æquanimi nunquam cedere certa gradu;
Quæ dum cuncta quies paribus circumvolat alis,
Otia dat Regnis, quæ negat ipſa ſibi.
Jamque adeò patrii vigilantis in abdita fati,
Si quis erit vitæ finis, amoris erit.
Hæc ſunt, hæc Lector delapſa ancilia cœlo,
Quodque fuit Romæ fabula, Danus habet.

Obiit 1657.

In Effigiem illuſtris Heroinæ (19)

BIRGITTÆ TOTT.

Invenitur in verſione Danica Senecæ ejuſdem. 1658.

Pingitur abjecta procul ægide Pallas & haſta;
Atque per Arctoas, ſtat rediviva plagas,
Hoc vultu noſtris affulget TOTTIA terris,
Ingeniique decus præripit omne viris.
TOTTIA ſecreti, quæ nunc penetralia pindi,
Atque animi invadit, nobilioris opes;
Id ſupplex Natura vides; Ediſſerit artes
Fœmina, quodque viri diſcimus, illa docet,

De

Doctis fœta libris, clariſque puerpera ſcriptis,
Et nova Palladio pignore facta parens.
Hactenus & Charites numeramus & ordine Muſas,
Græcia quas, vel quas Itala jactat humus,
Nomina quid libuit tot fingere vana Dearum!
Non opus eſt, Lector, fingere; vera vides.

---

(20) Ampliſſimo & Celeberrimo Viro
D. THOMAE BARTHOLINO,
Medico Profeſſori & Decano ſuum de Nivibus tractatum edenti. 1661.

Profer io BARTHLINE nives. Hæc denique reſtat
Materies ſcriptis non aliena tuis:
Non quas aſtrictis jaculantur ſidera campis,
Bruma pruinoſis dum riget hirta comis,
Frivola & ad ſubitum naſcentia pabula lethum
Ilicet ad primos interitura Notos,
Sed niveas candoris opes, tua munera cordis,
Et non fucati pectoris omne decus;
Hic ubi ſinceri poſuere cubilia amores,
Quo Charis, atque habitat Gratia trina loco.
Ante tuas BARTHLINE nives & lilia cordis
Nigreſcit primæ nobilitatis ebur.
Nigreſcit pleno radians argentea vultu
Cynthia, nec nivea lampade fulget Eos,
Ipſeque ſordeſcit vel lacteus humor, & inter
Pennatas volucres non benè candet Olor:
Te nivei mores, te fraudibus invia ſemper
Integritas nullos nectere certa dolos.
Te candor ſimplex & amans Conſtantia recti,
Te Charis & Pietas ambit & alma Fides,
Qualis erat Mundi facies, cum candida virtus
Incoleret vitio non prohibente ſolum,

Cum

Cum nondum infames fœdaſſent crimina terras
Voſque atræ fraudes, artificesque doli,
Sed puros diſcinɛta ſinus, porreɛtaque frontem
Regnaret ſocia cum Pietate fides;
Vive diu, Vir ſumme, & quod facis inſtrue terras,
Hinc caſtis vitæ moribus, inde libris.
Immerſumque adeo ſceleratis fraudibus orbem,
Si nequeas doɛtum reddere, redde pium.

(21)

THOMAE BARTHOLINO,

In Hiſtoriam Rariorum Centuriam Quintam. 1661.

Quicquid mortalis fingit ſolertia curæ,
Vel Natura ſuo parturit alma ſinu,
Exequitur paribus felix induſtria ſcriptis,
Quæ pridem mundum demeruere ſibi:
Aonidum immortale decus, *Barthline*, Sororum
Ingenio quantum ſecula noſtra beas!
Per te Parrhaſiis Helicon conſcenditur oris,
Barbara nec poſthac Græcia Delon habet,
Tu cœlum, & terras ſcrutaris, & excutis undas,
Quicquid & eſt terras inter & inter aquas,
Imus & immenſum per te tranſmittimus æquor,
Qua patet & laxis finibus orbis abit:
Sis felix noſtri florentis adorea ſecli
Speɛtatum terris, cœlicoliſque caput:
Gratia ſi ſupereſt geſtis bene, ſi quis amoris,
Si fidei reſtat, ſi pietatis honor;
Jam mox venturis oriere nepotibus Aſtrum,
Nec metues, mundo non pereunte, mori.

Impreſſ: Hafn: 1661.

(22)

(22) Piæ Memoriæ
Ampliſſimi Viri

DANIELIS PFEIFFII

S. S. Theologiæ Profeſſoris publici. 1662.

Ergo jaces PFEIFFI, tantoſque incidis hono- (res
Inceptum famæ linquere juſſus iter,
Poſt viſos non uno hominum ſub ſidere mores
Atque pererrati non ſemel orbis iter,
Poſt ſecli plauſus, & didita nomina famæ,
Quæque ſolent dotes compoſuiſſe virum.
Ergo nec immenſas mens exſpatiata per artes,
Nec juvat in doctos lingua diſerta ſonos;
Nec nitidi mores, placidique modeſtia vultus,
Et quicquid Pietas contulit ipſa ſibi; (norum;
Nec fama ipſa quidem, immenſumque agmen ho-
Et poſt hæc ſi quæ nomina mundus amat.
Ergo ſuum mœrens perdet doctrina laborem,
Obſcuruſque premet tanta decora cinis?
Non premet: æternum vivet poſt funera nomen,
Et, quod diminuent ſecula nulla, decus;
Quod totam implebit ſpatioſis laudibus Arcton,
Quam latè hinc tellus, inde dat unda viam:
Quid querimur raptum? mens eſt qua vivitur; &
Fata negant, doctis Gloria pandit iter. (quod
Hoc diſtant terrena polo, cœleſtia terris,
Illaque cum pereant, non habet iſta modum.

---

(23) THOMÆ BARTHOLINO.

Invenitur in Ciſta Medica ejuſdem. 1662.

Sic ſtellas olim Phœbe, ſic lumina Titan
Orbibus irradiant inferiora ſuis.

Tu

Tu Medicæ BARTHLINE artis tot nomina lau-
Complexus Titulis id decus omne tuis, (das
Et numeras vivos, & quot vixere priores,
Ut genio monſtres par nihil eſſe tuo.

(24)

D. CAROLO VAN MANDERN

Pictori celebri,

Cum tractatum de pulvere ſternutato-
rio Belgico idiomate ederet. 1665.

CAROLE, cui Zeuxis, cui magnus cedit A-
Quicquid & aſſeruit Græcia priſca ſibi. (pelles,
Cui cœli jus omne ſuum tranſcripſit Apollo,
Et varium dextræ nobilioris opus, unda?
Quid tibi cum Cyrrha eſt? quid cum Permeſſidos
Quodque unum doctis cum Jove Numen ineſt?
Nempe tuo ingenio, cui pontus ceſſit, & æther,
Quicquid & eſt terras inter & inter aquas,
Ceſſerunt faciles non uno Numine Muſæ, (bam.
Plectra; lyram; calamum; barbiton; ora; tu-
His pariter, pariterque manu, pariterque loquela
Ne non ſis ſimilis ſemper ubique tui.
Exhauſiſti omnem diverſo Nomine Phœbum,
Et totum dextra, pectore & ore refers.

(25)

Memoriæ & meritis Beatiſſimæ Matronæ

MARGARETÆ FINCHIÆ

Conjugis

GEORGII FIUREN, 1665.

Huc ades intemerata fides; huc candida Virtus
Artificis ſtudium neſcia ferre doli: F

Et puros diſtincta ſinus, porrectaque frontem
MARGARIS ad tumulos & tua ſacra veni:
Qua jacet illa ingens veri candoris imagò,
Una ſoli & ſexus gloria ſumma ſui, (Conjux,
Tot ſtirps Doctorum, & genetrix & maſcula
Æmula imaginibus Martia Roma tuis.
Gracchorum ſupra Matres, te Livia ſupra, (rus,
Cecropidumque omnes, Romulidumque Nu-
Quæ poſt & cineres caſſos, & membra feretro
Condita; & exuvias trux Libitina tuas,
Nunc etiam in cœlis, quod dicta eſt, incipit eſſe
MARGARIS, & verò nomine gemma eluit.
Hoc eſt: æterna Virtutum luce coruſcans,
Seu tenuit terras, ſeu renet aſtra, micat.

(26) In Bibliothecam

PETRI SCAVENII.

Invenitur in catalogo ejuſdem Bibliothecæ 1665.

Hactenus antiqui ſenium memorabile mundi
SCAVENI, & quicquid Roma vel Hellas ha-
Congerere æternis ventura in ſecula chartis, (bet,
Doctorum pariter & tua cura fuit.
Nunc pia felices ſcandunt palatia Muſæ,
Et ſortem fati nobilioris habent;
Regibus it Doctrina comes, cum Principe Phœbus
Ambulat, & Clarias vindicat ille Deas;
Inque aula medias inter ſecura catervas
Cum Docto graditur Calliopæa choro;
Hic Themis, hic Sacras loquitur prudentia leges
Et ſeclum tenebris eripit omne ſuis.
Gratia ſit FRIDERICE tibi, quo Vindice Muſæ
Auguſtum tollunt celſa ſub aſtra caput;

Tu

Tu Cyrrham, Tenedumque orbi, Delumque re-
Et noſtro revocas totum Helicona ſolo,(ponis,
Ut cum Regalis ceſſarint ſecla ſenectæ
Quoſque Tibi longos dent pia fata dies.
Sera inter-memores vigeat tua fama Camenas,
Nec metuat, mundo non pereunte, mori.

Famæ ac æternitati Ampliſſimo- (27)
rum Hafniæ

PROFESSORUM,

Et omnium Vindici

ERASMO P. VINDINGIO.

Invenitur in Eraſmi Windingii Academia Hafnienſi. 1665.

Sic eſt Quirites:
Cimbros vicit Roma,
Romam Cimbrorum Poſteri:
Qui, quod ſpolium neglexerant Majores
Optimum in Italia
Literas,
Perditas pridem, & ſepultas cum capite,
Poſt tot ſeculorum ſpatia,
Eduxerunt è tenebris
Et ſtiterunt Orbi:
Tanto majore cum gloria,
Quanto eſt operoſius
In Septentrione excitare Italiam, quam
In Italia viciſſe Romam.
Non poteras Tiberina Urbs in ſeptenis
Collibus,
Jura dare Orbi,

Ut imperium diffunderes, qua non poteras Exercitum:
Migrandum ſede tibi,
Tum demum victrix, poſtquam victa es,
Et ſparſa per Orbem
Non tropæa armorum, non legionum
Sed linguæ circumtuliſti,
Gentibus univerſis
Qua ſe claudit aut aperit mundus
Non jugum imponens,
Non imperium,
Sed quod utroque Majus,
Sermonem.
Hunc redivivum hodie, & orantem pro roſtris,
Non domi tuæ,
Non in Romuli tantum quæres,
Sed Boli Nepotibus:
Ultra ripas Albis & alveum,
Ultra Tiberii votum & iter Druſi,
Ac illa tuis Aquilis inviſa limina.
Qua docti literarum Antiſtites,
ævum omne tuum,
Et ſeculorum omnem ſeriem emenſi ingenio,
In honorario campo Academiæ,
In veræ gloriæ arena,
Conſcenderunt cathedram:
Dignitatemque ſui ordinis
Doctrinæ amplitudine,
Et haud paulo validioribus exemplis ornati
Daniam induſtriæ ſuæ,
Sed univerſum orbem
Laudum theatrum effecerunt:
Quoque effectius dare nil virtus poteſt,
Et

Et ævi præteriti implerunt vota,
Et futuri induſtriam provocabunt.
Hi
Quicquid in Cimbro, quicquid immo in
Gotho & Longobardo
Publica tempeſtas accuſat,
Repararunt in Dania,
Omnemque irruptionum infamiam,
Et cladem priſtinam literarum,
Excuſantes Orbi,
Procul à Roma in Arctoo frigore,
Romanam excitarunt elegantiam.
Sed id parum,
Ipſam barbariem doctam
Et pulchram orbi & amœnam reddiderunt,
Digni, quibus vicem rependat poſteritas:
Et rependit VINDINGIUS,
Vindex idem & pars tantæ gloriæ,
Qui, ſeu vivos adhuc & circumfuſos fama ſua,
Seu defunctos pridem & receptos cœlo,
E beatis excitos ſedibus
Oſtentat Orbi:
Reducturus cum iis ſeclum, ſi poſſet,
Aureum,
Cujus ipſe guſtum nobis
Priſcis moribus
Et veri ac recti amore propinat.

Videt OLDENBURGICA domus
Munificentiæ tuæ gloriam;
Quicquid legitur in his chartis,
Et quicquid non legitur,
Tuum eſt:
Quod Latini ſumus, quod barbariem exuimus,
Debemus tibi!

Tu ſeculorum eliminata balbutie,
Poſitoque incultu & ſqualore diſciplinarum
Non accepiſti prius regnum, quam reddidiſti literas,
Inque incolatum terræ,
Non ducta populorum,
Ac ne hominum quidem,
Sed Dearum colonia,
Ipſas Muſas, ipſam ſapientiam regni
Inquilinam & civem feciſti.
Ergo huic familiæ
Non munus, DANIA,
Non donum es, ſed præmium:
Quæ, ut regnum fieres, fecit DANUS,
Ut politum, ut clarum, ut literatum,
CHRISTIANUS;
Primus te condidit,
Alter expolivit:
Ille fecit, hic refecit;
Qui feliciter dives,
Sed felicius liberalis;
Ac nil humile habens,
Ne corpus quidem,
Supra omne trophæum armorum,
Produxit in theatrum literas.
Queis fultæ Majeſtas regni &
Religio,
Victoriarum auſpices,
Perpetuum ſibi ævum in Dania,
Perpetuam ſedem condidere.

Vive FRIDERICE,
Gentis tuæ gloria,
Qui Rex ubique, etiam in literis,
Quicquid in Doctis optarunt Majores,
Ex-

Exprimis exemplo poſteris;
Et, quod ultimum eſt Pietatis officium,
Non tantum recipis Muſas,
Non aliis tantum;
Sed gratis ſinu,
Admiſſione ſapientiæ familiari,
Et pulcherrimo ſpectaculo orbis,
Sed uno tuo,
In regni pariter tui,
Et nominis,
Et ſtirpis gloriam,
Quodque addi votis unum nunc poteſt,
Perennitatem.

In Concertationem (28)

THOMÆ BARTHOLINI

De Hepatis exautorati deſperata cauſa.

Pergis, & Arctoi decus omne amplecteris orbis,
BARTHLINE, & celſi nominis orſa tenes,
Quo laudum ſe tollit apex, quo maſcula ſurgit,
Atque per auguſtum gloria vadit iter,
Progreditur paribus felix induſtria chartis,
Qua nil terrarum doctius Orbis habet,
Quid virtus, quid fama tibi, quid Patria reddet;
Patria tot ſcriptis nobilitata tuis?
Viderit hoc Magnus, qui temperat Arbiter Arcton,
Et pretium meritis fœnerat omne ſuis.
Sic tua, quæ noſtris nunc fulget gloria ſeclis,
Æternæ ſtimulus ſedulitatis erit.

Impreſſ: Hafn: 1666.

(29) Sub Effigie

CHRISTIANI BARNEKOWII. 1666.

Hæc BARNEKOWI frons eſt, & amabile lumen
Et tanti quicquid non tegit urna viri:
Cujus in ingenio fixit ſapientia ſedem,
Et pretium meritis debuit omne ſuis,
Auſpice qua ſummos inter ſervavit honores,
Et ſtudiis pariter, Principibuſque fidem;
Quæ nunc poſt Domini concredita membra fere-
Nomen ab æterna poſteritate rapit. (tro

---

(30) M. ERICO OLAI TORMIO. 1667.

Cimbria, quæ ſævo perculſam fulmine Romam
Atque tui jactas nomen & arma Boli,
Cerne tuos Cives, non quos fera bella tubæque
Et Mars ignivomis ſanguinolentus Equis,
Sed quos alma legit Pietas; quos Numen & ara
Deſtinat intrepidos ad ſua ſacra Duces:
Qualis erat noſtri præluſtris adorea ſecli
TORMIUS æthereo notus ab ore Senex,
Ille tuum pia ſuada decus; tuus ille Sacerdos
Uranie; ille tui Dux & Apollo chori:
Quem nunc defunctum lacero Facundia plectro,
Et ſciſſis Pietas luget acerba comis.
At ſupereſt nullo non felix TORMIUS ævo,
Et meliore vigens nunc quoque parte ſui.
Aſtra videt ſibi ſcripta olim; videt ore beato,
Quem toties cecinit demeruitque Deum:

Sic

Sic numerans ſtellas ut ſe percenſeat ipſum,
Et nunquam æterno deſinat ore loqui.

Illuſtriſſ: (31)
ARENSTORPHIO
defunctam Conjugem lugenti. 1667.

ARRENSDORPHI animo priſcæ qui nomina Romæ
Et Decios geminos Scipiadaſque refers.
Quem poſuit terris toto pro fulmine Mavors,
Et ſimilem cupiit ſe genuiſſe ſibi.
Qua fronte armatos nunquam perterritus hoſtes
Et ſtrictas ſpernis in tua colla manus;
Qua fronte indomitam, quo calcas pectore mortem,
Et poſt hæc ſi quæ nomina terror habet;
Suſcipe mortiferum rapta pro Conjuge luctum,
Et fac Virtutis ſis memor ipſe tuæ;
Hic ille eſt campus, quo te monſtraveris orbi
Victorem pariter Martis, & eſſe Tui.

ERICO ERICIO (32)
PONTOPPIDANO.
Invenitur in Grammatica Danica ejuſdem, 1667.

Hactenus aſſuevit teneris facundia verbis
Et ſtetit in nudo Danica Lingua ſono,
Qualis erat primum Cadmæas docta figuras,
Atque orſa Evandri Roma ſubire Scholas,

Pura fluenſ, non culta tamen, ſine lege modoque
Eloquii nondum conſcia Roma ſui:
Adjungit totas jam nunc ERYCIUS artes,
Quas Latium, & poſuit Græcia priſca ſibi.
Da Patriæ, Vir magne; tuæ vitamque diemque
Et ſonitum Linguæ, quæ dedit illa tibi,
Quæ mox per ſeros reddet non immemor annos
Inclyta, & exequiis non moritura tuis.

(33) Ad Illuſtrem & Generoſum

GEORGIUM ROSEN-KRANTZ.*

In libro Danicè Scripto ſub nomine Cogitationum de Nativitate Chriſti. 1669.

Terrarum cœlique potens dum naſcitur infans,
Humanamque DEUS voce laceſſit opem,
Quiſquis amas, propera: cingamus baccare curas,
Texamus rutilæ florida SERTA comæ:
Ite procul dumi, vepres procul ite rigentes, (eſt.
Quæ poterit CHRISTO ſola placere, ROSA

* ROSENKRANTZ, *latinè Sertum Roſarum.*

(34) Sub Effigie

HENRICI MULLER

Quæſtoris Regii, 1669.

Si pingi humano cuperet prudentia vultu,
Mortaleſque inter vellet habere locum,
Te legeret MULLERE Ducem, qui nomina, &
Et ſtirpem claræ progeniemque domus; (auſus,

Et

Et titulos; famæque decus; & quicquid honorum
  Altius humanâ conditione levas; (eſt
Cumque tuis jam Regis opes, & publica fata
  Digeris, & tantæ non leve molis opus.
Quam pulchrum, tot celſa ſui, tot celſa ſuorum
  Nomina, materiam laudis habere ſuæ,
Pulchrius, inter opes, & quicquid diſcupit orbis,
  Nil Domini ingenio celſius eſſe ſuo.

In Imaginem (35)

CASPARI BARTHOLINI

Domini de Kornerup. 1670.

Maſcula progenies, magni BARTHLINE Paren-
  Et tot nobilium pars animoſa Virûm; (tis
Qui poſt luſtratas vario ſub ſidere terras,
  Atque pererrati non ſemel orbis iter,
Juſtitiæ normam titulis & moribus æquans
  Junxiſti puram cum Pietate Fidem.
Cur moreris multoſque una conjungis amicos,
  Et leve, te terras deſeruiſſe putas?
Conjugio felix, & clara Conjuge, quæ nunc
  Extruit æternos ad tua buſta rogos:
Illa tibi planctus, nos voces ſolvimus, atque hoc
  Triſte quidem at grato dicimus ore: Vale.

Amico candidiſſimo S.
V. Bering.

(56) *INAUGURATIO*

FRIDERICI TERTII DANIÆ, NORVEGIÆ, &c. *REGIS.*

Hafniæ 1648.

EXcutit indignam ſolium regale cu-
preſſum,
Fœdaque tabenti detrahit ora
ſitu;
Rector adeſt, viduaſque manu tran-
ſumit habenas,
Arduaque imperii munia celſus adit,
Et caput auguſto fulgentius exſerit oſtro,
Sceptraque magnanima geſtat eburna manu.
Aſtat & Arctoum Majeſtas porrigit enſem,
Terrarum rectrix, imperiique comes,
Et duplicem celſi diadematis explicat orbem,
Et ſua jura togis, & ſua jura ſagis,
Illam, quicquid agit, ſuperas delapſa per auras
Ambit honoratam conſequiturque Charis,
Virtutumque premit late chorus: advolat illi
Relligio ſacris lecta miniſtra focis;
Luteoloque Fides circum radiata pyropo,
Quæque Jovis ſolio præſidet, alma Themis,
Illa duas æquo librat diſcrimine lances,
Et ſpes hinc certas dividit, inde metus;
Pone ſubit, niveamque aperit Concordia pallam,
Caſtaque jam terris pectora nudat Amor.
Has inter comites, patrias FRIDERICUS habenas
mit, & Arctoi regna vetuſta ſoli,

Per

Per titulos Princeps graditur, per ſceptra, per oſtrum,
Et reſonat populi publicus ore favor;
Panduntur cunctæ auguriis felicibus urbes,
Conditur auſpicio proſperiore dies,
Aſtra ſonant clamore, repercuſſumque reſultat
Murmur, & attonitis Cynthius hæret equis,
Vivat jo, ſuperas vox alternata per auras
Auditur placido murmure; Vivat jo!
Lumen adeſt gens Dana tuum, tibi lucidus æther
Accendit radio nobiliore diem;
Excutere ô, noctemque fuga, ſævoſque dolores,
Et luctus memores dilue fronte notas;
Sume animos, fortuna tibi vim tota remiſit,
Et ſpolium de ſe victaque terga dedit;
Ceſſet amarities & triſti pallor in ore,
Et pia nigranti lumina vincta peplo,
Et lacrimis ululata dies, & plancta querelis
Pectora, per gemitus attenuata ſuos:
Majeſtas & forma tuos antiqua reviſit,
Atque redit membris qui fuit ante vigor,
Et ſua primævæ repetunt præcordia vires,
Eluſaque fremit mors inimica manu.
Nil actum eſt Libitina tibi. Sub verbere fati
Perſtat adhuc ſævis ſpes agitata malis,
Audemus riſu domitos frœnare dolores,
Et lacrimis vacuos explicuiſſe ſinus;
Ilicet involvent meliores vellera fuſos,
Et colus auſpicio candidiore fluet,
Ibimus, & cœlo late potiemur aperto,
Et jam dediſcet reddita vita mori.
Promite, ſiqua liquant fœcundos germina ſuccos,
Si qua peregrinas inſula ſudat opes,
Stactenque & Coſti late ſpirantis odores,
Lectaque Panchæis cinnama nigra jugis;

Promite divitias Arabum, date munera Divis,
Et date ſuccenſis maſcula thura focis;
Pignus pacis adeſt, repetit concordia terras,
Miteſcunt poſitis ſecla modeſta tubis,
Tellurem pax alma regit, pax omnia nutu
Temperat, & mollis fœdera nectit amor.
Ite feræ cædes, ferrum non auſit ad ictus
Rupe ſub Ætnæa ſollicitare faber,
Arma procul, procul enſis erit, pallorque furor-
que,
Et Mars indomitis ſanguinolentus equis,
Paciferæ tantum nectentur ſerta coronæ,
Et circum mites ludet oliva comas.
Fortunata dies, placidis quæ lenis ab aſtris
Vexiſti tacito gaudia tanta ſinu,
Te repetet feſtus ſeclis volventibus annus,
Et clarum niveo deferet igne diem,
Te lacrimis olim nemo corrumpet amaris,
Pollutam nemo ſordibus eſſe velit;
Te faciles riſus, & amœni gaudia plauſus,
Et choreæ, & cantus, & comitetur amor.
Eſtis jo ſuperi, cœlo ſpectante precamur,
Vota habuere ſuos propitiata Deos,
Solvimur, & domitæ gaudent molleſcere rugæ,
Et metus, & mœſtis humida gutta genis;
Irradiat picto melior Thaumantias arcu,
Et nova compoſita fœdera pace refert;
Dulcia pacato colludunt otia vultu,
Et revocant lætæ laurea ſerta fores;
Pallida nox fuſcum deponit ſyrma, nec umbras
Nec poſthac tetrum præferet atra caput:
Qualis ubi cœlo cœcis horrente procellis,
Protulit auratam lucida flamma comam,
Nec mora, ſubſidit pelagi furor omnis, & omnis
Impetus, audaces jam poſuere Noti,

Cœ-

Cœrula pacato rident argentea vultu,
Et premit iratas molliter unda minas,
Pax redit, obſcuro redeunt ſua lumina cœlo,
Fulgurat aſſueto pulchrior ore dies,
Alcyones placidas paſſim luſere per undas,
Et ſolita delphin inſtruit arte choros,
Miratur natura ſuos cecidiſſe furores,
Ventorumque graves detonuiſſe minas;
Sic venis ô Augvste*; veni; tibi noſtra vacabunt*
Pectora, jam patulæ jam patuere fores,
Jam ſalit, & læto circum præcordia motu
Oſtia prorumpens oſtia quærit amor;
Veniſti noſtrum tandem decus, o bone Regum,
Una ſalus lapſis rebus, & unus honor,
Quantum optatus ades, quam te poſt impia lethi
Funera, poſt diræ vulnera mille necis
Accipimus læti, patrioque involvimus auro,
Et caros, cives ſternimur ante pedes;
Avia jam noſtros didicerunt luſtra ſuſurros,
Auraque, queis ſocias murmuret inter aves;
Plauſerunt valles, plauſerunt culmina, & ipſe
Non muto dominum flore ſalutat ager;
Ipſa tibi arrident alienis menſibus arva,
Et fluit irriguo lacteus amne liquor;
Jam pater autumnus, viridem qui falce receſſum
Incolit, arboribus concolor ora ſuis,
Is tibi pampinea jam nunc ſubluceт ab umbra
Baccatam æſtivo torridus igne comam,
Mox flavis fœcunda Ceres procumbet ariſtis,
Atque anni ſolvet meſſis adulta fidem,
Mox læta extabit ſaturis Pomona caniſtris,
Et roſeo undabunt ebria præla lacu:
Verte oculos, circumque tuos ſpeculare decores,
Qua patet in cunctos ſubdita terra ſinus,

Omnis amat natura novum revocare colorem,
Et nova primitiis condere ſecla tuis;
Auſpice te rerum meliorum ſurget origo,
Et ſociet terris aſtra marita fides,
Te duce Bellonæ furor occidet, & volet ultro
Tuta ſub auſpiciis Pax volitare tuis,
Et genus humanum patrio tranſcribet olympo,
Bellaque ad infernas exiget alma lacus:
Jam pia relligio bipatentibus addita templis
Accendit puris limina caſta focis,
Et poſitas aris leges Mars horret averni,
Tardaque perculſa promicat arma manu:
Ipſe tibi ſi cœde furens Mavortius horror
Ingruat, & ſævis aſperet ora minis,
Et ruat infido rabies Acherontica bello,
Armaque ſpe fraudis ſanguinolenta fremat,
Mox exarmato ſtabit captiva furore,
Et damnum terris non niſi juſſa feret,
Tu gravis armorum ſpoliis, ſordenſque decoro
Pulvere, ſublimi qua gradiere pede
Alte compoſtus curru formoſus eburno,
Auratis venies conſpiciendus equis,
Atque hoſtes rigidis evinctos colla catenis
Ante tuos cernes procubuiſſe pedes:
O tibi venturos cœlum modo proroget annos,
Et ſerus cupidis ſurripiare Diis.
Interea tibi terra ſuos ſubmittit honores,
Et ſubdit famulas Oceanitis aquas:
Quaque patent gelidi ſocio fulgore Triones,
Et bimarem Tethys Baltica lambit humum,
Auguſtum Boreas ſubſternit faſcibus orbem,
Et geminum ſupplex porrigit Arctos ebur;
Imus confuſum linguis & cœtibus agmen,
Ilicet ad voces turba parata tuas;

Ad

Ad nutus accincta cohors, quo juſſeris ire,
Seu fera ſigna tubæ; ſeu toga poſcat opem;
Te duce ſtat nullo indecores parere dolori,
Te duce ſtat ſævas exſuperare vices;
Stat caſus ſpreviſſe omnes, ſtat acerba malorum
Ferre, nec infernas pertimuiſſe minas.
Pectora nuda vides, unique obnoxia Regi,
Et corda unanimi conciliata fide:
Sponte patet, ſeſeque tibi ſinus obvius offert,
Quaſque habet e toto fonte refundit opes; (nes
Ingredere ô Princeps, junctim tibi pandimus om-
Urbs aulam, populus pectora, templa Deus.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro, (37)

PETRO RESENIO,

Urbis Hafniacæ Præſidi Magnifico,

In utroque Collegio, tam ſtatus, quam Supremi Tribunalis Aſſeſſori,

Canutianas illuſtranti leges. 1673.

Inter inundantes, queis cingitur undique, curas,
Quodque gerit vaſtæ non leve molis onus;
Antiquum ingenio luſtrat RESENIUS orbem,
Et ſeclum ſtudiis pignerat omne ſuis:
Quam bene in hoc leges & Regum jura recenſet,
Et recti fines, ac ſua ſacra docet,
Virtutes cuncti qui moribus exprimit ævi,
Et leges inter ſcribitur ipſe ſuas.
Excute Jaſones, & nomina Maxima Baldos,
Et Themidis myſtas, Treboniane, tuæ:
Hic mihi verus erit Juris dictator & æqui,
Qui facienda ſuos, vel ſine voce, docet.

 (38)

(38) Regi
CHRISTIANO QUINTO
Regna & ditiones ſuas
Prima per Daniam Supremi juris
hæreditate ſuſcipienti.
Præmittitur Orationi a Beringio habitæ
1671.

Suſcipe inocciduam, Rex, ſuſcipe, magne Coronam
Primam a ſtirpe Tibi: perpetuamque Tuis:
Cui Septem gemini ſubmittunt colla Triones,
Quaſque videt propior Mænalis Urſa plagas,
Cui Cynoſura polum; cui littora porrigit æquor,
Qua ſpatii metas Orbis, & Arctos habent.
Te populi Rex magne Ducem; te caſtra ſequuntur,
Et Dominum agnoſcit Pontus & unda ſuum;
Quos portus; quæ tecta vides; arceſque, rateſque
Et varium dextræ bellipotentis opus;
Adde togam; adde ſagum, & duplicis diademata Re-
Omnia; Fortunæ ſunt monumenta tuæ. (gni;
Imus inabruptum linguis & plauſibus agmen,
Ilicet ad nutus Turba parata tuos;
Pandimus o Auguſte, uni Tibi pandimus omnes
Urbs Aulam; Populus pectora; Templa Deus.

(39)

(39)

Auguſtiſſimo & Potentiſſimo

DANIÆ, NORVEGIÆ,

WANDALORUM,

GOTHORUMQUE

REGI

CHRISTIANO QUINTO

SLESVICI, HOLSATIÆ,

STORMARIÆ & DITMARSIÆ

DUCI,

OLDENBURGI & DELMENHORSTI

COMITI,

Domino ſuo Clementiſſimo

Inter plauſus & pæanas Civium publice

Diadema ſuſcipienti,

Decus, Adoreas, Felicitatem

P.

V. Berino.

1671.

QUis ille coccinea in Chlamyde diadematus Viator,
Qui fulmineum latere ſuccinctus enſem,
Qui capite radiatus cydari,
Et gemini regni fata expaſſa librans manu
Trajicit ſe per frequentiam populi?
Vultuque & inceſſu,
Et amœni oris gratia,
Quam omnibus affert felicitatem
Omnium oculis publica celebritate affundit?
Quis in flore juvenili,
Inter albeſcentis auroræ primos candores,
Cana jam maturitate Princeps,
Poſt ſuſceptum a Patre Monarchiæ caput,
Et regnaturæ poſt ſe ſtirpis ſtabilitam ſeriem,
Indecerpta hactenus Danis Laurea,
Primus ingreditur votorum apex,
Primitiæ dulces ſeſe attollentis regni,
Decuſque & ſplendorem, quantum terræ capiunt maximum,
Ad metas ſupremæ gloriæ,
Si tamen metas habitura eſt,
Novo Danici regni palladio,
Novo Sacramenti vinculo,
Non privata ſorte, quam publica,
Nec ſuis rebus, quam noſtris felicior, attollit?
Incedit ſolus, qui regnat ſolus,
Nulloque conſorte dignitatis,
Quod propria manu librat Sceptrum,
Uni ſiſtit Deo,
Qui unus dedit.
At ſine numero incedenti,

Majeſtas pro numero eſt:
Eo comitatior,
Quo, à tergo non aſpectabiles Angeli;
A Lateribus PIETAS & JUSTITIA;
Duxque omnium à fronte & rector Deus,
Novo poteſtatis fulcro,
Novo ſtabiliendæ felicitatis præſagio,
Spem ultra thronum promovet:
Teretemque præferens globum
Auguſtiſſimum in terris Supremæ potentiæ geſtamen,
Et Regem ſupra Rempublicam,
Et Rempublicam ſupra periculum attollit.
Hic comitatus CHRISTIANI eſt Regis,
Hoc Satellitio, hâc ſtipantium turba
In baſilicam infert pedem,
Eoque cultu, quem non à fortuna, ſed ſe hauſit;
Id eſt: pietate majore quam pompâ,
Domo publica recluſa, conſecrat ſuam:
Quique ſingulis diebus commilitonem experitur Deum,
Uno publicè profitetur:
Majeſtatem autem ſancit demiſſione,
Supra ſolium omne eminens, dum ante aras procumbit,
Et Regibus per orbem univerſis, ac ſe major,
Sed cœlo ſe minorem profeſſus,
Et infra Deum coronam, & infra ſe omnia reponit.
Nec aliorſum ſpectat
Ille ſanctitatis Regiæ luſtralis liquor,
Nobilis oliveti vindemia,
Qua vertex capitis, Prudentiæ ſedes;
Qua cordis receptaculum, pectus;
Qua in carpum deſinens manus,

For-

Fortitudinis miniſtra;
Sed præcipue animus delibutus Regi
Emolliet membra, quæ emolliverunt regni negotia,
Novoque palæſtræ ceromate,
Supra phialam Carnuti;
Supra ampullam Rhemorum;
Nunquam deficiente pretioſo latice,
Nunquam baccarum nobilium meſſe,
In poſteros omnes & ventura ſecula rivum diffundet.
Quam pulchrum ſpectaculum
Pietate per vicos ſparſa
Colit templa Princeps, olim colendus Templis,
Ut ſuperorum cauſam & mortalium uno actu abſolvens,
Non tam inaugurari ſolio videatur, quam cœlo:
Euge Rex hoc munere,
Facis hodie in publico, quod quotidie facis domi,
Offers populum tuum Deo,
Sanctiſſimiſque conſiliis, & noſtræ ſecuritatis obſidibus,
Omnia ſubmittis authori,
Qui omnia ſubmiſit Tibi:
Ut cœli viribus armatus & Tuis,
Partem gloriæ communices cum civibus,
Et cum regnum non poſſis, partiaris felicitatem.
Hoc pignore, Rex, alligaris bis Nobis,
Et pridem Daniæ Rex, nunc Danorum,
Non throno tuo, ſed pectoribus inſides noſtris,
Et uno, quod debes, in diademate,
Radios omnes pulcherrimi Circuli abſolvis:
Regnumque à Naturâ aſſertum fulciens Pietate
Ad divinam magnitudinem,
Quam proxima poteſtate repræſentas in terris,

Etiam cultu & amore populi accedis:
Et hoc illud anathema Templi eſt,
Quo non vexilla ad tholum & clypeos,
Sed te ad aram largiris:
Cui Sacrificio Sancto intereſt non viſa Dania,
Quæ nitens genibus & palmis conjunctis,
Subſtrata pulvinari tuo,
Subſtrata tapetibus,
In Diademate tuo defigit oculos,
Vadem ſuæ & arrham ſecuritatis,
Dividenſque officium inter admirationem & gaudium,
Quam in te veneratur publice magnitudinem,
Minime omnium privatim reformidat.
Et vidit jam illa, decurſum unius anni,
Regni tui ſurgentis incunabula
Præſentium ſupergreſſa invidiam, Poſterorum famam,
Cui æſtimanti ſpatium
Seculum complexus videris:
Vidit enim te
Compotem non prius regni, quam Gloriæ,
In curarum ingentium ſubiiſſe molem,
Inque illo potentiæ ortu,
Velut ponendo in ævum regno,
Molliviſſe per labores viam;
Excuſſiſſe forum;
Emendaſſe caſtra;
Stabiliviſſe curiam;
Quodque in principatu ſummum eſt,
Conſilio ſubjeciſſe fortunam:
Tuoque didicit exemplo
Magnos Principes raro ad clavum accedere Tirones,
Veræque virtutis nullas eſſe cunas.

Tu

Tu nempe in florida ætate,
Legibus Præſes;
Civibus Tutor;
Paternæque hæreditati datus Paterfamilias;
Patrimonium tuum tanta evexiſti curâ,
Ut qui nondum bis denos menſes, jam totum impleveris Regem,
Totque tropæis quot menſibus inſcribens titulum,
Secula integra, non annalibus, ſed anno, diſtinguas.
Hoc tantillo ſpatio,
Et Regnum Principi, & Principem donaſti regno,
Nec ſuſcipere alterum ſine altero voluiſti:
Pretioſa in re tanti momenti mora
Ut non tam hodie Regem, quam Fortitudinem coronares.
Jamque confragoſum illud ad regnum
Et ſcrupeum iter emenſus,
Illum ſpinis & tribulis conſitum primum tramitem,
Id eſt: Bis nobis, ſemel à Natura, nunc te datus,
Similis perpetuo Tui,
Facis ſemper, quod alii ſemel;
Utque bene agas, agendo conſecutus,
In ſinum tuum receptam depoſitamque Daniam,
Totque inſulas uno collectas Spiritu,
In medio fulcis Oceano;
Interque undas & fluctus,
In pelagi lubrico,
Figis ſoliditatem.
Quanta enim Rex Chriſtiane illa eſt armorum (ut cæteras taceam) gloria?
Quâ, pulcherrimo opere, & ut conſtet, Tuo,
Centuriatur pagana pubes,

Pro-

Producitur in arenam,
Et aliquid ſupra ſarcula,
Aliquid ſupra ſtivas & crambem edocta,
Nulliſque auctorata ſtipendiis,
Pugnat non ſegnius, quam arat,
Et eodem ferro terram colit & Regem.
Jam olim haud falsò creditum,
Salutem omnium in ſingulis eſſe,
Nec Saxorum aut cæmenti congerie urbes;
Non cortinis propugnaculorum & foſſis,
Sed civium fortitudine componi:
In hac munitur robur & felicitas regni;
In hac præſidium Rex tuum, & ſecuritas noſtra;
Ut tuo ductu tractent arma,
Qui tuo vivunt,
Inque hoſtem undecunque venturum parata
Ad tutelam cordis omnia membra exſurgant,
Eo cultu; eo apparatu,
Quem communis genuit ſanguis,
Quem communis patria:
Provehente virtute, quicquid aluit educatio,
Et confirmante uſu, quod Natura perfecit.
In hac officinâ vincula fabricantur hoſtium,
Et dum ſurgit murus Daniæ,
Suo ſanguine cæmentum maceratura Rebellio
Faceſſit in antra & ſpecus,
Titianoque immitior vulture ſuum ſcalpens pe-
ctus,
Perpetua ſolitudine
Contumaciam & rabiem deſpumat,
His auſpiciis rejuveneſcit Daniæ noſtræ Leo,
Et rejuveneſcit armatus;
Securaque regna, & jam bis tua componit:
Tua Rex,
Qui apud ſubjectos clementiam;

Am-

Amorem apud pares;
Apud hoſtes terrorem ſanciens:
Et Martem campis;
Et Aſtræam Tribunalibus;
Et Pietatem Templis:
Et Te omnium authorem, omnium vindicem largitus,
Civium Tuorum,
Aliquibus vitam;
Plurimis Famam;
Omnibus ſalutem;
Et hodie gaudium univerſis impertiris.
Uſque adeo publica Regum fortuna privatas in ſe continet,
Et cum unius propria eſſe videatur,
Omnium eſſe conſtat:
Prærogativa nobili Principum,
Ut in aliena ſeu bona, ſeu mala influant,
Nec ex ſua felices
Sed aliorum felicitate cenſeantur.
Satage o Rex,
Satage quod facis,
Ipſique inacceſſus Invidiæ,
Pretioſiſſimam porro vitam dona Daniæ
Dona velocem illam, ſemperque accinctam:
Et nunquam deſidem, aut ceſſantem ſedulitatem:
Quæ otium, velut ſpeciem mortis, velut Naturæ pudorem averſata,
Nobis pro clypeo,
Tibi pro teſſera erit,
Præſque venturi & fidejuſſor ſeculi,
Et præſentium cumulabit ſpem,
Et futurorum æternitatem.
Imus in omina, Rex,
Imus in vaticinia;

Et

Et futura invadimus, ſed felicia per te ſecula,
Eque geſtorum curſu gerenda metientes,
Jam velut è ſpecula obimus oculis
Illum perpetuum, & nunquam e familia tua abſceſſurum ſplendorem,
Regum per Daniam meliorum virtutibus,
Et omnium felicitati parem.
Figet in tua dignitate ſedem proſperitas,
Et lauream perpetuo lemniſcatam,
Inconcuſſamque ſeculis omnibus Majeſtatem,
Per temporum æternitatem,
Per ſpatia univerſi diffundet.
Cernis ut tuo ſereno adſideat Natura,
Ut aër flammis;
Ut cœlum præſagiis;
Ipſæque e gleba ignotæ voces,
Imperii tui auſpices,
Animoſum regno faciant augurium:
Ut tormenta lætum mugientia,
Et non niſi lampas una totus murus,
Æternæ lætitiæ & felicitatis imaginem adumbrent.
Cernis ut Dania Tua,
Quæ ſtare niſi cum te ſtante non poteſt,
Quadam quaſi lucta & repercuſſu amoris,
Qui primæ catenæ annuli tui ſunt,
Feſta gratulatione exſultet in capite,
Ut Matres, ut Conjuges, ut Filii
Novoque lætitiæ comitatu
Gemmantes pueri,
Succo prius tuo, quam materno adoliti,
Coronam in capite Tuo lucentem
Sequantur pro vexillo:
Ut circumcurſare; ut præcedere;
Viaſque, quibus ferris, obſtruere avidi;

Nullo

Nullo ſui, Tuive reſpectu,
Blandam tibi faciant injuriam
Contumacia gaudiorum.
Ut eamus, Rex; univerſi, ut ruamus in obſequium,
Hortatione non eſt opus:
Qui ſeu ante te, ſeu tecum, ſub te univerſi
Qua die in lucem, eadem in cultum editi,
Reverentiam nil detrectantis obſequii,
Quam cum lacte materno exſugimus Dani,
Candoremque & ſinceritatem, avitum gentis Symbolum,
Et cum principiis vivendi annatum amorem,
Offerimus, paciſcimur, pigneramus Tibi:
Eam fortunam
Quam tua dederit virtus,
Nec aliam deinceps habituri.
Age, Rex,
Æterna ſit hæc Sanctio,
Tecum felicitas noſtra, nec ſine te ulla,
Ut tua in pietate;
Sic Tuorum in animis ſtabilietur.
Civis certet amore;
Tu regimine;
Nullibi lucta regnante auguſtius,
Ut ſe victum ſentiat Neuter,
Uterque victorem.

AD

AD (40)
GRIFFENFELDIUM
Lugentem Uxorem defunctam. 1674.

Flete, licet, Muſæ, ſed nullum dicite carmen,
Dum ſtupet, & mœrens veſter Apollo tacet.

In Memoriam (41)
ELISABETHÆ HÖGH.
Conjugis Baronis HOLCHII. 1674.

Quænam hæc in eodem pectore nova eſt
Et maſculæ fortitudinis,
&
Delicatæ imbecillitatis pugna?
Ille indomiti Spiritus Heros,
Qui duas res per omnem vitam inexpugnabiles
habuit;
Pro Rege fidem;
Adverſus hoſtes fiduciam
Inter mortis Martiſque terrores,
Tam interritam periculis, quam pericula irri-
tantem;
Qui
Inter Tubas & Lituos,
Inter pilas ſariſſaſque,
Suo pariter & hoſtium ſanguine purpuratus
Luteam illam partem Noſtri,
Corpus vocant,
Et quicquid naturæ leges minantur,
Habuit infra magnitudinem animi,
Pugnaſſe ſe nunquam reputans, quod nunquam
oc-

occubuerit in pugna:
Jam extincta Conjuge,
Qui mortem provocarat in campo;
Timet in toro;
Quique cædes funera in ſub riſit corpore,
In alieno reformidat,
Invenit Fortuna, qua parte penetraret
HOLCHIUM,
Qua invictum ſterneret animum,
Qui nunc, velut rebus omnibus cum uxore amiſſis,
Defunctæ ſane ſimilior, quam ſibi,
Inter luctus & ejulatus,
Ignota Viro militari munia
Truci ſilentio & acribus oculis,
Fatorum incuſat injurias,
Et poſt hoſtes omnes
Cum ipſa natura rerum
Acre gerit & crudele certamen.
Magne bellator ubi es?
Ubi ille omnium capax, & cœleſtium contemplator Spiritus,
Aut, ſi profana juvant,
Ubi ultimus Alcidæ labor,
Qui bellatoribus debet eſſe primus,
Cujus moneris exemplo,
Ut qui cœtera viciſti, vincas dolorem:
Atque adoreas tuas & decora militiæ
Ad laborem in negotio;
Fortitudinem in periculo;
Induſtriam in agendo;
Celeritatem in conficiendo
Unam jungas
In tolerando Conſtantiam;
Feliciemque Conjugis memoriam,

Quæ

Quæ infelicem animum invadit,
Nec memineris unquam nimium,
Nec nimium obliviſcaris;
Non licet Tibi,
Quod cuilibet è plebe licet;
Militiæ baculus & illa faſcium dignitas,
Quæ te ſecrevit vulgo,
Obſtat Tibi, & intercedit luctui,
Ne omnibus Major uno te ipſo minor,
In quocunque dolore deprehenſus
Lugeas infra morem bellatoris.
Non moveri, fateor, non potes,
Quoties conjugem reſpicis,
Ingens virtutis non Fœminæ nomen;
Quæ
Pars ingens illuſtrium, ſui & omnis ævi, animarum,
Divitias ſine avaritia,
Honores ſine ambitione,
Voluptates ſine luxuria habuit,
Quas in unius Viri amore concluſit omnes;
Nihilque optare, niſi bonam mentem,
Nihil ſperare, niſi bonam famam ſolita,
Prodigium dedit terris,
Diu ſingulis poſſe, & ſemper omnibus placere;
Quæ denique,
Quo te uno unquam offendit,
Crudo abrepta fato,
Qualis moritur in Arabibus fatalis avis,
Peperit & periit;
Et Lucinam ac Libitinam;
Gaudia maxima & maximos dolores;
Tumulumque & Thalamum conjungens
Alienæ vitæ impendit ſuam,
Ipſamque Tori ſummam felicitatem

Infeliciſſima Tori fœcunditate funeſtavit.
At ab hac clade ubi averteris oculos,
Nil eſt, quod in tota vita tua lugeas,
Quamcunque ejus inſpicias partem;
Qui
Jam inde a prima ætate,
Nullis fracta illa aut emollita deliciis,
Velut in campum Martium vocatus
Cum principiis vivendi innatum gloriæ amorem,
Illamque nunquam deſidem ceſſantemque fortitudinem
Per Gallos; Batavoſque, per Rheni littora
Circumegiſti;
Magno nobilitatis Danicæ claſſico,
Cui erexiſti vexillum,
Et pulcherrimo docuiſti exemplo,
Quid præſtare Virtus quid gloria poſſit,
Ubi ad efficacem indolem
Perpetuitas laboris accedit;
A quibus redditus Patriæ,
Poſt armatorum Chiliadas & Tribunitias in bello vices,
Et non unam ampliſſimi muneris provinciam,
Cum laude & decore geſtam;
Chlamydem Loricamque
Toties vitæ tuæ ſudorem,
Velut per ſtipendia emerita,
Ad ſuprema militiæ decora trabeaſque perduxiſti.
Denique
Quid gladio potueris clypeo docens,
Supra avorum magnitudinem & imagines
Et illa late audita Nomina,
Nobilium idem hæres & Baronum genitor
Primus auſpex & Iſagogus diuturnæ ſtirpis
Lucem novam intuliſti familiæ.

Et,

Et, ut Tuam virtute,
Ita poſterorum exemplo erexiſti fortunam;
Ut conſtet
Generoſas mentes fata facere
Et non accipere;
Et quemlibet Fabrum eſſe &
Materiarium in ſua fortuna.
Agite pubeſcentes HOLCHII,
Tam celſæ ſtirpis generoſæ propagines;
Agite & grandeſcite veſtro Auctori ſimiles,
Curſu honorum inoffenſo
Tot dignitates emenſo;
Habetis Militiæ Ideam
Et exempla domi nata
Quo ire ardor Genitoris
Quo eniti induſtria potuerit:
Vos quales futuri eſtis
Virtutibus probate;
Ille oſtendit.

IN (42)
INSULAM SAMSOAM
1675.

Mitte tuas Nereu jactare per æquora terras,
Quas medio ſtreperis gurgite cingis aquis,
Seu Lemnum, Naxonve voles, patriamque (Thoantis,
Saxave piſcoſis Aſtypalæa vadis:
Sive ſolum natale Deis, natale Deabus,
Et tota Ægæo littora ſparſa mari:
Griffenfeldiacus ſupereminet omnia Pontus,
Atque SAMOS Domino facta beata ſuo;
Hic vera eſt Delos, hic veri Regia Phœbi,
Cui totum cedit Creta vel ipſa Jovem.

(43) In Effigiem
Ampliſſimi Viri
GASPARIS CHRISTOPHORI
SCHÖLLERI.

GASPARIS hic ille eſt; tuus o Norvagia Neſtor,
Qui ſenium, & puram junxit in orbe fidem:
Quam ſtirpi pro dote dedit; ſimilemque Parenti;
Ingenio replet poſt ſua fata ſuo:
Da canos Natura, &, quot potes, ordine ſoles;
His pretium virtus addere ſola poteſt.

---

(44) VIRO
Rerum æternarum Candidato
THOMÆ BARTHOLINO
diem feſtum agenti gratulabundus
accinit Vitus Bering:

I.
CUR SOLSTITIUM DIEM THOMÆ
STATIM INSECUTUM?

Dum ſol præpoſitos molitur in æthere curſus,
Et cœptos pergit continuare gradus:
Pone tuum ſtat, THOMA, diem miratur, & ardet,
Quod nequeat dotes antevenire tuas;
Vel ſtupet ad curſum, quem tu ſine fine pererras,
Seque dolet totum ſuccubuiſſe tibi;
Percitus igne ſacro cœlorum proximus ardor;
Incola magnorum fax animoſa Deum;

In-

Ingenium pernox; Virtutis ſacra libido;
Spiritus auguſto gutture grande tonans;
Tanta movent ſuperos. Per cœli lumina teſtor:
Aut hos, aut nullos ſol ſtupet ipſe modos.

II.

CUR FESTUM THOMÆ IN ILLUD IMPRIMIS ANNI TEMPUS RESERVETUR?

Cum longæ noctes declivo lumine, feſtum
Nec niſi ſub tempus ſolſtitiale tuum eſt.
An, quia partiris nocturno tempore curas,
Ingerit ingenio ſe polus ipſe tuo.
Tu tamen, o nimium generoſæ prodige mentis,
Incipe præcipiti tollere vela rati?
Anticipat poſitas nocturna moleſtia metas;
Si vis, ut parcant funera, parce tibi.

III.

CUR FESTUM HOC NOVUS STATIM ANNUS EXCIPIT?

Vidit, & Antilochum Te viſa fronte putabat,
Dum cernit Phœbus ſingula; Neſtor eras.
Neſtor eras, Virtute tamen, properabimus, inquit,
Jam nova mittetur præcipitata dies.
Tu modo perge dies, quamvis certaveris, ille
Ætatem vincit, te properante, tamen.

IV.

IN EJUSDEM INSIGNIA:

(1)

In Aquilam.

Alta tuus vidit genitor: Non altius ales,
Quæ petit in celſis aurea mella jugis.

 Igneus

Igneus ille calor, nativo ſemine ductus,
Non potuit mentem non habitare tuam.
Quod Patre ſis natus, minus eſt, quam gigneris ex te,
Scilicet hinc vis eſt fota, ſed inde vigor.
Ætheris ille Quiris, vel priſcæ fulmina Romæ,
Non Aquilam merito proſperiore gerunt.
Nobile depoſitum. Cœlo te dotibus inſers:
Εἴκελο ζεὺς Ἀετὸν· ὅστε σταυλὰ Θεός.

(2)

In Lunam & duodecim ſtellas.

Cynthia de cœlo faculis illuſtribus ardens
Competit in titulos, lux animoſa, tuos:
Bis ſex cœruleas non ingredientia flammas,
Sydera ſunt cœptis inferiora tuis:
Quantum igitur præſtat ſcintillans Luna tenebris,
Quantum plejadibus Lucifer igne præit;
Tanto vulgareis ſuperabis lumine ſtellas;
Denotat id clypei candida Luna tui.

(3)

Cur album Ejuſdem ſolum?

Dic mihi, cur niveam referunt inſignia formam,
Et non ſunt mixto ſanguinolenta ſolo?
Id vox ſacra facit veraci conſona menti,
Candor & innocuæ ſimplicitatis amor.
Labia mella rigas, & ſuavem nectare linguam,
Candidius cygnis & nive pectus habens.
Liba favis manant melicis tibi dulcia; & illa
Ut mixtis vernant lilia cana roſis.
Nudus amor neſcit fallaces ferre Chimæras,
Nudus, cumque dedit ſingula, reſtat amor.

Ad (45)

THOMAM BARTHOLINUM
de Nihilo ſcribentem.

Non poteris ſcripſiſſe nihil, doctiſſime rerum,
 Diſtat ab ingenio vox ea ſola tuo.
Nil vacui novit fœcundum numine pectus,
 Illa tuæ mentis neſcit inane ſeges:
Proruit, ingentique animus ſeſe indole prodit,
 Tunc quoque, cum mens eſt ſcribere velle nihil.

In Imaginem (46)

CHRISTIANI
D. G. Daniæ & Norvegiæ
Principis Hæreditarii.

PRINCIPIS hæc noſtri forma eſt, gaudete Nepotes,
 Veſter honor, veſter ſic adoleſcit amor;
Hæc eſt Arctoi, Lector, ſpes fulgida Regni,
 Martia Cimbrorum ſic parit ora Duces.
Sic pia fœcundæ reparant Diademata cunæ,
 Præſidiumque ſibi publica cauſa capit;
Fertilitas non ſola Aulæ eſt, hac creſcimus omnes,
 Spemque ſuæ Cives proſperitatis habent.
Hinc ſibi Relligio bipatentibus abdita templis;
 Hinc ſibi Calliope ſperat alitque Duces;
Hinc Mavors ſua caſtra ſerit: cape tela juventus
 Certaque venturis hoſtibus arma para:
En Dux, & virides creſcunt in prælia Lauri,
 Et Pietas, in quem noſtra recumbat habet.
Is pridem teneros virtute præoccupat annos,
 Acer & auguſtum carpere gaudet iter.

Et totum effinxiſſe Patrem vigor ille reſurgit
Martius, & tanti ſanguinis exſtat apex;
Emicat è Patrio volucris Titania nido,
Et fati auſpicium porriget omne ſui.
Hoc tamen Auguſti virtus feret Almá Parentis
Phœnicis ſenio poſſit ut ante frui.
Dum noſtri FRIDERICE nites, Sol maximus (ævi
Auroræ hæc facies non abeuntis erit.

(47) In Imaginem

CHRISTOPHORI DE GABEL.

Quo niti ſpatioſa queat, quo ſurgere Virtus
Et cunis poſſit celſius ire ſuis
GABELLI mens celſa docet, viſque inſita menti,
Materies Famæ ſola ſed ampla ſuæ.
Ætas, forma, vigor, ratio, fortuna, laborque
Ad laudes præeunt nomina tanta ſibi:
Extat at imprimis tot conteſtata per annos,
Quæ prior eſt titulis omnibus, una Fides.
Hac Duce legit iter, ſummoſque invaſit honores,
Inde ſuum accerſit, non aliunde decus.
Gloria, ſplendor, opes, rerum faſtigia, cenſus,
Omnia ſunt Domini mente minora ſui.
Tolle tuum fortuna tibi, nil deperit inde,
Ille ſuum, præter ſe, putat eſſe nihil.

(48) In Imaginem

HOLIGERI WIND.

Talis adeſt noſtri nova laus & gloria ſecli
Magnanimos fulgens VINDIUS inter avos,
i gazas regni ſolers moderatur, & auro
obilius quiddam pectore & ore gerit:

Seu

Seu ſtudia & ſtudiis potiorem reſpicis uſum,
Muneribus regni conſiliiſve parem;
Seu caſtos vitæ mores, nec inania famæ
Nomina, & intactas fraude doloque manus.
Qualiter Oenotrium fama eſt vixiſſe Metellum,
Intrà candorem ſemper, & inter opes.
Da curſum Fortuna Viro; da robur & annos,
Quoſque ſibi voveat mens ſpatioſa dies:
VINDIUS æternam vera in præconia famam
Reddet, &, ut poſſit reddere cuncta, Patrem.

In Imaginem (49)
ARNOLDI HUITFELDT.

Suſpice, quos ſpectas, HUITFELDI, Patria, vultus.
Talis erat Vindex nominis ille tui;
Qui ſeu commiſſi libraret pondera regni,
Et pacem pariter doctus & arma Senex,
Sive renaſcenti revocans cunabula ſeclo,
Conderet auguſtæ nobile mentis opus.
Aſſeruit præſens, elapſumque addidit ævum,
Et geminæ nobis cauſa ſalutis erat.
Quid geſſere alii, ſcripſit; quid geſſerit ipſe,
Æternæ ſtudium poſteritatis erit.

DN: STEPHANO JO- (50) HANNI STEPHANIO
Saxonem Grammaticum
edenti. 1644.

Hactenus externas tantum ſpectavimus arces,
Quæque peregrino ſub Jove nota latent:

Barbara Pyramidum ſi quæ miracula Memphis;
Si qua levis jactet culmina celſa Pharos;
Aut ſtruat invictos meretrix Babylonica muros,
Oenotrioque calent amphitheatra foro:
Miramur Dani. Turpe eſt curare Quirites,
Si faciant propriæ dememiniſſe domus.
Altius erigitur STEPHANUS: patriæque tiaras,
Et proavum illuſtrat ſecula priſca nepos,
Ecce iterum antiquum titulis ſublimibus ævum
Pullulat, atque nova luce reſultat avus;
Imperii redeunt tot faſces, ſigna, ſecures;
Et diadema ſuam vibrat in orbe facem;
Ingreditur veteres regalis adorea frontes,
Atque triumphalis tempora lambit honos;
Denique GRAMMATICO redit auguſtiſſima
Suada, paludatis invidioſa togis. (fandi
Laus STEPHANE illa tua eſt: ſecli penetrale re-
Authorem toto jam facis orbe capi. (volvens
Si quæ Pythagoræ conſtat reverentia turbæ,
Illa tuum petiit flamma diſerta ſonum;
Hoc fatale ſolum eſt; hæc tradux lingua potentis
Vocis; & hos habitat vox ſpatioſa Lares,
Quæ rediviva meat ſceptrorum fuſa per actus,
Et docto Danum flumine tollit ebur;
Hic eſt, hic dignus reparata voce cothurnus,
Et gravitas natam ſenſit adeſſe tubam.

(11) *EPIGRAMMA POSTHUMUM*

In laudem

SAXONIS GRAMMATICI;

Ingentis Hiſtorici, & optimi Patriæ Civis.

Verorum laudes; & linguæ grande ſonantis
Fulmen; & Arctoi ſceptra verenda ſoli;
Gram-

GRAMMATICI quod cernis opus; Quæque ore beato
Flumina facundi concaluere Viri.
Vidit Roma ſtupens: iterum pulſabimur, inquit:
Jam redit & tanto vindice Cimber ovat;
Auſonio Cimber nomen fatale timori,
Incepit Latio doctius ore loqui.
Imperio cecidiſſe leve eſt. Nunc ſceptra parantur
Eloquii, & Regni quæritur inde decus;
Majeſtas Romana tremit; Gentiſque togatæ
Roſtra peregrino ſuccubuere polo.
Sic eſt. GRAMMATICUM Dani veneramur Alumnum
Atque ipſi quicquid fertile lingua dedit.
Sive Aquilas & ſigna refert; animaſque capaces
Martis; Hyperboreo claſſica mota mari;
Seu Patriæ faſtos; uno dictator ab ore eſt,
Et Regale ſuum pulpita pondus habent.
Nos ſapimus commune alii: pendemus ab ævo,
Et novat inceptum proximus Author opus.
SAXO ſed emeriti ſublimior incola mundi,
In tenebris ſparſit barbarieque diem.
Eſt aliquid Latialis honos, & pagina Livi
Plus tamen eſt ſeclo deſipiente loqui.
Collige Roma Patres. Laus una eſt propria Pellæ,
GRAMMATICOque: ævi non habuiſſe parem.

Sub Effigie (52)
GEORGII BRAHE.
1661.

Talis erat noſtri facies manſueta BRAHÆI,
Ingeniique fidem blanda tabella facit:
Candor in ore, & candentes per tempora cani,
Sed magis in niveo pectore cana fides,
Qualem conſpexit Batavus, Germanus & Auſon
Et Tameſis ſtupuit Martia verba loqui.

Qualis & ille domi, complecti legibus urbes
Cunctaque in Antiquum reſtituiſſe decus,
Et ſanctum Patriæ ſtuduit præſcribere rectum,
Quaque patet, Regnum demeruiſſe ſibi:
Quid nivei mores, & mens ſibi conſcia recti,
Quid nuda integritas præſtet & alma Fides;
Qua candor mercede queat, Pietaſque placere,
Exemplar Virtus nulla, vel illa dedit.

---

(53) Sub

Topographia Urbis Hafniæ
a
PETRO RESENIO
delineata. 1675.

Talis adeſt gemini littus complexa profundi
HAFNIA, & invictum tollit ad aſtra caput,
Illa tui nuper felix, Mars, area belli,
Baltica cui vidit par nihil eſſe Thetis,
Quos portus, quæ caſtra vides, arceſque domoſque
Et varium genii bellipotentis opus.
Sunt Regis monimenta ſui, quæ maximus ipſe
Incolit, ingenii Numine plena ſui.
Sta fulta æternis Urbs inconcuſſa columnis
Reſenii docta vivere juſſa manu.
Auſpice quo tua forma novis nunc didita chartis
Pars pridem Patriæ, protinus orbis eris

(54)

In (54)

Chorum Sacrum

THOMÆ KINGO.

Hactenus altiſoni rythmos & carmina Riſti,
Et numeros Pieras quos velit eſſe ſuos,
Miramur Dani & peregrino aſſueſcimus ori,
Et bibimus rivos, Rhene ſuperbe, tuos.
Nunc Patrias KINGO genio locuplete camenas
Erigit & fato dat meliore frui.
Ille canit totumque trahit ad carmina regnum,
Et dulci eloquio templa domoſque replet,
Ut jam dediſcens fœdos vox publica cantus
Incipiat cœlo nil niſi teſte loqui.
Auſa ſuum cunctis Heliconem opponere terris
Ingenio vatum carminibuſque parem.
Heus ubi ſunt tua Magne Pater Tiberine fluenta?
Sequana ubi, & toto gurgite plenus Arar?
Nil Dantes, nil Laura tibi tuus ille Petrarcha,
Nil ſimile Oenotriæ tota caterva dedit,
Nil Odera, ingentique tonans Opitius ore,
Et quicquid Vatum Scaldis & Ya dedit.
KINGO nives ipſas, gelidamque illuminat Arcton
Et procul à Phœbo ſideribuſque canit,
Laudibus hoc vatum præcelſior omnibus unus
Pindum ultra, & cunctos Bellerophontis E-
Quo cœlum jungit terris, & flectit iiſdem (quos,
Inde homines metris, hinc pietate Deum.

(55) Sub Imagine

Reginæ

SOPHIÆ AMALIÆ.

Nil agimus Sculptor, minor eſt tua gloria cœpto,
Nullaque REGINAM ſiſtet imago tibi.
Pinge humeros, & pinge genas, & frontis honorem
Et bene quas poſſunt ſceptra decere manus,
AMALIA eſt quicquid non pinxeris: Exſerat ora
Invicta Pietas non temerata Fide,
Ingenſique vigor nullis conatibus impar,
Cimbrica cui vidit par nihil eſſe Venus,
Hoc vultu Regina micat, ſic pingitur orbi,
Sic Regni fulcit ſceptra decuſque ſui.
Quod nova proſperitas Aulam, quod Fata coro-
Speſque adeo longas inter adulta moras, (nent,
Non mirum eſt, Lector: PAX & SAPIENTIA regnant,
Et noſtro imperium cum Jove Pallas habet.

---

(56) Sub Imagine

Reginæ

CHARLOTTÆ AMALIÆ.

Emicat e rigido facies animoſa metallo,
Et vultum AMALIÆ parva papyrus habet,
Cui quondam æternos debebit Dania Reges,
Et ſeriem ſtirpis progeniemque ſuæ,
Hæc eſt, hæc noſtri, Lector, ſpes fulgida ſecli,
Quæ poterit ternas, vincere quarta Deas,
Diſſimilis tantum tribus una eſt, quod ſit in illa
Pallas blanda; humilis Juno; pudica Venus.

Sub Imagine (57)

PRINCIPIS GEORGII.

Hoc vultu cuperet, ſi poſſet, Gratia pingi,
Et ſimili, o PRINCEPS, ore referre tuum,
Cui patriis vernans creſcit virtutibus ætas
Ingeniique facit prima juventa fidem;
Jam pridem hoc ſeſe Pietas in pectore totam
Condit; & immenſo gloria corde ſedet;
Mars gladios; Bellona manus; Tritonia mentem
Commodat, ingenii Calliopea decus;
Tu PRINCEPS, decus omne tuis, tu gaudia rerum
Totque voluptates deliciaſque paris:
I modo, magnanimæ quo te rapit indolis ardor,
Et patrium illuſtra, quod facis, omne ſolum,
Tecum honor & ſeros virtus adoleſcet in annos;
Quæque ævi ſeries, hæc probitatis erit.

Sub Effigie (58)

ULDARICI FRIDERICI GULDENLÖWE.

Qualis laurigeras victricia tempora frontes
Monſtraſti populis, Urbs Tiberina, tuis.
Talis conſpicitur noſtri LEO fulgidus ævi,
Talis fulmineas projicit ore faces;
Quem pridem armatum venerata eſt Hiſpalis ora,
Et civem cupiit ſe genuiſſe ſibi,
Nerigo quem placidis jam nunc amplectitur alis,
Douraque Rectorem noſcit adeſſe ſuum.
Fortem, felicem, impavidum totque inclyta clarum
Nomina, ſed meritis inclyta facta ſuis.
Magnum eſt ortu ipſo Reges oſtendere, ſed plus
Debere & titulos & decus omne ſibi.

(59)

(59) Sub Imagine

EGGERTI ELERS. 1667.

Conſulis hæc forma ex EGGERTI. cætera fama
Per totam differt, qua patet Arctos humum.
Quem ſummos inter Helſingæ gentis honores
Fecerunt Virtus & benefacta ſenem.

---

(60) Sub Effigie

ERICI KRAGII

Regi Daniæ a conſiliis intimis.

Ardor, & immenſo nunquam depreſſa labore
Et nullo virtus cedere certa gradu.
Hos vultus, hæc ora gerit: Sic pingitur orbi
KRAGIUS, & veram monſtrat ad alta viam;
Hoc aditu ſibi ſtravit iter, hoc carpſit honores,
Magnaque, ſed meritis nomina facta ſuis.
Vive diu æternis mens inclyta vive diebus,
Et fruere auſpiciis, quæ facis ipſa, tuis..
Quo niti generoſa queat, quo ſurgere virtus,
Exemplum feræ poſteritatis eris.

---

(61) Piis Manibus

JUDITHÆ GYLDENSTIERN DN: TAGONIS TOTTII

defunctæ Conjugis.

* GYLDENSTIERNE *valet* AUREA STELLA.

Hactenus occiduo ſtellæ labuntur Olympo;
Nunc redit in ſuperas AUREA STELLA plagas.

Plus

Plus eſt, quod terris debet ſublimior æther:
Immortale rapit, qui peritura dedit.

Junge novas ad fræna faces, age Lucifer ortum
Profer, & auratos pecte decenter equos;
Sparge roſas per inane, ſacris occurre triumphis;
DIVA triumphales urget ad aſtra rotas;
Quantus, jo Superi, veſtris decor additur oris!
Quantus mortali cedit ab orbe nitor!
Terrarum JUDITHA decus, Juditha benignum
Sidus, & Arctoæ STELLA ſerena plagæ,
Surgit ad æthereum curru candente lacunar,
Et pingit radio lucidiore polum:
Quale nitet variis depicta coloribus iris,
Viſa præire imbres roſcida, viſa ſequi;
Talis abit, ſummoque volat jam libera cœlo
Picta ſinus puro lumine, picta genas:
Concolor auratis chlamys ardet eburnea flammis,
Et fluit ad niveos lutea palla pedes,
Tempora candenti ſurgunt redimita Tiara,
Et centumgeminum ſpargitur orbe decus;
Ignis habet vultus, ignis caput, ignis ocellos,
Ignis ab accenſo plurimus ore micat;
At chorus aligerum feſtis concentibus auras
Implet, & arguta talia voce canit:
Aſtra ſubis JUDITHA, ſubis cœleſtis Amazon,
Ætheris auratas conſpicienda fores.
Tecum læta fides, tecum pulcherrima virtus
Surgit, & arcano picta decore Charis;
Caſtus hymen, ſanctæque faces, porrectaque fron-
Integritas, nullos nectere certa dolos: (tem
Accelera dilecta Deo, tibi panditur æther,
Immenſas æther panditur inter opes,
Accelera, patet Aula tibi pulſata choreis
Aligerum, cœli lucida regna patent,

Fas

Fas tibi fas longum ſedes habitare beatas,
Æternumque tuo nomine poſſe frui.
Sunt tamen hæc JUDITHA tui monumenta triumphi
Prima, dabunt Superæ mox potiora plagæ;
Quam quondam immenſum pedibus ſubſternet Olympum,
Et totum involvet vita beata Deum;
Vita perennanti quæ ſecula protrahet ævo,
Et longa occiduum non habitura diem,
Annum ultra, Solemque ultra, cœlique labores,
Nullus ubi alterno volvitur axe polus.
Hæc olim. Interea juſſas age ſcande quadrigas,
Semper & aſpectu candidiore mica:
Qua te parte Poli, qua te Regione repones,
Subjicient famulas aſtra minora faces;
Ilicet Arctophylax, pulſuſque faceſſet Orion,
Ilicet, & toto Parrhaſis Urſa polo;
Te ſpectet, Boreale petit qui navita littus,
Solaque ſidereæ ſis Cynoſura plagæ.

(62) *E E S S U S*

In Obitum

JUDITHÆ GYLDENSTIERN, DN: TAGONIS TOTTII

Defunctæ Conjugis.

Occidimus. Sic infelix componitur orbis,
Et deſolatus luget ſua funera mundus,
Præfica terra ſibi eſt, totamque in triſtia molem
Porrigit, horreſcunt tenebræ, confunditur æther,
[illegible]uit in vetitos rerum natura liquores,

Et

Et ſeſe totam lacrimis debere fatetur.
Nuſquam plus hyemis, nuſquam ſic invida terris
Sidera ſubduxere FACES, tenebriſque profundis
Damnavere diem, nuſquam ſic bruma minata eſt,
Nec tam fatales terris nocuere Decembres.
Occidimus. Geminare juvat convitia cœlo,
Atque inter ſævos convexa laceſſere luctus:
Scilicèt illuſtres propera quod morte penates
Deſerat, & terras linquat JUDITHA nocentes,
Ira poli eſt; nunquam crimen manifeſtius æther
Induit, aut terræ tam ſævo teſte ſepulchrum
Arſit. Habet priſcum coeli ſolatia fulmen
Et mortis terra orba ſuæ, ſua funera ſaltem
Vidit & amplexa eſt mater, tum ſæviit æther
Mitius, ultrices ſenſerunt crimina flammas
Tum ſuperinfuſas. Creſcenti Pelion Oſſæ
Inque polum tentata via eſt, timuere paratus
Numina mortales, totum & vindicta tonantem
Exegit, juſtumque fuit cecidiſſe Gigantes:
Nunc facies diverſa mali eſt, Dis nulla moventur
Bella, nec hoſtiles agitant terreſtria dextras;
Et tamen horrificis, fulmenque fragorque procel-(lis
Intonat, & piceos irati fulminis ignes
Imbelles timuere animæ; calcantur iniquè
Rerum ſummi apices, & viles cuncta favillæ
Turba ſumus; teſtem te, Sancta Aſtræa, vocamus
Quæ caſus manſueta potes miſereſcere noſtros
Atque obitus rerum & miſeræ diſpendia ſortis.
Aſpicis Arctoi quam ſævo funere faſces
Ipſaque fœdatos ferali pulvere vultus,
Et poſitis ſine lege comis, & ſyrmate curas
Funereas teſtata graves, ſe patria damnet,
Deliciaſque ſuas, & nuper nobile cœli
Depoſitum, iratis queritur ſuccumbere Parcis
Et lacrimans cœlo reddit, quos accipit, imbres:

Sic etenim JUDITHA tuum venerandû cadaver
Condimus, & terræ vacuas committimus urnas :
Te tua plangit humus, cœlique in parte locatam
Exſultante videt patriis ſuccedere STELLIS ;
Ipſe tuus Conjux, terris venerabile nomen
TOTTIUS in veteres lacrimas, deſuetaque longe
Nubila, & indignos venerando lumine fletus
Nunc redit, infeſtant rurſus pia corda querelæ,
Et primus tentatur honor. Laſſaverat ille
Parcarum furias, ſpolioque ingente ſuperbus
Vicerat indecores calathos, totamque Sororis
Invidiam triplicis, quanquam convulſerat omnem
Quæque colum, tantoſque auſa eſt diverſa penates
Atropos, & Lacheſis, nec non ſæviſſima Clotho
Quæque ſuum partita nefas, partita furorem,
Funere quæque ſuo, & divinæ morte maritæ :
Ille tamen contra victor tot nobilis iras
Stabat & illuſtres tanto diſcrimine tædas
Tot buſtis ſupereſſe dabat: Te conjuge ſola
TAGO Triumphatis illudere cœperat iris
Et vires replere ſuas; Jam curia rurſus
Jam domus, & totum ſenſere Heroa ſecures,
Sed merito JUDITHA tuo, tu dulce Marito
Nomen, & emeritæ ſolamen grande ſenectæ
Tu curas placare viri, tu vota ſolebas
Fingere & inſtantes multum mulcere labores,
Magna Heroinas inter, magna inter avorum
Nomina, & exemplum Danis venerabile Nymphis
De Jove, deque Aſtris nunquam plus vidimus. At jam (STELLA
Vidimus! heu JUDITHA fuit, fuit AUREA
Inque ſuum rediit tam nobile ſidus Olympum.
Quid tibi vis Libitina tamen, quid pallida fruſtra
Ora; nec obductum lacerat mors irrita Numen,
Luminaque audaci nequicquam obliterat umbra!

Noſtra,

Noſtra, ſerenati qua ſtat plaga lactea cœli,
Candidior JUDITHA micat, & lumine puro
Haurit inacceſſos radiis mortalibus ignes
Defectus ignara pati; noſtra ardua cœlis
Nomine non falſo rutilans, circumque ſupraque
Fulgurat & lethi cœcas everberat umbras.
At tu ſancte ſenex tantis exercite fatis
Exequiiſque tuis, & multæ funere tædæ
TOTTI noſter honos, & Dani multa Senatus
Gloria, vince animum, nec tantam perde ſenectam
Quinta morte tui: Pars famæ nobilis illa eſt
Te ſupereſſe tibi; per mentem & tempora pulchra
Virtutiſque tuæ ſpatium, per gaudia noſtra
Te petimus, te per natos tua facta ſequentes, (eſt;
Vince animo quicquid Parcis cœloque peractum
Vince animo, dignumque viro, dignumque marito
Robur & adverſis imperdita pectora fatis
Hinc tandem revoca, vireſque a vulnere durans
Falle, potes, ſortem, teque his procul eripe curis.
Qualis ubi incurrens tempeſtatem obvius atram,
Dat rutilum nimboſa caput ſub nubila Phœbus
Nec tamen ætherei curſum ſervare laboris
Immemor, obſcura furtim ſubluſtris ab umbra
Obducto regit ore diem, & ſua tegmina fallit.

Sub Effigie (63)

Dn. Vice-Cancellarii
OVIDII JULII.

Nomina, Roma, tua & magnorum fata Quiri-
Et quicquid virtus contulit una tibi, (tum
Partimur tecum Dani, noſtroque ſub axe
Nomen & immenſum Julius omen habet:

Qui

Qui nexus, & pacta foris, & mutua Regum
Fœdera, nativa conciliata fide,
Atque domi cunctos in ſe collegit honores,
Ingenio tanto, conſiliiſque pares: (nactus,
Quæque ingens laus una Viri eſt, moderamina
Integraque invicta Regna tuenda manu,
Non domuit totum; ſed juvit moribus orbem,
Cæſareoque aliquid nomine majus habet.
Hic nil, Brute, tibi eſt: Vitiis intactus & ira,
Et cœlo & mundo judice ſemper erit.

(64 D. O. M.

PETRUS RESENIUS. JOH. FILIUS JOH. NEPOS.

Poſt peragrata viridioribus annis nobiliora Europæ Regna,
Hiſpaniam, Italiam, Gallias cum inferiore & ſuperiore Germania
Redux in Patriam
Fas commune & ſanctiones publicas
Profeſſus eſt in Lycæo, & adminiſtravit in urbe
Raroque in Danis, ſed non primo Exemplo
Profeſſor & Conſul
Ita Juris ſibi adſcripſit titulos, ut facto exerceret.
Supra quæ multis Regio mandato aſſidere
In ſupremo dicundi juris Senatu & Tribunali juſſus
Nullo in Republica gerenda faſtidio, negotiorum nullo
Bonum unquam ſuum diſtinxit à publico
Nudaque fide & nil obtendente moribus
Avito Gentis Symbolo

Ta-

Talem ſe exhibuit civibus: qualem ſibi hodie optat Deum:
Uxorem duxit ANNAM MEJERAM Holſatam
Cum qua pro ſtirpe & Poſteris Amorem legat
ò Patria
Et hoc quod cernis lapidis!
Quod unum ex mundo aufert Sibi;
Si quid ſupra hunc erit, dabit fama:
Aut, ſi hæc ceſſet, Deus.

(Nepotem
Quiſquis Avum, Patremque legis, nunc cerne
Et da candidius, ſi potes, orbe genus.

In Effigiem (65)

CHRISTIERNI
Comitis in RANTZOW
Domini de Bredenburg & Regi Daniæ &c. ab intimis conſiliis.

Magnanimum genus, invictamque ab origine gentem,
Magnaque, ſed meritis nomina facta ſuis
Suſpice Spectator. Sic ſe RANTZOWIUS orbi,
Exhibet, & magnos eminet inter avos,
Ille ingens meritis, & Regni fata revolvens;
Ingenio illuſtrat ſe Patriamque ſuo;
Seu Regis mandata foris, & juſſa capeſſens
Extera facundus regna ſequeſter obit,
Munia ſeu ſuprema domi, cunctoſque labores,
Et tantæ librat non leve molis onus, (que,
Dum rerum numeroſa ſeges, dum terra fretum-
Cumque foro & caſtris Curia poſcit opem,
Offi-

Officium pariter populo partitur & Aulæ,
Et geminis magna ſe ratione probat:
Quantum eſt inter opes, inter tot commoda ſor-
Ut Patriæ poſſit vivere, nolle ſibi. (tis,

(66) In Imaginem
CHRISTIANI ALBERTI
Epiſcopi Lubecenſis Hæredis Norvegiæ Ducis Schleſwici & Holſatiæ.

Suſpice devinctum gemino tibi pignore nomen,
Et clarum faſtis Dania junge tuis,
Quod gerit, ille ſui Princeps celſiſſimus ævi,
Ille Themi, ille tuum Calliopea decus.
Qui Sliam primus docuit reſonare Camenas;
Et traxit cunctas ex Helicone Deas:
Cujus inacceſſam vitiis & ſordibus Aulam
Ambit inauratis Gloria vera rotis.
Ingluviemque procul, fœdoſque ſaceſſit amores
Et nomen quicquid impietatis habet:
Hoc ſatis ad laudem: quo ſi majora ſuperſunt,
Principis haud, Lector, crede ſed eſſe Dei.

(67) Sub Effigie
JOHANNIS GEORGII III.
Saxoniæ Ducis.

Sic ſanguis Witikinde tuus, ſic Martia proles
Pingitur, & magnos ardua ſpirat avos:
Da dextram, Da Saxo fidem, da pignoris arrham,
Quæ te felicem, nos quoque cauſa facit;

Lux eadem affulget geminis, ſors erigit una
Speſque eadem ſecli pone ſequentis erit,
Oceano coit Albis, & aurea verſat in æquor
Flumina, & unitis fœdera jungit aquis.
Ingredere Arctoum auguriis felicibus orbem
Saxoniæ ô potior ſpeſque, decuſque domus;
Quem virtus, quem Dia fides, quem Pronuba Juno
Nunc noſtrum faciunt, noſque amor eſſe tuos.
Hæc populi, hæc Procerum vox eſt: hæc Maxime Princeps,
Quod cernis, cupiunt ipſa metalla loqui.

In Imaginem (68)

MAGDALENÆ SIBYLLÆ

Electoris Saxonici Conjugis.

Exprime, ſi potis es, fulgentia lumina Pictor,
Et caput, & ſacri verticis omne decus.
Sic venit, & noſtras Princeps beat inclyta terras,
Magnorum Genitrix ſuſpicienda Ducum,
Cum qua, poſt clades, poſt ſæva pericula belli,
Claſſica, & ardentes, Martia ſigna, tubas,
Pignus Pacis adeſt, Repetitque Modeſtia terras,
Et graditur tuta cum Pietate Fides,
Alma redit, redit alma ſalus, atque omnis amorum
Caſta cohors noſtris otia ducit agris:
Sic ſtipata venit noſtrumque adnavigat æquor
Saxonici Rectrix relligioſa ſoli,
Et ſacro Arctoum ſibi fœdere pignerat orbem,
Atque inter ſocias eminet ipſa Deas;
Vos modo, Vos Charites, & juncta ſororibus octo
Sterne ſalo faciles Calliopea vias,
Ducite Delphines choreas, jam denique caſtum
Advehitur veſtris Numen amoris aquis.

(69) In Effigiem

LUDOVICI XIV

Regis Galliæ.

Sic vultus, ſic ora gerit, ſic pingitur orbi,
Et populis coram conſpicienda venit
Auguſta rerum cum Majeſtate poteſtas,
Qua nil terrarum grandius orbis habet.
Imperium LUDOVICE tuum, & tua mentis ima-
Regnorum ſpatiis non minor una tuo: (go
Finiit hic Natura ſuas, Fortunaque metas,
Et campum ingenio fata dedere parem;
Quo ſuper & terras, ſuper æthera & undas,
Auguſti punctum nominis omne reples.
Creſcite Borboniis felicia Lilia campis,
Certa ſub hoc vobis Principe Palma viret,
Qui ſuperum pietate datus, Dis proximus ipſe,
Deſuper e cœlo, non aliunde, venit.

---

(70) In Imaginem

CAROLI II

Magnæ Britanniæ Regis.

Sic triplicem celſi diadematis explicat orbem
Sceptraque magnanima geſtat avita manu,
Exemplum quem grande ſui CONSTANTIA
fecit,
CAROLUS, auguſtæ ſpes recidiva domus,
Qui nunc tot furiis, ſtrepérique fragoribus orbis
Altior, immenſum tollit ad aſtra caput:

Actum eſt, o Fortuna tibi. Nil denique reſtat,
Ille ſui finem repperit, ille tui;
Cauſſa hoſtes; cœlos animis; Elementa labore
Fregit, & abrupti flebile Martis opus:
Jamque regit lætam miti moderamine gentem
Enſe potens, verum vindicis Enſe Dei,
Ac Patriæ aſſertum magnis virtutibus orbem,
Et ſua, vel cœlo judice, regna tenet.
Claude oculos Natura parens. Sic ſurgere gaudet
Mens clara, & fatis celſius ire ſuis,
Pervadit, fortiſque vias tranſverberat omnes,
Obſtructumque ſibi gloria pandit iter:
Det ſtirpem fortuna, det oſtrum, regna, tiaras,
Amiſſas Virtus reddere ſola poteſt.

Sub Effigie (71)

PETRI REEDTZ,

Cancellarii Regis Daniæ &c.

Suſpice prælluſtres vultus & lumina Lector,
Quicquid & in trabea cultior orbis amat;
Sic Patrium illuſtrat magnis virtutibus orbem
REDZIUS & claros ponere linquit avos;
Ille cui Themidis data vis, legumque poteſtas,
Aonidum Rector magnus, & ipſe ſui;
Hic poſuit doctrinæ ſuas, & gloria Iaurus,
Hoc tota Aſcræa eſt, Cyrrhaque tota loco,
Conjungit pariter Regum Phœbique labores,
Et laudem doctæ nobilitatis habet.
Plebs annos numeret; meritum numeramus in illo
Et quicquid virtus contulit ipſa ſibi,

Quo florens fortuna viri ſe ſurrigit ortu,
Et pretium famæ non morientis habet.
Hactenus hæc Juvenis; ſi quæ majora ſuperſunt
Spem Deus, & virtus menſque animoſa dabit.

(72) In Imaginem
CHRISTOPHORI A KÖRBITZ
Regi Daniæ a Conſiliis intimis.

Inclyta Saxonicæ proles & adorea gentis,
Nec nova jam noſtri gloria, ſpeſque ſoli
Spectandum præbet ſic ſe CORBITZIUS orbi,
Atque patet media non niſi parte ſui:
Pingere vis totum? Candorem pinge, Fidemque
Et cunctas animi nobilioris opes,
Et vim, conſiliumque animi; ſeu publica regni
Munia, ſive ſagum; ſeu toga poſcat opem.
Os adde, eloquiumque, & cultæ pondera linguæ,
Nata beare homines una, beare Deos.
Hæc erit illa viri nunquam non integra imago;
Namque aliter totum pingere nemo poteſt.

(73) In Effigiem
HILARII HOLK,
Croneburgi Præfecti.

Sic gaudet terris auguſta in luce videri
Præmiaque ign vis non adeunda capit,
In Regem inconcuſſa Fides; & maſculus ardor
Pectoris; & ſolers ac ſine fine labor:

Non

Non ultra Bellona ſuas exporrigit alas,
Non ultra quo Mars progrediatur habet,
Quam ſi cum lituis, non fractæ robora mentis
Jungat, & invictas cum ratione manus:
Hæc illa eſt laurus, ad quam pertingere virtus
Nulla poteſt, HOLKI, vel tua ſola poteſt.

In Imaginem (74)
Baronis
OLAI ROSENKRANDZII.
1673.

Projice fraxineam procul Ægida Pallas & haſtam
Nil fera ſigna Tubæ; nil tibi bella nocent:
Nobilitas Tua caſtra petit; Te ſuſpicit inter
Armorum raucas Martia Turba minas;
Stat ROSEKRANDZIADES, Cunctaſque edidiſ-
ſerit artes,
Et quæ nos reliqui diſcimus, ille docet,
Totque inter Titulos, Equitiſque & ſtirpis hono-
Conjungit totum Martis & Artis opus. (res,
Enumera antiquas, Heroum nomina, mentes,
Quaſque tulit Latium; Græcia quaſque tulit:
Hoc pretio famæ, ſuper alta cacumina vectæ,
Nominis æternum promeruere decus.

Sub Effigie (75)
DN: CONRADI ADELER
D. Marci in Supremo Senatu Equitis,
Rei perDaniam maritimæ ſupremi Præfecti.

Hæc AQUILÆ noſtri forma eſt; hoc militat ore
Martius, & mediis belliger audit aquis,

Balthica qui Adriaco commiſcuit æquora ponto,
  Et gemino victor ſuſtulit arma mari,
Quem tremuere Ducem lunatis agmina turmis,
  Et Mars Odryſio vidit in orbe parem.
Talis erat Trompi pelagum moderantis imago,
  Hæc ſpecies Heini belligerantis erat:
Quos titulis noſter, ſimul & Natalibus æquat,
  Claraque bellorum præmia jactat Eques.
Quid ſpectas natura? juvat tranſcendere cunas,
  Et fati auſpiciis altius ire ſuis:
Aſſerit hanc animoſa ſibi ſolertia palmam,
  Nil ſibi mortalis vindicat inde Pater.

---

(76) In fine

Gratulatoriæ

ALBERTI BARTHOLINI

De Solio Regali

FRIDERICI TERTII

Regis Daniæ &c. 1649.

Solvimur. Impulſam ſævis Aquilonibus Arcton
  Placat, & irato ponit ab axe furor;
Ceſſit hyems, ceſſit Boreas, piceæque tenebræ,
  Et conjuratis pallor & umbra minis:
Frangit inacceſſam FRIDERICI purpura noctem,
  Et circumfuſum nubila vincit ebur;
Fulgurat, & late cœcas everberat umbras,
  Et nitidum revocat candida mitra diem.
Solvimur. Et fœdos defuncto Principe vultus,
  Et querulos leſſus expiat alba dies.
Miſcentur cunctæ lætis clamoribus urbes,
  Et placidas circum ludit oliva comas;

Sacra vaporatis fumant altaria flammis,
Et Pietas populos ad ſua templa vocat.
Plaudite quiſquis ades. Tuque o mitiſſima plaude
Progenies magni non dubitanda Patris,
Verba præi, BARTHLINE, & gaudia noſtra fare,
Gaudia tam longos inter adulta metus,
Effuſum ſequimur linguis & vocibus agmen,
Et Patriæ canimus, quo licet ore, Deos;
Spectabunt ſeri ventura in ſecla nepotes
Ire tot applauſus, ſed prius ire tuos.

In Imaginem (77)

HENRICI RUSSE

Supremi vigiliarum Præfecti.*

Sic præfert vultus nullis cataphractus in armis
RUSSIUS, & totus, qua patet, ore ſuo eſt;
Qui formas Caſtrorum omnes edoctus & artis,
Et varium dextræ belligerantis opus,
Scripto idem, gladioque potens ſibi pignorat orbem;
Et ſeclum ingenio provocat omne ſuo.
Redde viro Mavors, Heroum inſignia, laurus,
Et famam auſpiciis, quam dedit ille, tuis.

* *General Major.*

Aliud in Effigiem Ejuſdem. (78)

Quiſquis es, & pigram terram, plebemque perosus
Munera Fortunæ nobilioris amas,
Quem ſpectas, Venerare virum, cui tota remiſit
Roma ſuas artes, Græcia tota ſuas,
Vindice quo vires perdunt tela omnia belli
Et tormenta ſibi nil niſi nomen habent,
Ille arces, & caſtra tuo Mors ſæva furori
Objicit, & genii bellipotentis opem,

Ille rudi limo Naturam dedolat omnem,
Atque ſuis ſubigit cuncta Elementa locis;
Jupiter ædificat, ſed munit RUSSIUS orbem,
Quodque alter condit, perficit alter opus.
Quam merito Bellona tuis hunc induis armis,
Qui totum jungens Martis & Artis opus
Tantum Scipiadas ſolus ſupereminet omnes,
Quantum Mars Muſis cedit, & arma togæ.

---

(79) Sub Effigie

DN: TAGONIS TOTTII

Regni Daniæ Senatoris.

Quos cernis, venerare oculos, & lumina, Lector,
Oraque grandævi ſuſpicienda ſenis,
Nobiliora latent, ſola eſt quæ cernitur umbra,
Diſſimulat totum nuda tabella virum,
Cernere vis illum? regnum, fora, caſtra, Camenas
Excute, cuncta ſagi munia, cuncta togæ,
Hic totum aſpicies, qualem ſe prodidit orbi,
Ingeniique dedit nobile norma ſui:
Utrumque & dextra, & facundæ fulmine linguæ,
Quæ dicas facere, & dicere, quæ facias.

---

(80) Nuptiis

M: CHRISTIANI NICOLAI

Aarhuſienſis Canonici & Paſtoris,
Amici ſuaviſſimi &

HELENÆ MARTINI,

Magni Patris filiæ, ſponſæ. 1642.

Dum fervent toto camerata palatia cœlo,
Et quaſſat rabidas flamma ſuperba faces;

Bra-

Brachia dum torrens tendit flagrantia cancer,
Circinat & rutilos orbita toſta globos;
Totaque ſcintillis ſuperum ſuccenditur aula,
Et calido Phœbi regnat in axe furor:
Æmula flammivoras opponit Cimbria tædas;
Et pudor eſt cœlo poſtpoſuiſſe jubar.
Cernis ut ardentes depaſcat flamma medullas,
Atque maritali corda ſub igne liquent;
Cernis ut incumbat reſolutis oſſibus æſtus,
Curaque detoſtum vulneret alta jecur.
Incepit magnæ ſpirare incendia noctis,
Et totus terris cum face ſerpit Amor. (pande
Progredere o HELENE? totque o tot numina
Ut patriam ſuperes Nympha decora nivem;
Quam caſtigati volitent per labra colores,
Quamque repurgato candida colla ſinu:
Dulce natet ſuper ora decus, ſoliſque laceſſat
Lumen, & ingenti ſtillet ab ore rubor!
Erraſtis Perſæ? non ſunt tot lumina Phœbo,
Cum volat, & niveo purpurat axe diem:
Vidimus hunc nuper lentos egiſſe caballos,
Præcipiteſque polo detinuiſſe rotas;
Credite: felici pro virgine ſuſpiravit,
Et doluit cœlos non genuiſſe parem.
Tu modo flammantes Titan compone jugales,
Luxurietque vagis candida criſta comis:
Prodiga cœleſtes inflammeat atria tædas,
Incendant omnes pulpita celſa Deos:
Plus jam in terris ſcintillavere calores,
Et plus quam Phœbi lampades urit amor.

(81) In obitum

DN: OTTONIS TOT,

Regni Daniæ Senatoris.

Epicedia.

SCAZON.

1656.

Manes beati, tuque Municeps coeli
Mens clara TOTTI, quæ negata jam terris,
Mundique fœdis expedita cancellis
Tumultuantem cernis orbis Orcheſtram,
Et nos Tragœdos, fabulaſque, quæ dantur,
Sublimiore tuta ſede deſpectas:
Ubi multa diſcis, quæ negata ſunt nobis,
Et multa neſcis, quæ profana nos ſcimus,
Et civitatis jura perſpicis magnæ,
Opeſque luſtras neſcias vetuſtatis.

Si celſus hiſce condolet malis æther,
Superoſque tangunt mæſta verba viventium,
Hos ſume queſtus, conſciaſque virtutum
Voces tuarum, noſtra quas tibi Pallas
Inerudito triſtis ingemit leſſu.
Plorant dolores cæteri; ſtupet præſens;
Cyrrhamque claudens, pallidamque Pyrenen
Haurire ſacri fontis impedit lympham.
Quin ipſa frontes irrigans Poëtarum
Libethra rara labitur dolens gutta,
Beata nuper, nunc miſera & dolens Conjux
Socium repoſcit, exprobratque naturæ
Diſrupta lecti vincla & horridos caſus:
ulſa Pallas, præſtes alma Muſarum

Bel-

Belliquæ Mater, dum cadaver adſpectat
Innoxiumque tumuus, & pios Manes,
Irata fatis tetricam Ægidem læva
Abjectat excors; dexteraque belliceam
Diſrumpit haſtam, condolenſque languicit;
Tumulo ſepultum, ſeculoque ſubductum
Illuſtre regni nomen & decus gentis,
Stirpemque bellis, totque adoreis claram.
Quam ſecla memorant inter & tubas Martis
Muſiſque grandes pacis atque bellorum,
Geſſiſſe pugnas, arma, publicum modum
Donaſſe famæ geſta, & quicquid excellens
Mortalitatis lege ſolvit Heroas.

Germanæ priſcæ fortitudinis proles
Beate TOTTI, cui vices dedit ſuadi
Claramque ſedem in Orcheſtra decus ſummum,
Et dignitatis celſa jura tranſcripſit
Rex FREDERICUS, ille triplicis regni
Boreique ſplendor orbis, alma poteſtas
Populi potentis, imperique majorum:
O vera proles undecunque virtutis
Et non caducis per remiſſa fortunæ,
Quo thure TOTTI, qua tibi novenarum
Chorus Dearum, aut quiſquis eſt Caballinæ
Sititor undæ, victima dabit ſacrum?
Qui oſor ſuperbæ mentis, & ſtolidi faſtus,
Fœdique luxus, improbique livoris;
Facilis minori, ferre doctus æqualem,
Majoribus ceſſiſſe, diligi cunctis;
Comis, benignus, veritatis Aſſertor,
Et æquitatis, & modeſtiæ ſummam
Cœlo intuliſti conſcientiæ laudem.

Talis fuiſti, quodque laudis eſt ſummum

 Spre-

Spreviſſe poſſes, quos ſtupemus applauſus.
Nunc occidiſti, ſeculoque ſubduxti
Intaminatam labe ſeculi mentem
Et quicquid orbis hic fovet tenebrarum
Et quicquid hic ſordeſcit aut ſitu fœdum eſt;
Dum nos moratur pigra corporis moles
Animumque glebæ affigit, & ſolo mentem,
Crepundiisque ludicrisque curarum
Vaniſque miſeri næniis fatigamur:
Tu humum peroſus, ſeculumque quod fluxit
Felicitatis occupans tuæ portum,
Terris dicaſti famam, Spiritum cœlo.
Dum grande pectus, anima fœta virtute
Solertiæque perſpicacis exemplum
Pererrat orbem; neſciumque contemptæ
Mortalitatis nomen inſerit faſtis,
Quod fata cœlo, fama conſecrat terris.

I.

Candida cui ſemper vultu fortuna ſereno
Riſit & in gremio fovit amica ſuo;
Hunc propere ad Superos rapiunt ſibi numina. (Quantum eſt
Et mundo & cœlo teſtibus; eſſe bonum.

II.

Quid locuples fortuna ſolum metiris & undas,
Inque ſolo quicquid cernitur, inque ſalo;
Quid titulos numeras, claraſque ab origine gentes,
Quæque retro a proavis ſtemma decuſque fluunt:
Omne hoc faſtidit, tenuit qui TOTTIUS omne
Quod meruere homines, vel tribuere Dei.
Qui nunc poſt cineres & condita membra feretro,
Sub pedibus terras, & tua regna videt:
Quot poſſedit opes, & terræ jugera, ne quis
Miretur: Dominum plus fuit eſſe ſui.

Pri-

Priſca fides priſcique tenax conſtantia recti
Et certa in fixo mens pia ſtare gradu,
Par animus ſorti, cenſuque excelſior omni,
Qualia viventis ſic morientis erant:
Hoſpes ades, tumuloque virum nunc denique victum
Quod dolor, & morbi non potuere, vides,
Quid tibi vis Libitina tamen? quid denique jactas?
Ille ſui finem repperit, ille tui.
Jamque alios vultus, gerit altera TOTTIUS ora,
Claraque mens tumulis ſtat rediviva ſuis,
Fama per immenſam late diffunditur Arcton,
Quam procul hinc tellus inde dat unda viam.
Quid querimur raptum? mens eſt qua vivitur, & quod
Fata negant, ſolers gloria pandit iter:
Hoc diſtant terrena polo, cœleſtia terris,
Illaque cum pereant, non habet iſta modum.

III.

At jam grandævo pro! diſceſſere parenti
Omnia, quæ propter vivere dulce fuit.
Quam tibi, magne Senex, animaque hac carior ipſa,
Quam tibi nos humilis turba feremus opem?
Nil tibi ſuccurrat, niſi tu, niſi propria virtus
Et mens æquanimi non labefacta gradu:
Exemplum te grande ſui Conſtantia fecit,
Quid valeas, virtus hæc didiciſſe volet.
Vince animum, & ſatiare malis, & comprime luctus
Neu tibi ſit tanti dememiniſſe tui;
Vive diu, natique annos ſuperadde tuoſque,
Aut tibi ſi non vis vivere, vive tuis.
An tibi cur fera mors indat ſua nomina neſcis?
Cui par e cœlo nomina ferre foret?
Numidico devicta dedit Nomas ardua nomen,
Quod tibi magne Senex mors ſuperanda dabit.

(82) In obitum

OLLEGARDÆ HUITFELD *

Conjugis

JOACHIMI GERSDORPH.

1656.

Nunc ſolæ ſplendete nives. Nil vellere veſtro
Candidius poſt hæc funera portat humus,
Æmula formoſi, perit æmula magna decoris,
Et campo candor deficit ipſa ſuo,
Candor in ore, in nomine, toto in corpore candor
Albenteſque genæ, candidulæque manus.
Candida ſed mage mens, niveique in pectore ſen-
Et puros virtus intemerata ſinus. (ſus,
Ergo ſolum fœdare placet? noſtramque tenebris
Damnare, o facinus! trux Libitina diem?
Ergo ſuum perdet mœrens natura ſerenum,
Obſcuruſque premet nomina tanta cinis?
Actum eſt, proh! rigido recubas OLEGARDA fe-
Penſaque fatales explicuere coli. (retro,
Actum eſt! nil thalamus, fortunatique penates,
Nil juvat auguſta prole beata domus,
Caſtus hymen, ſanctæque faces, porrectaque fron-
Et niveo vultum lumine picta fides; (tem
Nil vigor ingenii, nullis conatibus impar,
Et mens divitiis celſior ipſa ſuis;
Jam ſpecies formæ, jam Dis æquanda juventus,
Balthica cui vidit par nihil eſſe Venus;

* *quaſi Candidus Campus.*

Quæ

Quæ porro, ô Pietas, quæ poſt hæc nomina reſtant
Arbitrio ſævæ non temeranda necis?
Olim abiit facer ille furor, tripodeſque tacere,
Nunc querimur Nymphas Pierideſque mori.

Memoriæ (83)

SOPHIÆ BRAHE

Conjugis

HOLIGERI ROSEN-KRANTZII.

1649.

Invenitur in Oratione funebri TORMII.

Ite Deæ exequias. Buſtum ferale pudori
Condimus, & caros plangimus ante rogos,
Occidit heu! pulchroque nihil de murice reſtat,
Et rubor in toto non habet ore locum,
Occidit, & roſeum non jam reminiſcitur oſtrum,
Et gelidas livor pingitur ante genas;
Ipſa Fides moribunda levi vix palpitat aura,
Ipſa fides, Domina deficiente, cadit;
Quaque riget gelido generoſior urna feretro,
Procumbunt Charites, & requieſcit Amor.
Conderis hic BRAHÆA, tuique hæc pompa ſepulchri eſt,
Nec puduit comites funeris ire Deas;
Stat Pietas, luctuſque atque illætabile murmur
Integrat, & caros ingemit ante pedes,
Et ſævis pulſatque polum & tua buſta querelis;
Et ſibi devotum luget acerba caput.
Impolluta placent cœleſtibus, o quibus alma
Virtus, & morum candida forma placet,

Ferte

Ferte roſas, tumulumque pio conſpergite amomo,
Meſſaque Virginea lilia ferte manu;
Ferte roſas: videt hoc ſuperis HOLIGERUS ab aſtris,
Unde ſuos blando reſpicit ore pater,
Ille capax vaſti, quaqua patet, ætheris Heros,
Quo Pietas credi nomine digna velit,
Ille, cui victæ poſuere ſilentia Cirrhæ,
Et Muſæ poſitis obſtupuere lyris,
Ille, cui hæredem tranſcripſit gratia ſuadam,
Mortali poſtquam veſtiit ore Deam
Hoc videt. æthereæ non jam novus indiges aulæ,
Caſtæ ubi nunc pretium relligionis habet,
Hic ubi lingua ſuo pridem poſſeſſa tonanti,
In doctos toties lingua diſerta ſonos,
Nunc ſacra attonitam majori lumine mentem
Paſcitur, & totum poſſidet ore Deum,
Et bibit æthereum pleno de fonte calorem,
Æthereaſque faces concipit acer amor.
Hæc BRAHÆA tibi coram dat gaudia coelum,
Gaudia mortales non habitura vices,
Et toties clamata piis pulſataque votis
Excipiunt caſtas cominus aſtra preces.
Salve illibati par corporis: addita cœlo
Copula, cœleſti copula juncta manu,
Semper inextinctis tua fama ſacrabitur aris,
Diminuentque Tuum ſecula nulla decus.
Nos modo nos leſſus, mutique ſilentia luctus
Rumpimus, & mœſtis ſolvimus ora modis,
Et patriæ gemitus, qua poſſumus arte, fatemur,
Si tamen ars deſit, laus erit iſte dolor.
Effare o noſtras TORMI facunde querelas.
Verbaque quæ pietas non neget eſſe ſua;
Te Duce, Præcipites rerum miſereſcere caſus
Fas erit, & fati de gravitate queri,

Fa-

Fataleſque vices deſolatoſque penates
Ulciſci, & duras increpuiſſe colos.
Ite ubi BRAHÆÆ preſſerunt marmora corpus,
Depoſitumque ingens flebilis urna tenet,
Ite parentatum, Muſæ Lebethrides, ite
Pieridumque chorus, Pieridumque pater,
Spargite ferali lacrymas, dona ultima, taxo,
Et ferat hæc memori carmina fronte lapis:

Dicitur hic tumulata Fides. Ne crede Viator;
Nulla capit tantæ conjugis urna Fidem.

Super Funus (84)

MARGARETÆ JULIÆ,

Conjugis

PETRI JULII. 1651.

O Conjunx, modo noſter amor, nunc vulnus acerbum
O ſpes, & requies, & decus omne meum,
Siccine dejecta radiorum cyclade pura,
Induis obſcuræ flebile ſyrma necis?
O ubi, ridenteſque nives, & eburnea cervix,
Et modo nativis picta labella roſis?
O ubi nunc oculi tranquillæ ſidera frontis,
O ubi formoſo ſparſus in ore decor?
Omne fugit decus, omnis abit ſpectata vetuſtas,
Omne jacet niveæ nobile frontis ebur!
Me miſerum! quam noſtra ferox præcordia luctus,
Occupat & divus devorat oſſa dolor.
Urit amor curis, mors atra doloribus urit,
Hic lacrimas, lacrimas elicit illa ſuas,

Con-

Conficit hic animum, corpus mors dira reſolvit,
    Et ſua mors geſtat ſpicula, geſtat amor.
Tempus erat quondam, quum me mea vita regebat
    Cum poteram lætus dicere: vita valet:
Nunc thalami decus abruptum, titulumque mariti
    Conqueror, & ſponſi nomen inane fero!
Cur Lucina, thoro facilis, jam facta noverca eſt?
    Cur tantis illam vis peperiſſe malis,
Et fieri lætam triſti mercede parentem
    Gaudiaque ingenti prima dolore premi?
Cur ſocias par dilectum, & ſejungis amantes?
    Et cupis hanc iſta conditione mori?
Nil actum eſt, Lucina tamen; mea Julia vivit,
    Neſcia parte mori nobiliore ſui:
Pars nunc aſtra tenet, cognato reddita cœlo,
    Fama volans Boreæ replet utrumque latus,
Labentur flammæ, labentur ſidera cœlo,
    Corruet excuſſo mobilis axe polus,
Illa tamen ſtabit ſeclis immota futuris,
    Dum fuerit fidei, dum pietatis amor.

---

(85) Piæ Memoriæ

DN: TAGONIS TOTTII

Regni Daniæ Senatoris.

1658.

Projice fraxineam procul Ægida Pallas & haſtam,
    Ille tui fati TOTTIUS obſes abeſt;
Arctoi ſublimis apex, & gloria mundi,
    Fortunæ columen præſidiumque meæ;
Ille gravis ſenio, & ſceptrorum fata revolvens,
    Ille propinqua ſagax, ille remota videns,
Immenſus, fortis, felix, ſuccurrere ſeclo
    Et patriæ natus ſiſtere fata ſuæ:

Seu

Seu prodeſſe domi; & compleʃti legibus urbes,
Ingenive decus grande tuliſſe foris;
Seu rigidum mundo fas eſſet ſcribere rectum
Cunctaque in antiquum lapſa referre decus,
Hæc erat immenſis virtus imperdita curis,
Una aliorum omnium tota, ſed una ſua,
Erecta & vegeta, & nullis conatibus impar,
Moribus antiquis, ſed pietate magis:
Qualis erat mundi facies, cum candida virtus
Incoleret, vitio non prohibente, ſolum;
Cum nondum infames fœdaſſent crimina terras
Vosque atræ fraudes, artificesque doli,
Talis erat nullo ſeclorum raptus ab æſtu,
Talem habuere forum, curia, caſtra, virum.
Pone graves Decios, priſcos hic pone Catones,
Et laudis quicquid Roma, vel Hellas habet:
Hic cunctos ſuperexſtat apex; Hæc lambit Olym-
Gloria, nec ſeclis tot finit eſſe parem. (pum

Sed tu,quæ noſtros,quæ nunc proch! urna decores
Et rigida claudis nobile corpus humo,
Sis florens ſemper, nulliſque abolebere ſeclis,
Dum fuerit fidei, dum pietatis amor;
Ida tibi, longumque tibi Chironia Tempe
Cedet, & illa ſuo Roma ſuperba luco,
Te totos diſcincta ſinus, porrectaque frontem
Pura Fides nullos nectere certa dolos,
Te Pietas albis ſemper circumflua pennis
Ambiet, & niveis Gloria vecta rotis:
Atque aliquis ſummo dabit hoc in marmore car-
Ille viri titulus, quem legat orbis, erit: (men,
„ Hic recubat noſtri florentis adorea ſecli,
„ Naturæ immenſum ſe ſuperantis opus;
„ Tottorum magnus genitor, tutelaque gentis;
„ Ille ſui ſidus grande, decuſque ſoli;

„ Conſilii Latium qui Majeſtate ſenatum
„ Vicit, & ingentes pone reliquit avos;
„ Tot ſolus poſſeſſor opum, ſed celſior illis,
„ Et Dominus rerum, plus tamen ipſe ſui;
„ Excute te Fortuna; tuos percurre receſſus,
„ Quære aliud majus, ſi potes, orbe decus.

---

(86) In Imaginem

PETRI JULII

Quæſtoris Regii.

1656.

Qui ſecla ingenio cunctaſque evolverat artes;
Ille Tuo Princeps Calliopæa Choro,
Quem patriæ Quæſtura domi, quem Suecia laudet
Et civem cuperet ſic genuiſſe ſibi,
Abripitur florente ævo, quid denique mirum eſt;
Quem mors tot titulis credidit eſſe Senem.

---

(87) IN RUBRICAM

Quadripartiti Botanici

SIMONIS PAULI

Penna volare facit aſtra ſuper. &c.

1667.

I, propera bona fama, undas pervade ſolumque
Et procul aëreas ardua carpe vias,
Aſtra ſuper, cœlique ſuper revolubilis orbes
Qua ſe cunque citis ſol agit acer equis.
Quo Paulus præcurrit ovans, tua gloria Paulus
Et cœptum magnis paſſibus urget iter.

Ille

Ille triumfata toties de morte Machaon
Cui ſua Fabricius tradidit orſa Socer
Et docta Aoniæ panduat conſulta Camenæ,
Ac medicas vitæ deficientis opes:
Hoc parvum eſt; totum ſcriptis qui pignerat orbem;
Et late ingenii porrigit orſa ſui.
Unde ſibi immenſos meriti decerpit honores,
Et lethi exemptum conditione decus.
Enumerent alii proavorum ex ordine faſces,
Enumerent vaſtas Tullus & Ancus opes.
Enumeret ſibi quiſque ſuum: felicior ille eſt,
Cui pretium ex animo non aliunde venit.

Sub Effigie (88)

FRIDERICI TERTII

Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Regis.

1657.

Aſpice fulminei Mavortia Principis ora,
Auguſtum per quem Dania nomen habet;
Sic Cimbros, Boreamque regit, populoſque Trionum,
Sic freta, ſic fontes Oceaniti tuos,
Qua procul immenſis excurrit finibus æquor,
Et ſpatii metas orbis & Arctos habent;
Quid ſtatuis Natura modum? non clauditur illo,
Quoſque capis fines, non capit ille ſibi;
Qui noſtro Princeps detergere nubila ſeclo
Natus, & in priſcum cuncta referre decus,
Auſpiciis patrium fulcit ſapientibus orbem,
Et noſtro revocat totum Helicona ſolo;
Qui patriam patriæque lares tutatur & urbes
Cunctorum Rector magnus, & ipſe ſui;

Tam ſibi par ſemper, quam cunctis celſior unus;
Et qui ſe totum debuit ipſe ſibi:
Oſtrum & ſceptra aliis dederit ſors; grandius illa
Obtinuiſſe foris & meruiſſe domi;
Nunc quoque cum Mavorte togam partitus & (arma
Viribus invidiam, crimina lege domat,
Juſtitia cives atque hoſtem comprimit armis,
Hæc duo, quæ nobis ſola dedere Deos.
Quam bene tergeminum jactas Gens Dana leonem,
Qui te qui vindex aſſerit, ille leo eſt.

---

(89) Ampliſſimo Daniæ
Philologo, Poëtæ, Medico
Doct: OLAO BORRICHIO
felicem in patriam ab exteris reditum, &
fauſta omnia
P.

Mentis inexhauſtæ, nulliſque paratibus impar
Ingenium, quod vix ſecula rara ferunt;
Eloquiique decus, & cultæ munera Linguæ,
Scriptaque quæ mundum demeruere ſibi,
Incipe BORRICHI patriis oſtendere terris,
Et ſine eant genii quo rapit aura tui:
Fama tibi jam ſtravit iter ſpatioſa benignum
Magna licet, meritis fit quoque fama minor;
Sive etenim Aonias impellis pectine chordas,
Et docto auguſtum concinis ore melos;
Seu morboſque lueſque atque immedicabile fatum
Corrigis, & Lacheſi figis ab arte modum;
Denique quicquid agis; quas te doctrina per artes
Ingenii ſumma dexteritate rapit,

Jam

Jam pridem duplici princeps Helicone locatus
  Æterni punctum nominis omne replet.
Pugnides Musæ tantæ date debita fronti
  Quæ poterant Clarium ſerta decere Deum,
Cingite bis merita Medicum vatemque corona,
  Civica ſanantis, laurea vatis erit.

INDIGNO FUNERI (99)

Celſiſſimi & Potentiſſimi Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hyberniæ Regis

CAROLI PRIMI.

Author eſt Vitus Beringius teſtante Petro Reſenio.

Gentibus antiquis effingere monſtra licebat,
  Noſtris nulla licet fingere, vera vident.
Me miſerum æternum indignans natura tenorem
  Deſtruet, & rebus libera fræna dabit?
Solventur trepidi nutantia fœdera mundi?
  Procumbent Stabiles per ſua ſigna vices?
Ipſe ſibi incumbet concuſſis viribus orbis,
  Ipſe ſui cineris ceſpes, & ipſe rogus?
Jam pridem ruptis concurrunt legibus urbes,
  Et toto Mavors impius orbe furit,
Et cruor effuſo madefecit flumine terras,
  Ingrataque dedit pabula ſæva neci,
Ex illo cædes & dira pericula belli
  Mortis inexhauſtas exacuere manus,
Jam mare, jam tellus, jam ſidera, jam vagus aër
  Pugnandi dubias edidicere vices;
Jam pro cœruleo roſeum bibit unda cruorem,
  Et ſæva in mediis caſtra locantur aquis;

Ter-

Terrarum ſecreta patent, ſecreta profundi,
Orbaque viſceribus ſtant elementa ſuis.
Parva queror. Rabidi redeunt ad ſceptra Cethegi
Illa giganteis turba ſuperſtes avis;
Majeſtatis apex, & quæ cœleſtis imago
Regibus æternum cum Jove numen ineſt,
Et ſolii calcatur ebur, legumque poteſtas
Præda jacet diræ ſanguinolenta neci:
Lictor, inhumanus lictor, terræque bidental,
Prodigium populis exitiale ſuis
Suſtinet heu furiis prope prodigialibus amens
Funeſtæ Regem ſuppoſuiſſe trabi,
Et ſacra infando ſcrutari pectora ferro,
Et ſparſas Domini ſanguine ferre manus;
Et quæ nec Tragici finxerunt monſtra cothurni
Intra Labdaciam viſa fuiſſe domum:
Stat Scurra infelix turpi mercede redemptus,
Inviſum terris cœlitibuſque caput;
Et pia ferali diſtendit colla theatro,
Oſtentatque udas ſanguinis imbre genas:
Aſpice Io quicunque truces miraberis iras,
Et fruſtra pulchro quæris in ore Ducem,
Diſcerptos artus divulſaque membra ſecuri,
Pallentemque manus, ſanguineumque genas:
Frons jacet integri ſedes auguſta pudoris,
Frons circum dias irradiata faces,
In qua nullus adhuc peccarat morbus, & ipſa
Tam pulchra horruerat lædere membra lues;
Frons ea, quam placidi mitis clementia vultus
Semper adhuc ſimilem fecerat eſſe Diis,
Quam nullæ vertere minæ, ſed candida ſemper
Gaudia, lætitiæ pace quieta ſuæ;
Tolle ebur, & nudos, regalia nomina, faſces
Tolle, indulgentis cætera Patris erant.

Aeh

CAR[illegible]

Adh[illegible]

Qu[illegible]

Barbar[illegible]

Ne[illegible]

Afper [illegible]

Te[illegible]

Te[illegible]

Te[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Hic [illegible]

[illegible]

[illegible]

Oul-

Terrarum ſecreta patent, ſecreta profundi,
Orbaque viſceribus ſtant elementa ſuis.
Parva queror. Rabidi redeunt ad ſceptra Cethegi
Illa giganteis turba ſuperſtes avis;
Majeſtatis apex, & quæ cœleſtis imago
Regibus æternum cum Jove numen ineſt,
Et ſolii calcatur ebur, legumque poteſtas
Præda jacet diræ ſanguinolenta neci:
Lictor, inhumanus lictor, terræque bidental,
Prodigium populis exitiale ſuis
Suſtinet heu furiis prope prodigialibus amens
Funeſtæ Regem ſuppoſuiſſe trabi,
Et ſacra infando ſcrutari pectora ferro,
Et ſparſas Domini ſanguine ferre manus;
Et quæ nec Tragici finxerunt monſtra cothurni
Intra Labdaciam viſa fuiſſe domum:
Stat Scurra infelix turpi mercede redemptus,
Inviſum terris cœlitibuſque caput;
Et pia ferali diſtendit colla theatro,
Oſtentatque udas ſanguinis imbre genas:
Aſpice Io quicunque truces miraberis iras,
Et fruſtra pulchro quæris in ore Ducem,
Diſcerptos artus divulſaque membra ſecuri,
Pallentemque manus, ſanguineumque genas:
Frons jacet integri ſedes auguſta pudoris,
Frons circum dias irradiata faces,
In qua nullus adhuc peccarat morbus, & ipſa
Tam pulchra horruerat lædere membra lues;
Frons ea, quam placidi mitis clementia vultus
Semper adhuc ſimilem fecerat eſſe Diis,
Quam nullæ vertere minæ, ſed candida ſemper
Gaudia, lætitiæ pace quieta ſuæ;
Tolle ebur, & nudos, regalia nomina, faſces
Tolle, indulgentis cætera Patris erant.

Ach ne ſæve nocens ſcelus hoc admitte ſatelles,
Quo furis? inſanas quæ regit ira manus?
Barbare mortales non te genuere Parentes,
Nec tibi lac puero blanda papilla dedit,
Aſper in umbroſis te Caucaſus edidit antris,
Te niger in duro vertice fudit Atlas;
Te tumidis ſpumans e fluctibus expuit æquor,
Te vomuit rabidis fœta Charybdis aquis;
Et te felle Tigris, te ſpuma Cerberus atra,
Et Diomedæus ſanguine pavit equus,
Creviſti ferale malum; monſtrumque nefandum
Inter cognatas, agmina ſæva, feras,
Hinc & ſuſceptum Lethæo gurgite Pluton
Merſit & infernis ora refecit aquis,
Admovitque focis reſonantibus, & dedit omnes
Eumenidum diras corde bibiſſe faces.
Crudeles laquei, crudelia lora, lacerti
Crudeles, Judex barbare, dire furor!
Vos noſtra infando maculaſtis ſecula ferro,
In Reges auſi quidlibet, inque Deum.
Obſtupuit tot monſtra fides, tot crimina cœlum
Erubuit, pudor eſt, qui notat aſtra color,
Abſtulit illa timor, totuſque expalluit æther,
Et clarum nubes abripuere diem;
Cerberus horrentes triplici ſtitit ore latratus,
Terribileſque hydræ detonuere minæ,
Regia nigrantis ſiluit tremefacta Tyranni,
Et tacitus preſſit pallida corda pavor.
At tu quæ noſtris infers hæc crimina ſeclis,
Terra beata olim, nunc maris alta ſilex,
Nunc rabies Ponti, & ſtagnantis inertia arenæ,
Et ſpecus, & torvis triſte cubile feris,
Quam bene te reliquo natura emovit ab orbe
Inter cœruleos, agmina dira, greges,

Najades, Glaucumque inter, Divoſque biformes,
Oceanique feras, Oceanique nurus,
Marmoraque & glacies, & acuti frigoris inter
Iras & quicquid ſæva minatur hiems.
Navita quid ſcopulis vultus & nomina fingis,
Et cœli diſcis enumerare vias?
Hic ſunt, hic Syrtes, hic Acroceraunia ſaxa,
Iſthmos, & undoſis Cyclas iniqua vadis;
Infidos hic Scylla canes latrantibus undis
Extulit, & cinctas angue nocente comas;
Hic Siculos æſtus regit implacata Charybdis
Infamique graves expuit ore minas:
Quis furor huc mortale genus, dare lintea Cau-
Nec populi incertam pertimuiſſe fidem? (ris,
Non fruſtra hic gladium ſævus denudat Orion,
Agnoſcitque ſuum Parrhaſis Urſa genus;
Nulla venenato livens ubi vipera dorſo
Abdita ſecuro devia calle latet;
Monſtra tenent urbes, nulluſque in montibus errat
Tigris & irato barbarus ore Lupus:
Hic nova ſcena videt exponi Actæona ſervis,
Et privos Dominum dilacerare canes.
Hoc Superi taciti ſpectabitis, an cadet ultrix
Flamma procelloſas ejaculata faces?
Signaque de cœlo quin jam fera, jamque ſonabunt,
Jam ſuper irati, jam tonat ira Jovis;
Eumenides diros funeſti verticis angues
Ilicet in pœnas explicuere ſuas.
Væ tibi terrarum confidentiſſime prædo,
Hei mihi quam multis flebile nomen eris!
Vindicibus tantum ſuperis ſcelerate peribis
Arbitrium diræ non habiture necis,
Occumbes commune odium, divumque homi-
(numque
Impatienſque aliis, impatienſque tibi.

Tu-

Tuque o funeſtis tellus ululata triumphis
  Quas o quas pœnas flagitioſa dabis!
Non tibi jam ſolito ridebunt ſidera vultu,
  Nec maris undantes franget arena minas:
Nec tibi jam flavum diteſcet vellus in aurum,
  Et mundi vaſtas accumulabit opes:
Cuncta cruentatis decedent pabula campis,
  Nec victum tellus nec ſeges ægra dabit;
Ipſe in te ſurget Nereus, & neſcia ripæ
  Obruet oppoſitas unda ſuperba moras;
Cœrula vel cœli facies, vel cœrula ponti
  Jurabunt ſociis in tua damna minis:
Utque alios vites, non te evitaveris ipſam,
  Ipſa tibi pœnas ſuppliciumque dabis,
Diverſum imperium, monſtrique bicorporis inſtar,
  Regnaque conſumpto diſſociata metu:
Jam pridem heu numen linguis diſcordibus errat,
  Et diverſa ſonat quolibet ore fides,
Impietas ſecura manus in ſe exiget ipſam
  In pœnam impietas ingenioſa ſuam:
Mox aderit læſus lethali crimine Scotus,
  Exiget ille feras, in tua damna manus
Scote Caledoniæ jo ſordes excute terræ,
  Excute dedecoris ſigna pudenda tui.
Tu bonus o tantis accedes cladibus ultor,
  Ut quæ ſponte movet barbarus, arma ferat:
Occubuit Princeps falſas fugitivus ad aras,
  Non virtute, tua proditione jacet,
Tu Ducis Æmonii exemplum; Tu Pelias haſta,
  Cum ſæva intuleris vulnera, confer opem;
Fraxineo torvum depelle Lycaona conto,
  Aſſereque in juſtas patria ſceptra manus.
At tibi, qui impleſti noſtræ lubibria vitæ,
  Atque horror longæ poſteritatis eris,

Dulce decus quondam terris, nunc vulnus acerbum
CAROLE, & auguſtæ nomen inane domus.
Quo vultus abiere roſæ, quo purpura ceſſit
Oris & æthereæ nobile frontis ebur?
Et decor, & ſævos ſpecies motura miniſtros,
Si quis in indomito pectore ſenſus erat?
Clauderis o Princeps tenebroſo carceris antro,
Sed via ſidereo libera calle patet:
Incumbis miſero pondus lacrimabile trunco,
Jamque nefanda ſuum dextra peregit opus:
Sed tamen eſt tanti jugulum ceſſiſſe furori,
Et pœnæ indignum ſuppoſuiſſe caput,
Dum ſit in innocuos cineres vis nulla tyrannis,
Nec caſtam in famam barbarus enſis eat,
Inque animis hominum meliori ſorte triumphans
Inveniet virtus & bona cauſa fidem.

---

(91) AD

Periſluſtrem & Generoſum Authorem

GEORGIUM ROSENKRANTZIUM

Poſt nuperos labores, de paſſione nunc Chriſti ſcribentem. Anno 1653.

Pergite Felices, nunc eſt pia cauſa, labores,
Sic decet extincto reddere juſta Deo.
Veſtrum erit, infandum ſeclis mandare futuris
Supplicium, & lethi flebilis hiſtoriam.
Ut cœcis gens dira odiis agitata cruentum
Immiti properat perdere cæde Deum.

Ut

Ut laceros artus Divino tegmine nudat,
Et renovat ſævis vulnera dira modis,
Ut ſacra roboreo diſtendit brachia trunco,
Ut laceros fixo trajicit ære pedes;
Ut gravis indomitos molitur malleus ictus,
Ut cava vibratis ictibus antra ſonent;
Ut ſine lege furens veſtigia nuda manuſque
Urgeat inſanus terque quaterque chalybs;
Et turpes ignominias, ſcreretis, & actos
Per Domini, facinus! tempora vincta rubos;
Nec vos arborei pondus ferale trophæi,
Nec data prætereant myrrhea dona Deo:
Dicite, Divinum quo vulnere lancea pectus
Hauſerit, ut mixtus fluxerit imbre cruor,
Quid chalybes, quid lora ferant, quid triſtis arundo,
Spongia quid tetro pota liquore paret;
Omnia quæ ſiccis ne Sol ſpectaret ocellis
Delituit rapidis pulverulentus equis.
Nec vos prætereant ſubitâ juga ſciſſa ruinâ,
Terra nec excuſſo mota repente ſolo;
Non excita ſiris ſimulacra perempta ſepulchris;
Vela nec in partes diſſociata duas;
Hoc bene. Tota Ducem languens natura ſequatur,
Voſque, quibus ſoli dulce vacare Deo eſt,
Pergite Felices, nunc eſt pia cauſa, labores,
Sic decet extincto reddere juſta Deo.

Auguſtiſſimo & Potentiſſimo (92)
Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Regi

CHRISTIANO QUINTO

Holſatiam ſuam
Et quicquid, cis Albim, reliquum eſt Provinciarum, adeunti.

Sic graditur noſtras Majeſtas ſacra per urbes,
Et populis coram gaudet adeſſe ſuis;
Illa, cui arbitrium Ponti, fulvumque Tridentem
Et ſubdit famulas Oceanitis aquas;
Quaque patent gelidi ſocio fulgore Triones,
Et bimarem Tethys Baltica lambit humum,
Immenſum Boreas rectrici ſubjicit orbem,
Et geminum ſupplex porrigit Arctos ebur:
Sic graditur noſtri Rex fulgentiſſimus ævi,
Sceptraque fulmineâ geſtat eburna manu;
Sic noſtrum ingreditur velis felicibus æquor,
Quaque mare, & cœlum, qua vocat Eurus, abit.
Eidora, quæ Holſatas, loca pridem incædua, ſilvas,
Storaque Stormaricam ſpumea radis humum,
Tuque, o Romanis quondam inſuperabilis armis,
Wilſtriaco parens Albidos unda ſolo,
Cerne Tuum Regem, cœlo qui miſſus ab alto,
Cujus finitimum creditur eſſe Caput,
Imperium Oceano, ſed famam terminat aſtris,
Laudibus haud toto, quem regit, orbe minor.
Qui ſive ad dignas animo conſurgere curas;
Et Patriæ tutos aſſeruiſſe lares;
Seu ſeclum, & priſcæ titulos præcedere famæ,
Excelſiſque juvet mentibus ire parem:
Evicit priſcum, & noſtrum ſuffulcit ævum,
Et ſe jure Ducem, plus ratione probat.
Hic Veſter, Cimbri, Bolus eſt. Date munera Divis,
Et date ſuccenſis maſcula thura focis;
Promite ſi qua liquant fœcundos gramina ſuccos;
Si qua peregrinas inſula ſudet opes;
Stactenque & Coſti latè ſpirantis odores,
Lectaque Panchæis cinnama nigra jugis:
Promite, quod caput eſt, ſed caſti promite amoris,
Quam ruptam videant ſecula nulla, Fidem.

Jam

Jam pridem lætos attollit Dania vultus
Principis Auguſtos ante voluta pedes,
Et patulas magnis implens concentibus auras,
Accendit puris limina caſta focis,
Ipſa procul, qua ſe vaſtis ambagibus Arctos
Pandit & objectis littora cingit aquis;
Ipſa procul celſis ſuperindita Nerigo petris;
Et Thule, & gelidi perſtrepuere poli;
Panduntur cunctæ auguriis felicibus urbes;
Conduntur titulo proſperiore dies;
Aſtra ſonant clamore, repercuſſumque reſultat
Murmur, & attonitis Cynthius hæret Equis,
Vivat Io, ſuperas vox alternata per auras,
Auditur placido murmure: *Vivat io*.
Cerne tui populi, Rex auguſtiſſime, cerne
Gaudia non pavido nata vel aucta metu:
Omnis amat Natura novum revocare decorem,
Et nova primitiis condere ſecla Tuis;
Aſpicis ut vegetam nuper induta juventam
Exſerat e tepida molle cacumen humo;
Ut viridi Tethys cum Phorcide ludat in alga,
Argutiſque ſtrepat Najas uda ſonis;
Ut vernale melos iteret gens obſita plumis
Nec gemere Iſmarium jam memor ales Ityn;
Ut colle ex omni lætum vaga concinat Echo,
Atque ſuos ornent Veſta Dryaſque Deos:
Hic Tuus eſt, Rex Magne, nitor: ſic omnis eunti
Qua graderis, ſternit Terra benigna vias;
Sic æquor cœlumque ſuos Tibi pandit amores,
Et parat auſpiciis tota Elementa Tuis,
Hæc tibi cuncta virent: quod enim protrudere gemmas
E tepido properet gramen & herba ſolo;
Quod Zephyris tellus, & amicis Solibus icta
Sugat ab Herboſis lac geniale toris;

Purpureus quod ſurgat honos, quod vivida Floræ
Gratia per patulos latius halet agros;
Quod juvenile decus Mundi, Rex Maxime, ſurgat,
Et faſtum & Pompam quælibet arbor agat;
Atque omnis Natura ſuos oſtentet honores,
Credimus haud verni temporis eſſe. Tuum eſt.

(93) Sub Effigie
Illuſtris & Generoſi Viri
Domini
HANNIBALIS SEHESTED,
Æquitis aurati, Senatoris Regni Daniæ, & Norvegiæ Vicarii Regii, Ejuſdem militiæ Præfecti Ætatis 40.

Anno 1650.

Mars erat antiquis clypeo depictus & haſta,
Qui gereret pacis nomina Janus erat.
Os habuit Divi prudentia picta bifrontis,
Porrecta candor pingitur ipſe manu.
Vaſta per immenſum volitabat gloria mundum
Terrarum, oceani qua datur omne latus.
Munificum pulchra ſub imagine Cypris amorem
Rettulit, & Charitum Cypride nata cohors.
Una per adverſos ibat conſtantia fluctus;
Æquanimi virtus non labefacta gradu.
Quid tabulis opus eſt multis? pingantur in una,
Hannibal hac forma conſpiciendus erit.

(94)

Exequiis Matronæ Nobiliſſimæ (94).

CATHARINÆ VAN VLIET,

Ad Conſultiſſimum maritum ſuperſtitem

Dn: ANTONIUM THYSIUM F. I. U. D.

In Academia Leidenſi Profeſſorem dignisſimum.

Ignoſcat natura? nimis crudele vagatur!
 Quod fuit anterius poſteriora ferunt.
Blanditur fallax, & protinus interrumpit;
 Faſſa cruentatas & ſine jure manus.
In tabulis nulla eſt de mortis crimine pœna,
 Nullam Prætores, Plautia nulla tulit.
Lex ſine lege una eſt; incertas certus ubique
 Exſerit, ille expers ordinis, ordo vices.
Publica dum tractas, queis fas eſt vivere, jura,
 Adjecit conjux cœtera jura: mori.

In Natalem (95)

Illuſtris & Generoſi

Dn: WENCESLAI THEODORI Baronis de BUDOWA.

I.

Cur ortam mane caliginem, pomeridiana
 Serenitas eo die inſequuta?

Mane erat orta dies, & ſummo Phoſphorus axe
Auricomos ibat nubilus inter equos,
Triſtè poli facies. Viſæ ſunt læta pruinæ
Frigoraque hybernas anticipare nives.
Vix media acta dies, micuerunt ſydera, & ipſa
Protulit obductas lux reparata faces.
Nempe quod ad feſtum generoſi nominis ortum,
Non foret in patriis, qui frueretur agris.
Viderat exoriens, quondam genialia Muſis
Arva modo verſo ſanguinolenta colo.
Scilicet hic priſcas dubio diſcrimine ſedes
Sauciat e furiis exagitata manus!
Venit ut ad Batavos, & te Theodore notavit
Ducere pacatos non ſine laude dies.
Riſit vel certe viſa eſt ridere: ſed inde
Uno triſtitiæ deliciæque die.
Lumine crede tuo lætantur lumina cœli,
Et nubes, veniunt nubila ſi qua, trahunt!
Sacra dies cœpto rediviva relabere curſu
Proſperior vari ſæpe futura tuo?
At tu vive diu per candida ſtamina BARO,
Ne cadat excidio Phœbus ab axe tuo.

II.

Alluſio in Nomen Baronis &
Theodori cum Anagrammate in

VINCESLAUM:

VINCES AAON.

VINCESLAE tuo cum lux foret aurea partu
Et puer e matris progrederere ſinu.
Nomen & omen erat quæſitum. Tempore in illo
Nondum quod retines, nomen & omen erat.

Juno:

Juno: quod ad priſcos accedis imagine vultus,
Nomina BARONIS ſtemmate digna geres.
Dona tuis dabis, ipſe datus de munere dio
Hinc nomen Pallas, ſit THEODORUS, ait.
Alta velis, noſtroque ſonans Deus aptus honori
Sæpe canes Lyricis carmina ſacra modis.
VINCESLAUS eris: namque alite mente propinquum
VINCES, quicquid agis, dixit Apollo, AAON,
Illa immortalis mortali ſede reſidat;
Et manet in juncto corpore, nonque manet.
Flectitur in varias, nec flectitur ipſa figuras,
Et ſuperat duras non ſuperata vices.
Non ſors vana fuit, nec ab ordine ſponſio ceſſit;
Verus hic; & Pallas; Veraque prima fuit.
Ingenium ſpectas? divina dote profectum eſt:
Mentem? cognata eſt, munere nata, Deo!
Sive chelys ſeu ſit manibus teſtudo repoſta;
Perſonat ad modulos illa, vel illa tuos.
Seu tua præpoſitas manus incipit æmula formas
Ad facies formas convenienter agis.
Melle magis mellita mele ſeu fundere mavis;
Quadrat ad argutos vox varianda ſonos.
Singula vera manent, niſi quod cum cœtera vincas,
Non poteris DANUM vincere amore AAON.
Lugduni Batavorum 1639.

Proſopopœia defunctæ (96)

CHRISTINÆ KAAS,

ad

Generoſum Maritum

TYCHONEM BELOV.

Quid gemis, heu tanto felicia funera luctu?
Turbantur lacrimis gaudia noſtra Tuis:
Parce, precor, triſtes queſtus effundere. Vixi.
Non erat in fatis longior hora meis.
Immatura perî, ſed Tu diuturnior annos
Vive meos, Conjux optime, vive Tuos.

---

(97) Viro Ampliſſimo
JOHANNI SVANNINGIO
S. S. Theologiæ Doctori & Profeſſ. primario
Danielem Prophetam Commentariis illuſtranti 1654.

Hactenus auguſtæ ſatis eſt præconia famæ
SVANNINGI, & pretium grande tuliſſe domi;
Hactenus in noſtri laudes attolleris orbis,
Et Tibi quod longe debeat Arctos habet:
Seu patrias imples facunda voce cathedras
Atque uno Boream non ſinis ore loqui;
Eooſque apices, totamque exponis Idumen,
Et punctis varie diſſita verba ſuis;
Sive ſalutiferi veneranda oracula verbi
Et populis certam pandis ad aſtra viam:
Nunc foris aſſueſcis famæ, fructumque laborum
Præmiaque, ignavis non adeunda capis,
Et procul auguſtæ ſplendentes Præſide mitræ,
Inque dies toto clarior orbe pates;
Geſta Palæſtinis quondam conſpecta theatris
Aſſyrioſque inter bella togamque Duces;
Totque aperis rerum facies; & ſcriptor honeſti
Virtutes inter ſcriberis ipſe tuas.

Quam

Quam bene ſic totum ſtudiis complecteris orbem
  Aſſertumque paras demeruiſſe tibi.
Non uni glebæ terrarum, naſcimur orbi,
  Et mundi indigenæ terrigenæque ſumus:
Hæc ſeries Pietatis erit: Non cedere Curis;
  Improbus æterno dum redit orbe labor;
Inſtaurare decus ſecli; cumulare beata
  Tempora, & innocuos inſtituiſſe dies;
Quaque procul ſeſe vaſtis ambagibus Orbis
  Pandit, & objectis littora cingit aquis;
Siſtere præcipitem, cœloque advertere mundum,
  Et populis mitem conciliare Deum.
Ite agedum devota ſacris o pectora curis,
  Certa ſub hoc vobis Præſide palma viret;
Ite agedum, dant aſtra locum, dant numina plau-
  Et quæcunque ſacras concipit ara preces; (ſum;
Ipſa ſuas, Pietas, portis bipatentibus ædes,
  Ipſa ſuas pandunt aurea templa fores,
Fas vobis, Juvenes, ſedes intrare beatas!
  Perpetuumque ſacro numinis ore frui.
Vos longum Aoniæ longumque valete ſorores,
  Cumque tuis valeas Calliopea choris:
Sola hominem Pietas cœlo & natalibus aſtris
  Vindicat, illa ſcholas aſſerit, illa domos.

Viro Eminentiſſimo (98)

D. JOHANNI SVANNINGIO,

S. S. Theologiæ Seniori. & Decano. Præſidi Conſiſtorii, Collegii Status, & Supremi Tribunalis Aſſeſſori. &c.

Sacros in Danielem commentarios edenti. 1666.

Sic loquitur Daniel, ſacro ſic ore profatur
Et verum immenſo ſpargit in orbe Deum;
Hæc Solymæ facies priſcæ eſt: ſibi redditur Aſſur,
Et vultu poterit jam meliore legi;
Longa recenſitis ſuccreſcunt tempora faſtis,
Seque iterum naſci myſtica ſecla vident;
Agnoſcit ſeſe Pietas, & ſpectat in illis
Materiemque operis eloquiumque ſui.
Hæc tua SVANINGI laus eſt, hæc gloria linguæ,
Gloria pro Domini munere nata ſui,
Cui pia luminibus non inſpicienda profanis
Relligio cauſam tradit habere ſuam,
Cui ſua Sacra ſcholæ, debent ſua fata cathedræ
Et quæcunque pias concipit ara preces.
Jam pridem ingenio magni ceſſere labores
Et ſecli applauſus promeruere ſui;
Ignea vis animi nunc ſeſe attollit in annos
Nec deſideriis ſtat ſaturata ſuis;
Quæ, dum diverſis diſtringeris undique curis,
Et tantum evolvis non leve molis onus
Officium pariter calamo partitur & aris,
Et geminis magna ſe ratione probat,
Hoc ſatis ad laudem virtus putat eſſe; nec ultra
Ut cupiat terris creſcere, culmen habet:
Utrinque & ſcriptis, & viva voce mereri,
Quam ſtudiis homines, tam pietate Deum.

---

(99) Ad Eloquentiſſimum

BARTHOLUM BARTHOLINUM.

Regi glorioſiſſimo

CHRISTIANO QUARTO

parentantem, 1648.

Con-

Conſumpſit lamenta dolor; fluit aridus humor,
Et ſtupet immenſis mens hebetata malis;
Parce Deum rector. Fatorum explevimus iram,
Jamque in tot paſſis non habet illa locum;
Nil ſupereſt; ferrum, flammæ, furor hoſticus, & mors,
Omnia ſunt noſtris nobilitata malis;
Sternimur imbelles animæ veniamque precamur,
Sit ſatis, atque iterum ſit periiſſe ſatis.
Jam pridem tota Mavors congeſſerat Arcto
Fulmina, quæ in noſtrum procubuere caput,
Sed pejor mors hoſte fuit, Dominumque peremit,
Debuit hoc unum non licuiſſe ſcelus!
Auguſtum, infractum Regem; cui contigit uni
Omnia vertentem vincere Regna Deam,
Cœtum animis, hoſtes armis, elementa labore
Fregit, cunctorum victor, & ipſe ſui.
Sed nobis Rex magne peris; de ſanguine noſtro
Effuſum eſt, quicquid perdidit iſta dies;
Sancte Heros in te miſeri proſternimur omnes,
Inque tuo noſtrum eſt mors licitam caput;
Cernis ut in pullæ ſqualentes funere pallæ
Nubilus atrato ſyrmate pallor obit;
Ipſe negat ſibi verba, & non ſibi ſufficit ipſe
Et muſſat tacitus mœſta per ora dolor;
Penè cadit: mixto tellus cum Principe fato,
Hic jacet exſanguis, & nequit illa loqui!
Vidit, & ingemuit muti ſuſpiria luctus
Oraque nudavit tota Latina Venus,
Caſta Venus Bartholine tua; & fiducia fandi
Et Peitho labiis imperioſa ſedens,
Illicet immenſæ ruperunt clauſtra querelæ,
Illicet in voces pectoris ivit amor:
Jam loquimur, frænoſque pio laxamus amori,
Et quocunque jubet ducimur ore tuo:

Ipſe renaſcentes Princeps ſibi pignerat annos
Et levat extinctæ ſigna ſuperba necis, (vum
Quaque præis, longumque procul diffundis in æ-
Nomina, & invictæ tot monumenta manus,
Tranſcendit rigidam meritorum circulus urnam,
Et negat imbelles extimuiſſe colos,
Famaque tranſcribit memores in ſecula faſtos;
Altera præconis, Principis alter erit.

---

(100)

THOMÆ BARTHOLINO DN. de HAGESTED,

Luculentum ANATOMIÆ opus edenti. 1674.

Pone modum calamo, ſatis eſt BARTHLINE laborum,
Et via, qua poſſis ſurgere, nulla patet.
Fama tibi totum jam pridem colligit orbem,
Et ſeclum ſcriptis pignerat omne Tuis.
Utere conceſſis a Regibus utere donis,
Quæque negaſti aliis otia, redde Tibi:
Sat ſcripſit, cui ſcripta orbi, cui dedita Famæ
Computat æternos Bibliotheca dies.

---

(101) Viro Ampliſſimo

BARTHOLO BARTHOLINO;

In Acad. Hafnienſi Prof. Regio, ſuum de Penula ſcriptum edenti. 1670.

Sic fluxere ſinus; ſic colla humeroſque premebat;
Mordebatque immos ſcortea longa pedes;
nula ſic rigidos ambibat priſca lacertos,
Et pluvium arcebat fulmineumque Jovem,

Ex-

Externum nil Roma videt. Se ſpectat in illis
Materiemque operis eloquiumque ſui.
Gratia ſit BARTHLINE tibi, quo vindice jam nunc
Oenotriæ poterunt abdita priſca legi.
Qui poſt excuſſi ſinuoſa volumina juris,
Erutaque in titulis quæ latuere ſuis;
Eloquium, fandique decus, Suadæque lepores,
Sive tuos Latium, Græcia ſive tuos;
Nunc tandem Auſoniæ pandens ſecreta ſenectæ
Immortale tibi conficis Author opus,
Disjectoſque diu melioris originis annos,
Et Romæ reparas deficientis opes.
Hæc pridem ignavi tantum pro! nominis umbra,
Occubat, & cineres vix tegit alta ſuos.
Heus ubi ſunt tua magne pater Tiberine fluenta
Illaque ſidereis digna theatra locis?
Campus ubi, faſceſque arcuſque, & ab hoſte fugato
Victrici toties fixa trophæa manu?
Et Capitolini penetralia celſa tonantis?
Obruit immenſus nomina tanta cinis.
Concidit urbis honos, parſque exiguiſſima reſtat.
Inque nova tegitur Roma ſepulta vetus;
Rudera ſola manent, miſerandaque reſtat imago
Et reliquum eſt, præter nomen inane, nihil.
Urbs æterna tamen gaude: rediviva reſurgis
Et tumulis creſcis celſior ipſa tuis,
Nobiliora novis adoleſcunt ſecula faſtis
Et pretium famæ non morientis habent,
Ecce iterum mores, ritus, Sacra publica, leges
Roſtraque & auguſtum cum Cicerone forum:
Doctorum hæc paſſim pia cura reſuſcitat orbi,
Et partem tanti muneris Arctos habet.
Condere magnum erat e nihilo tua mœnia: plus (eſt,
Extinctam te iterum reſtituiſſe tibi.

(102) In Effigiem
JOHANNIS Comitis de SCHACK.
in Schackenburg:

Domini Hæred. de Gieſelfelt & Gram, Ordinis Elephantini Equitis, Sac. Reg. Majeſt. Daniæ & Norvegiæ ſupremi Rei bellicæ Præfecti, Conſiliarii Intimi, Præſidis in Collegio Militari, Diœceſeos & Præfecturæ Ripenſis Gubernatoris, Tribuni Eq. ac Ped. nec non Aſſeſſoris in Collegio Status & ſupremo Tribunali.

1673.

Qui quondam galeis Rhodanum victricibus hauſit,
Et texit muros Hafnia clara tuos.
Ille pererrato toties qui victor in Orbe
Implevit totum Martis & artis opus
Talis adeſt, vaſtamque ſuis ſplendoribus Arcton,
Quaque paret mundi replet utrumque latus.
Is factus pugnando ſenex, jam præſidet armis,
Et Dana Auguſto ſub Jove bella regit,
Jam Comitis ſplendore potens, cumuloque decorum,
Quæ ſperare homines, vel dare fama poteſt.
Hunc Totum ut pingas nativo ſchemate Pictor,
Pone inter medias Martia caſtra tubas,
Et ſigna & laceras hoſtili ſanguine parmas,
Et late exſtructos ad ſua buſta rogos,
Et laurum & palmam & cunctos ſine clade triumphos:
Haud alio pingi Schackius ore poteſt.

(103)

Nuptiis Per Illuſtris & Generoſi Herois

HANNIBALIS SEHESTED,

Regni Daniæ Senatoris, Norvegiæ Protegis. &c. Et Illuſtriſſimæ Heroinæ

CHRISTIANÆ.

Comitis Schleſvici & Holſatiæ. 1642.

Impreſſ. Soræ. Anno. 1642. *in folio.*

Cedite rectores belli, quos pigra morantur
Frigora, & egelidi rumpunt tentoria menſes ?
Degeneres animi ! quorum præcordia frangit
Torpor, & ignavus vires effœminat ær, (lum
Pluſque polus, quam tela fugant. cum frigore cœ-
Stridet, & incumbunt lapidoſæ grandinis imbres,
Caurorumque choris ſubeunt hypocauſta lareſque
Et latebræ, & calidis ſudans fornacibus ignis,
Pellaceſque trahunt plumæ : Tunc ſigna cupido
Tollit & aſtrictis inſultat milite campis!
Atque inter medios diſponit caſtra rigores,

Succubuere polo ferventis brachia Cancri
Atque Cleonæi ceſſerunt regna Leonis :
Non vada denudat violento Sirius æſtu,
Inſanique Canis fervor : non lumine Virgo
Torrida pulſat humum; non lances pondere librat
Aſtræa, & magnum juſte partitur Olympum :
Scorpius inſedit cœlum, chelæque frementes
Ructavere minas, ſpinaſque ingentibus errans
Ebullit ſanies, & tortæ verbera caudæ
Affligunt Veſtæ gremium : fera ſpicula Chiron
Armat, & horrendas implerunt tela pharetras;

In-

Increpuit Brumæ rabies, concretaque duro
Stagna rigent tabulata gelu, lunæque rebelles
Ignorant ripas, & ſpumant acrius undæ:
Æolii latrant fratres, & tecta flagellat
Ventorum rabioſa cohors, & bruta Trionum
Frigora ringentem feriunt rugitibus orbem:
Interea quamvis Coro pulſetur & imbre,
Et crudas ducat noctes, vexilla cupido
Dux parvus violenta quatit, tumiduſque phalan-(ges
Inſtruit, & rigidum diſtringit dextra metallum,
Nec tamen ille caſas, humiliſque cubilia plebis,
Et ſtramen vulgare ferit, ſed murice tinctam
Diſſolvit Nymphis ceſton, proceresſque laceſſit
Orcheſtræ, & partem cogit ſub regna ſenatus.

Velleris aurati Heroes, tuque aula peculi
Divitis, & grandes diffuſa mole tiaræ,
Eugeniæque oſtrum; patriam ſeu ſtringis arenam
Feliceſque Tagi Latices, atque ebria maſſæ
Flumina, pallenteſque auri volventia lamnas:
Seu procul occiduis transfundis ſceptra Moluccis,
Et toſto dominare Peru, lateque tremendum
Imperii quaſſas fulmen: ſeu turgida roſtra,
Et ſuſpirantes pretioſo pondere coſtas
Tranſvectas Gadi, ditiſque æraria terræ
Et geminos axes uno concludis Ibero:
Reſpice legatum, cujus tecum ore locuta eſt
Dania, & Arctoi Majeſtas fulgida Regis;
Hic qui Cantabricum facundæ flumine linguæ
Sollicitavit ebur, qui plenæ pondere ſuadæ
Sceptrorum ſecreta tulit, qui Boetica regna
Et Tarteſſiacum ſtupefecit voce Theatrum;
Æſtuat, & calidos tædarum ventilat ignes
HANNIBAL, & celſam rapiunt incendia men-(tem:
Dedidicit tumidum pondus, flumenque rotundum

Elo-

Eloquii, fandique vices, quocunque liberet
More loqui, non verba gravis, non flumina vibrat,
Atque os magna ſonans, fluidæque tonitrua lin-
Majeſtas in amore latet, juſſique recuſant (guæ;
Grandes ire ſoni, ſeſe facundia neſcit,
Et fauci obluctatur amor, dum corda faceſſit
Invidioſa Venus, dominæque potentia formæ.

Conſedit ſponſus, Rex juxta immenſus in oſtro
Auguſtos quaſſat canos, venerandaque divum
Pectora delitiis; & tanti conſcia partus
Læta renidet humus, patriſque in vultibus hæret;
Spectatrix coëunt plebes, ferventque ſuſurris
Compita & errantum tranſverberat aëra plauſus;
Panduntur patulis diffuſa palatia valvis,
Et feſto exſultans cultu ſolennia tædæ
Explicat, atque humiles proſcribit pompa penates.
Hinc aula exterius nullius conſcia damni
Stridet & inſontes eructat regia flammas;
Stat varia, & cœcas diſtendit machina venas,
Atque tubas occulta fovet, penetralia nitro
Turgent, & nondum juſſis peccare favillis:
Hæc ubi concepere facem, ſcintilla furorem
Induit, & frendent vibrati naribus ignes,
Pulvereique ruunt orbes lateque vagantur
Sulphura, & excelſis ludunt incendia pinnis:
Parte alia totis ſternuntur carbaſa menſis
Puniceo ſaturata cado, nitet omnis Eoo
Murice picturata domus, trabibuſque ſuperbi
Inſultant panni: parias aulæa columnas
Et teneri involvunt ſubtilia ſtamina fili,
Turgidaque Aſſyrio diſtinguunt atria cocco;
Hac graditur ſpatioſa domo, ſeclique laceſſit
Sponſa venuſta decus, certamina mittite Divæ?
Altera jam pomi lex eſt, majora virago

Jactat

Jactat & Idæas ſuperant Borealia dotes:
Sive genus ſpectes, magnos a matre tribules
Et pro centeno numerabit ſtemmate patrem:
Seu caſtigatæ placet exactiſſima formæ
Fabrica, & humanam ſpecies mentita figuram,
Albentes ciliorum arcus, & lumina dulci
Nixa ſupercilio, radiatiſque ignibus orbes,
Ambroſiæque genæ, natoque immerſa cruore
Oſcula, & immixtis candentia colla pruinis,
Et cirrus cervice ſtrepens; deduceret axe
Numen & aurifero miſceret fulmina nimbo.

At tu cui tantæ ſervit fortuna maritæ
SEHESTEDI Heros, cujus fiducia fines
Indignata breves, & vis ſata traduce cælo
Exſeruit ſpatioſa caput, quem maſculus ardor
Pectoris & magnæ patientia robora ſortis
Et vigor ignava vetuit tellure morari: (quam
Noſce diem quam fata ferunt? non lætior un-
Phœbus ab Heſperio rediturus gurgite cœlum
Pinxit, & Eoas patefecit cuſpide valvas.
Hæc eſt illa dies, quam dudum conſcius æther
Parturit & longi ſolvit menſura favoris
Virtutiſque fides Diva hæc tibi culmen honoris
Atque thoros generoſe dedit, Danique ſenatus
Arbitrium, regiſque vices: non maſcula corda
Defraudat virtus, non decipit illa palati
Canities, & ſacra fides; adamante ligatur
Sponſio, quam voti gravitas infracta ſigillat.
Jam ſapuiſſe placet, jam caſtigaſſe fluenti
Luxuriam ſeclo, mens in ſe tota recedit
Vivida, & exactos ſibi læta recolligit annos,
Et tanti didiciſſe putat: juvat iſſe per omnes
Terrarum Cirrhæque ſinus, operoſaque rerum
Atria, & erectos animo geſtaſſe colores.

Eſte procul pigri, devotaque pectora glebæ,
Semiſepulta cohors, queis tardo in corpore ſtertit
Auguſtus cœlorum hoſpes, quos gloria terret
Particulamque auræ moles terrena coërcet,
Affligitque ſolo torpor: mens enthea neſcit
Delituiſſe domi, ſed quum conceperit ignem,
Incaluitque, lares pulſat, rumpitque catenas,
Et cupit ire foras; tardæ veſtigia plebis
Et feces egreſſa fugit, cœlumque volatu
Carpit & augmento ſpatioſos explicat orbes:
Cuilibet in dextra ſors eſt; ſibi ſidera quiſque
Flectit, & a nobis fati cenſura vibratur?
Felices animæ! non quas prætexta beatas
Aut luxus mentitur iners, aut prodiga fati
Dulcedo palpat, magniſque interſtrepit auſis:
Hic vir erit, quiſquis ſubducit pectora ſorti,
Et nil fortunæ debet, ſibi ſufficit uni,
Atque ſatur ſtat ipſe ſui, quem ſpiritus intus
Armat, & ingenii heroem teſtata poteſtas.
Tum ſtabunt faſces, rebuſque capacia ſurgent
Pectora, cum fulgens ſolio regina ſedebit
Virtus, & famulas ſternet fortuna ſecures.

Sed lectum petiit Phœbus; tumidaſque cooptat
Candida luna rotas, fraternæque æmula lucis
Ardet, & alternis orditur regna tenebris:
En thalami cortina patet, Paphiumque cubili
Jus datur, & caſtæ fulcrum geniale Dioni
Solvitur, effuſæ myrti cumulantur ariſtæ
Thureque ſpirantis deſudant brachia rami: (barum
Sponſa venit ſequiturque chorus, reſonanſque tu-
Vox fremit, & juſſis inflantur tympana cannis;
Heus pueri cohibete faces! exſtinguite flammas
Nocturnoſque ignes? quantumvis merſa vapore
Horreat, & nigra lateat ferrugine cœlum,

Omnia

Omniaque involvant umbræ; tamen una nitore
Sponſa repurgato diſpellens nubila mundo
Imbuet obſcuram faciei lampade noctem.

EPIGRAMMA
Ad generoſum SPONSUM.

Parce peregrinos Heros generoſe penates
Et toties patriæ diſſita regna ſequi,
Si rerum pretioſa trahunt, miracula Sponſa
Colligit & magnas contrahit orbis opes:
Non opus eſt Tyrio ſaturata murice byſſo,
Hic veſtit niveas purpura nata genas:
Fruſtra Indus jactat candentia prodigus oſſa,
Hic manus Aſſyrium lactea vincit ebur;
Cedant Pæſtani felicia germina campi,
Hic pugnant vernis æmula labra roſis;
Lux cedat ſpatioſa Pharos, nam Sponſa nitebit
Qua te vel noctu contueare face:
Brachiaque Herculeas præſtabunt bina columnas,
Non ultra, quo jam progrediaris, habes.

---

(104) Ampliſſimo Oratori
MATTHIÆ FOSSIO
Eminentiſſimo Archiepiſcopo
JOHANNI SVANNINGIO
pie & graviter parentanti. 1668.

Incipe magnificæ felici flumine linguæ
Et toto, FOSSI, quantus es, ore loqui,
Ore illo, quo nil ſummæ facundius aræ,
Quo nil doctorum cultius orbis habet;
Ut ſacros Manes, & magni Præſulis umbram,
Et tanti quicquid non tegit urna Viri,

Il-

Illuſtri pietate bees, nomenque decuſque
Circumdes factis, quod meruere, ſuis.
Hæc erit illa tuæ ſuadæ pars inclyta, qua tu
Alterius laudes aſſeris, ille tuas;
Et poterit longis ventura in ſecula chartis
SVANINGI pariter & decus ire tuum.

BEATO CINERI (105)

Nobiliſſimi & Doctiſſimi

Viri

JOACHIMI KRACKEVITZ

In Regia Equeſtri Academia Sorana

S. S. Profeſſoris & Paſtoris. 1642.

Ergone Soranas damnarunt fata cathedras?
Et nova perpetua cæde feretra tument;
Nullaque Parcarum ſatiabitur ira cruore;
Et mactanda ſolo victima nata ſumus?
Nondum concrevit ſolidato pure cicatrix,
Oſtentantque ſuas ſaucia templa neces.
Ecce iterum ignavis fumant altaria tædis,
Teutonicoque vacant pulpita quaſſa ſono;
Infula liventes proſtrata recumbit ad aras,
Atque ſuum neſcit pallida mitra decus.
Mors abit, & ſacris exſultat ſæva figuris,
Quemque optant myſtam ſecla, juventa necat.
Omnia rapta vir iſte tulit: mentemque capacem;
Atque ſuæ fervens Relligionis iter;
Et reliquas quæ ſunt ſublimi pectore dotes;
Ingenium felix; præcipiteſque colos;
Et vacuum ſubito thalamum. Procul eſto viator,
Jam tibi jam Soræ ſilva vel unda nocet:

Cernis ut in triſtes abierunt luſtra cupreſſos,
Et fument atris arida ligna jugis:
Cernis ut effuſo currant vada latius alveo,
Vixque bibant ſolitos ebria ſtagna lacus.
Crede peregrinos manaſſe doloribus imbres,
Quaſque vides ſylvas, funeris eſſe rogum.

Terram levem precatur
Vitus Bering.

---

(106) *BEATO CINERI*

Illuſtris & generoſæ Heroinæ

SOPHIÆ BRAHE

Dominæ de Erichsholmb poſt exactam felicisſimam ætatem pie defunctæ. 1643.

Ergo indignantis victrix longæva ſenectæ
Jam cadis, emeritum flectere juſſa caput?
Atque fatigatas abſolvis ſtamine parcas,
Et toties feſſa penſa voluta colo?
Jam pridem implesti quicquid menſura tonantis
Donat, & ætherii prodiga dextra ſenis;
Felices ſoles, atque aſtra vacantia votis,
Et fœtos rerum commoditate dies;
Quacunque aſpicies, longis hæredibus errat
Sanguis & heroum ſtemmate fulta domus:
Inde THYCHO, clarii decus immortale ſenatus,
Naturæ ſibi vix ſufficientis opus;
Hinc natus Boreæ, ſed adhuc te ſoſpite, Primas,
Totque toro junctæ proſperiore nurus:
Denique longa cohors diffuſa ſtirpe nepotum,
Et late generis continuatus honor.
Scilicet hoc pretium pietas, atque anxius horror
Numinis, & cœli fervidus ardor habet;

Ut dum fulgentes laceret fortuna tiaras,
Et Regum faſces cæca cruentet anus,
Dum frangant elementa fidem, grandeſque tueri
Impatiens moles ſors inopina rotet;
Inconcuſſa tamen nulliquè obnoxia fato
Mens pia ſecurum vibret in orbe caput,
Euboicique omnes tranſcendat pulveris annos,
Et Pylii ſuperet ſecula lenta ſenis:
Ut cum canities jam nudis oſſibus erret
Spargiturquè vagæ per caput omne nives;
Cum dubia admoto pendent veſtigia fuſte,
Et baculus cruri præſtat amicus opem;
Tum rerum mundiquè ſatur, nil territa maſſam
Frangat, & inviſo membra ſepulta luto;
Et faſtidito pangens divortia mundo
Ambroſias cœli carpat anhela vias.
Sic Brahæa terens, qui ducit ad æthera, callem,
Auguſto celſum remige tranat iter,
Et lethi rumpit leges. Quid denique geſtis
Funereas quaſſans mors truculenta faces?
Non moritur quiſquis ſegnem prævenit Olym-
Et prius in cœlis, quam moreretur, erat. (pum

NUPTIIS (107)

Illuſtris & Generoſi Viri

OTTONIS TOTTII

Domini de Næs &c. arcis Syllisburgenſis
Præfecti Regii & Nobiliſſimæ Virginis

DOROTHEÆ ROSEN-KRANTZIÆ.

Magni illius ROSENKRANTZII
filiæ. 1643.

Gentis hyperboreæ proceres, habitataque cœli
Pectora delitiis, & quondam bina Trionum
Sidera, quicquid habent vaſtæ penetralia Cyrrhæ
Edocti Heroes, *Tycho* hinc, atque *Holiger* illinc
Conjungunt dextras, longiſque ambagibus ævi
Felice auguſtas miſcent in ſanguine tædas,
Dania quæ quondam diffuſas undique gentes
Vexaſti bellis, Scauroque in cæde natante
Victrices fudiſti Aquilas, Rutupinaque late
Littora & emenſum fregiſti cladibus orbem;
Aſpice quam clarus tibi nobilitatis avitæ
Continuetur honos, quam ſtirps generoſa pena-
Fulciat, & digna ſpiſſentur prole tribules, (tes
Longaque patricias connectant ſtemmata ceras?
Jamque perennantes illuſtribus utraque laudum
Feſſa domus titulis, ſeu Mars ferus intonet armis,
Seu toga poſcat opem, dignas ad maxima ſtirpes
Munia, & æternas ſpondent in ſecla curules.
Ecce tibi aurata præludunt tempora fronte,
Et lætam ſe pandit humus, clementia fati
Aſpirat cum vere novo, dum germinat orbis
Tyndaridumque rotant Phœbæas terga quadrigas:
Ipſa Gnido, Cretaque Venus, Cyproque relicta
Te colit, & diti veſtit torpentia flore
Gramina & arentes imprægnat culmine cannas:
Jam Nereus longis ſolvit latratibus Arcton,
Sævaque ſopitis miteſcunt æquora flabris
Adventu placata Deæ; favor æthere gliſcit,
Et conjurati promittunt otia ſoles.
Viderat in patria rapidos Hyperionis ignes
Et toſtas Cytheræa plagas, calidoque ſub axe
Immanes pleno vibrari robore flammas;
Atque alibi exuſtas turritæ Memphidos oras
Et nudum populum; Nihil eſt ſi ferveat Eos,
Inquit, & accenſæ pangant connubia gentes;

Si

Si Pharius ludat Sponſus, pellaxque Syenes
Virgo urat calidæque nurus in baſia currant:
Primus Gangetico cum ſurgit ab æquore Phœbus,
Immenſumque orditur iter, vicinaque pulſat
Nubila, & altivomis ſpatioſa per atria coeli
Exſpatiatur equis, & toto clarus Eoo
Urget præcipites ingens auriga jugales:
Tum vero ignifero late ſuccenditur æſtu
Et fortes vomit ore faces, molleſque Sabæos,
Et Perſas Turcaſque urit, meſſiſque beatæ
Rivales Arabas, diffuſa volumina Ganges,
Pallenteſque Indi Glebas, atque invida Sinæ
Oſtia, & æſtiferi Peluſia flumina Nili:
Inde vago temone ruens excurrit in Auſtros,
Et medium librat deflexo tramite mundum
Ordinis æterni menſor, mundoque ſuperbas
Oſtentat phaleras, donec declivia vergunt
Lumina, & Heſperio trudit Pyroenta profundo;
Barbariæ tum ferver ager, ſicciſque caleſcit
Africa tota jugis, & nullos humida rivos
Torretur Libyæ ſemper ſitientis arena:
Inde cupidineæ feriunt præcordia flammæ,
Et faciles veniunt riſus, ſubitoque procatur
Maurus, & extremus ſudat prurigine veſper.
Non ſecus ac calidum quando uſtulat ignis aënum,
Et rapida obſtructas adlambunt ſulphura coſtas,
Indignata intus crepat unda, & guttura rauco
Panda fragore quatit, donec jam carcere ſpreto
Victrix oppoſitas populetur ſpuma favillas;
Sic ubicunque polus radiis ardentibus urget,
Fortiaque indomitos eructant aſtra furores,
Enervant mores ſtimuliſque ferociter inſtant
Æſtus, nec facile eſt iſtas compeſcere mentes
Quas cœlum laxat, præcepsq; effœminat oeſtrum:
Interea Arctoas immitia ſidera gentes,

Et frigus Boreale ferit, brumæque rigentis
Impetus, & ponti populo ringente tyrannis:
Aſperat Engonaſis menſes, & ſævus Orion
Imbribus armatam quaſſat violentius urnam,
Et nimbis immane furit, trux urſa pruinis
Frendet, & egelidi ſtrident algore Triones;
Arcturus de ſede minax, & ſævus Erichtheus
Subjectum pulſant crudis rugitibus orbem
Intentantque gelu terris, Aquilonius horror
Increpat, & tardi bacchantur plauſtra Bootis:
Parte alia indomiti latebroſo viſcere ponti
Irrumpunt furiæ, & ſi quando carcere miſſum
Caurorum ſurgit præceps in prælia vulgus,
Et tumidus ſpumat Nereus, dominuſque tridentis
Mugit, & effuſos ſolvunt cataracta canales,
Concutitur Veſtæ gremium, vis bruta profundi
Affligit terram, peccantque impune procellæ,
Atque flagellatæ delaſſant æquora cautes:
Hic opus eſt pharetris, totas Cytherea proles
Huc converte faces, queis ſunt excuſſa tonanti
Tela triſulca manu, ne ſqualida langueat Arctos,
Genſque domi pereat; quæ nondum claſſibus
Preſſit, & Alpinis ſpoliis induta Velitri (Iſtrum
Claudia funeſto macularit jugera campo;
Quid moror, Idalios linquam Venus ipſa receſſus,
Et gelidum peragrabo ſolum, nec terra mariſque
Immenſi obſtabunt tractus, Coruſque ſtupenda
Tempeſtate ferus, quin protinus æquora ſcando
Turbida, & in noſtris ludent vexilla carinis.

Dixerat: extemplo teneræ coiere Sorores,
Straveruntque ratem; nullis tabulata rigebant
Vulneribus, nullæ ſtridebant marmore tonſæ,
Non pice ſordebant funes, fundumque ſaburra
Preſſerat, aut rigidum plangebant tranſtra metal-
lum:

Qualis concha fuit, quæ quondam vecta per undas
Ionios nullo ſulcavit remige fluctus:
Cum nondum Æſonidem vexiſſet Pelias Argo
In ſtellas abitura ratis, cum carbaſa totos
Nondum ſorberent Euros, ſpoliumque profundi
Nondum pinus erat, nondum nemus iret in altum
Et lucos mutaret aquis, ſocioſque ſuſurros
Ingemerent ſilvæ, nec paſſis ebria velis
Suppara libratas æquarent vertice nubes:
Interea in celeres glomerantur Dorides orbes
Najadumque cohors, Glaucique exercitus omnis
Adproperant lætis puppim luſtrare choreis;
Neptunus rapidi compeſcit murmura ponti
Et famulas ſubſternit aquas, procul ire fragorem
Æolus, iratoſque Notos, tumidaſque procellas
Imperat, & ruptis inſana tonitrua nimbis;
Tum fratrum pax tuta fuit, ſecuraque cœli
Temperies, lenemque mari indulſere quietem
Nuſquam ſtridentes compreſſis follibus auræ;
Jamque Venus vaſto multum jactata profundo
Eluctata ſalum fuerat, cum frigida candent
Littora & Arctois immittitur anchora ripis;
Qua ſeſe inſinuat Tethys, qua ditia clauſtra
Codani guttur frenant, & faucibus arctis
Balthica felices adlambunt oſtia glebas.

Senſit terra Deam, poſitoque repente veterno
Jugera purpureis pinxit viridantia campis:
Cernis ut hyberno candentem tegmine pallam
Exuat, & preſſis laxet crudelia Coris
Frigora, & æſtivos reparet natura colores;
Cuncta ſuo ſplendore nitent, munduſque juven-
Orditur revocare novam, placidiſſima Veris (tam.
Lenius aura ſtrepit, tremuliſque per aëra gyris
Ludit & immotos vix palpat flamine ramos:
Rumpitur in vernos montis laſcivia riſus

Et nemus omne viret; tunicas in ſtemmate fran-
Surgentes botri, quaſſaſque papavera criſtas (gunt
Ambitioſa levant, & adhuc turgentia faſtu
Narciſſus fert ora puer; dulcique roſarum
Flamma cruore natat, vix & dum cortice ſpirans
Exæquaſſe nivi præſumit lilia pallor.
Aligerum ſtrepit omne genus, molliſque balantum
Turba jugis ſpatiata ruit, ſtant vellera tergo
Braccatæque ſtolæ: verni novus incola campi
Errat pone bidens: dorſo ſe turgidus infert
Vir gregis: extento redeuntibus ubere vaccis
Lac fluit, & niveo ſpumant mulctralia nimbo:
Stat ſonipes, quaſſatque jubas; ſuſpenſaque librat
Crura tenus ventrem, plangunt in vulnere frena
Et reſponſuri ſtrident ſub dente lupati.
Quin ipſæ æquoreo ſaliunt in marmore Phocæ
Immenſæ Oceani moles, genſque aſpera ſquamis
Se rotat, & vitrei per glauca palatia regni
Mobilibus verrit ponti vada cærula caudis:
Alituum celſas tranant pulſantibus alis
Garrula turba vias: pars circinat altera pennas,
Et ſurrepta Argo ſtellatæ lumina caudæ:
Altera molle ſonans vario modulamine ſylvas
Increpat, & ſtrepero ſe librat in aera gyro,
Ingeminatque mele: non Daulias amplius ales
Populea ſub fronde gemit, nec præfica leſſum
Perſonat, aut miſeræ deplangit fata Sororis:
Cuncta ſerenato rident mitiſſima vultu,
Et læta erupit facies, quin ferbuit una
Æther, & ignitos late ſol explicat axes,
Atque coloratis ludunt convexa figuris.
Nec ſaltim terram prægnanti ſtirpe maritat,
Fœcundatque ſolum, gravidas in ſemina vires
·ndit, & abſtruſas laxat Venus alma cavernas:
ı etiam humano calidam ſub pectore flammam
Quas-

Quaſſat; & heroas tentant incendia mentes.
Scilicet hæc lux eſt, qua oblitos TOTTIUS æſtus
Suſcitat, & vacui longinqua ſilentia lecti
Pellit amore novo, viduoſque interpolat ignes:
In triviis celebratur hymen, fremitumque volu-
Atria,& adverſas clamor ferit obvius auras: (tant
Prætexti longo coëunt ex ordine patres
Vix fora cognoſcunt ſeſe, trabeataque turgent
Inceſſu Magnatum, & Scania fœdere in uno
Oſtentat decus omne ſuum; Malmogia valvas
Laxat, & excelſis elatas molibus ædes,
Ac pompæ gaviſa vacant, arx tota favillis
Candicat, & ſuperos in gaudia provocat axes
Æthereaſque faces. Tu feliciſſime Sponſe
Quem cœli commendat amor, vultuſque paterni
Gloria, & effuſæ manifeſto traduce dotes,
Ac menſura capax generis, cui nomen amicas
Spes parat & magnis jamdudum deſtinat auſis,
Ordire optati genialia fœdera lecti
Et ſocios partire thoros: en candida Sponſa
Currit in amplexus, & formoſiſſima pandit
Lumina, cœleſtis tantum compendia ſolis:
Prima pudicitiæ teſtis manſueſcit ocelli
Integritas mentiſque foras juratur honeſtas:
Ingeminat ſplendore diem niveoque venuſtas
Purpurat igne genas, late micat ardua frontis
Gratia, & albenti multum decus eminet ore:
Qualis ab Ioniis emerſit Cypria ripis
Cum pavefacta ſtuperet humus rorantia ponto
Brachia, & æquoreas ſuperantia corpora ſpumas;
Seu roſa vere novo foliiſque recentibus halat,
Quam nondum violavit hiems, aut horridus im-
Læſit & imbelles proſtravit grandine cymas: (ber
Sed minimũ forma eſt: plus te reverentia morum
In Sponſa virtuſque movent, numenque colendi

Ambitioſa ſitis, totoque modeſtia vultu
Intemorata ſedens, mens labis inhoſpita nævo,
Et nunquam peccans frenum à ſe paſſa voluptas:
Jam ſtirps longa domus, & fortunata parente
Stemmata, & affines magnis virtutibus aucti
Accedent tituli, jam proxima Fœdera junget
Maximus Orcheſtræ princeps; qui munia Regis
Et tantum ſuffulcit onus: tibi numina cuncta
Augurio felice vacent, & prodiga totum
Exhaurit fortuna penu; favet ipſe ſuperne
Inter ſidereos qua *Tycho* auguſtior ignes
Æterno fulgore ſedet, ſobolique favorem
Portendit cœli, ſimilique tenore nepotum
A ſuperis optat fœcundam in ſecula prolem.

(108) In fine Diſputationis Argentorati habitæ 1648,

De *ſubtilitatibus Politicis & Aulicis* Præſide

J. HENRICO BOECLERO,

Reſpondente Melchiore Dreiling.

Ite leves animæ, damnataque corda veterno,
Ite ſoporato corpora vincta gelu,
Temporis accuſate fugam, fraudemque dierum,
Et nimium rapido lubrica ſecla pede,
Invidiaque onerate Deos, & lucis avara
Sidera, feſtinis inſidioſa rotis?
Non nos hora fugit; nos horis addimus alas,
Nos terimus cunctas contrahimuſque moras;
Dum noſtri immemores hebetant oblivia mentes
Lentaque deſidiæ ſerpit in oſſa lues,
Dum nos uda trahit ſtrepero vindemia thyrſo,
Et ſpumat bibulum crapula longa diem,

Dum

Dum mentes in corde furens emaſculat æſtus,
Et funeſta nocens pectora cancer edit,
Denique quidquid id eſt, noſtros quod lancinat (annos:
Pigritiæ, ſcelerum, nequitiæque chaos:
Interea tacitas pertexunt ſecula metas,
Horaque propoſitum ſtrenua raptat iter,
Mox cani incumbunt, & fæx ingrata ſenectæ,
Jamque vagæ ſerpunt per caput omne nives,
Si morimur, vitæ feres, & deſide fato
Pæne indignanti contumulamur humo.
Tu vero indecores animas, & torpida vulgi
Pectora, & ignavæ vincla peroſus humi
Macte animo DREILINGE, tuoſque invade de- (cores
Quod facis auguſtum carpere anhelus iter;
BOECLERUMQUE, decus noſtrū, ſectare tuum-
Ille tibi in laudes non leve nomen erit, (que,
Ille cui doctæ poſuere ſilentia Cirrhæ,
Et Muſæ poſitis obſtupuere lyris,
Ille cui hæredem tranſcripſit gratia ſuadam
Mortali poſtquam veſtiit ore deam:
Hoc duce, ſeu Latii inquiris ſecreta ſenectæ,
Seu Grajas mens eſt ſollicitare tubas,
Illinc roſtra tibi, veteres hinc ſiſtet Athenas;
Nulla tibi tellus quas peregrina dabit.

Eminentiſſimo Scaniæ Epiſcopo (109)

Illuſtri & Celeberrimo Viro

D. PETRO WINSTRUPIO

Domino de Verpinge &c.
Sacras Pandectas Edenti
Incrementum, decus, felicitatem. 1666.

QUam bene fulgentes Winſtrupius inter hono-
Et decus & claram nomen & arma domus, (res

Altius urget iter, trabeaque excelſior omni,
Prævenit humanæ conditionis opes
Numinis interpres magni, cœlique Dynaſta.
Et non fucatæ relligionis apex,
Qui Cyrrham Jordanis aquis, Helicona Sioni
Jungit & Hebrææ Romula plectra tubæ.
Atque Paleſtinis accendens lampada chartis,
Aſſerit infractam vindicis ore fidem:
Pro gladio, & pharetris, atque ignipotentibus ar-
Militat æterno lingua diſerta Deo, (mis
Eloquiique decus, & ſuadæ divitis uber,
Lætaque vis fandi non habitura parem,
Qua ſectas domat omne genus, cultuſque nefan-
Et nomen quicquid impietatis habet; (dos,
Hoc parvum eſt; rabidi qua vim confringit aver-
Certaque de domito Dite trophæa refert, (ni
Hæc eſt Nobilitas, argumentumque caloris
Ingenui; Chriſto vivere, nolle ſibi.

---

(110) *RHYTHMI VETERES*
De Exitu Longobardorum
Latino carmine redditi
a Vito Beringio;

Habentur in notis Stephanii ad Saxonem Grammaticum *pag.* 181.

E*BBO AGGOQUE* Duces, quondam cum fortè paternos
Laſſa Ceres fruſtraret agros, inimicaque ſuetas
Flora negaret opes, *Scanis* de finibus acti
Externas alio quærebant ſidere ſedes.
Fluctivagæ placuere acies, & claſſibus æquor
Captum, jam ſtabant naves, centumque virorum

Quæ-

Quæque capax radebat aquas, & compede vinctus
Ingemuit pontus, decies ſeptena propinquas
Neptunus ſtupuit ferientia claſſica gentes.
Vandalicus dictus populus; nam *Vandalus* EBBO
Indiderat ſociis nomen; ſed ſtirpe *Godinga*
AGGO ſtetit: quamvis minor ortus diſpare terra
Rettulit *EBBONEM* materno ſanguine fratrem.
Ut Gothicum tetigere ſolum, primo excita ſede
Gens ruit, & patriis fremuerunt murmura portis
Defenſura lares: ſed poſtquam Cimbrica tranſtra
Et mites novere duces, non horridus ultra
It fervor, condunt lituos, pugnæque relanguet
Impetus, & rabidas clementia temperat iras.
Convenit in dextras, & binis menſibus actis
Concordem ſociant aciem; coiere Gothorum
Mille viri, centumq; rates, ſtructæq; phalanges
Vicinas toto populantur littore terras.
Bellanti patet omne gregi: ſuperataque priſcos
Rugia declinat faſces: vagus incola mundi
Errat, & emiſſis extendit ſceptra colonis.
Jam tum defunctis ducibus, placuere ſecures
Regis *HAGELMUNDI*: paret fortuna potenti
Ferro; victrices animæ famulantibus aſtris
Oſtendunt latè dextras; nudantque feraces
Longobardorum pacatis ſedibus oras,
Et ſibi devictæ depromunt nomina gentis.
Dic clades, dic Drave tuas, quæque alluit Iſter
Paſcua, Pannoniæque domus, tuque alta Vienna
Cæſareique lares, etiam vos Dana juventus
Stravit, & edomitâ victrix ſaltavit arenâ.
Reſtabat Latium totius curia mundi,
Hæc quoque ſuccubuit jam lapſis viribus ægra:
Adria teſtis erit, Veſulus cum cederet axis,
Eridanuſque ſuas ſtupuit palleſcere ripas,
Laus viget, & toto volitant præconia cœlo,

Famaque dicet anus, quot claris bella triumphis
Geſſerit hic populus, donec poſt ſecla ſequentem
Carolus afferret ſucciſa ſtirpe ruinam. (ſubdunt,
Laudo tamen Cimbros, qui dum ſibi cætera
A ſummo tantum voluerunt Cæſare vinci.

(111) In Effigiem
Perilluſtris & generoſi
Domini
DN. OTTONIS TOT,
Domini hæreditarii de Næs
Regni Daniæ Senatoris
&
Malmogiæ Præfecti.

Quam pulchrum eſt, o poſteritas, Natumq; Pa-
Orcheſtra junctos ſplendidiore legi, (tremq;
Et patrium auguſtis moderari legibus orbem
Fortunæ pariter muneribuſque pares:
Salvete o proceres, o dulcia nomina, per quos
Nomen honoratum gentibus Arctos habet,
Tuque o, qui noſtris infers hæc gaudia ſeclis
OTTO ſalutari nomine fidus ades
Cui cœlum favet omne ſuoſq; aſſignat honores,
Quoſque homines optant quoſque dedere Dei:
Vis, Lector, ſtirpem, nulli quæ cedat in orbe;
Et procul a magnis nobile nomen avis;
Conſiliumve, manumve; & rem ſi patria poſcat;
Invictâ imprimis pectora pura fide;
Una tabella dabit tot candida nomina recti
Seu quicquam his majus fingere mente juvat.
Divitias memorare nefas, queis celſior ipſe eſt,
Munera qui mentis nobiliora putat;
Inter opes, & quicquid habet vel diſcupit orbis,
Pulchrum eſt, nil Domino pulchrius eſſe ſuo.

(112)

NATALITIÆ CHOREÆ

Solennis Actus

Quum ſacro tingeretur fonte

FRIDERICA AMALIA

Sereniſſimi & Potentiſſimi

Daniæ, Norvegiæ, Gothorum & Vandalorum Regis

FRIDERICI III.

Ducis

Sleſvic. Holſat. Storm. Dithm.

Comitis

Oldenburg & Delmenhorſt

AUGUSTA SOBOLES.

Impreſſ. Hafniæ 1649 in folio.

PROLOGUS IN LAUDEM SEXUS FOEMINEI, ET RAPTUM SABINARUM.

Turba Dionæi, molliſſima corcula, cœtus
  Turba puellaris delitioſa chori
Illecebræ noſtræ & deliria dulcia vitæ,
  Sed tamen & noſtris blanda medela malis,
Cui Venus, & toti ſeſe indulſere lepores,
  Cui Charis, & mixto ridet amore jocus,
Cuncta tibi parent. terræ dominaris & aſtris
  Et trepidos cogis ſub tua jura Deos.
Aſpice flammantes tot Olympi penſilis ignes,
  Judice queis Phœbo præniτuere tui;
Imperio Mars tela tuo ſubmittit & haſtam
  Et ſubdit famulas Oceanitis aquas;
Jupiter ignoſcas: cedunt tua tela Dionæ,
  Et trifidum Paphia ſub face fulmen hebet,
Majeſtas ſub amore jacet; ſapientia ſeſe
  Neſcit, & arbitrium non habet ipſa ſui;
Vobis virginei vultus, oculique loquaces,
  Et niveum propter lilia nata ſinum,
Atque inter dulces nutantia lumina riſus,
  Lumina, queis furtim tela recluſit amor,
Vobis cuncta in nos ſuperi voluere licere,
  Et cuncta in veſtras jura dedere manus,
Vobis emeritos Pyleus reſſuſcitat annos,
  Et ſua Neſtoreus colligit oſſa cinis;
Ipſe Cato torva deponit fronte Catonem,
  Et ſævo cunctas exuit ore minas,
Vobis ſubmittunt magni diademata Reges,
  Armaque Virgineis, arma minora jocis:

Ro-

Romulus Auſonias dum ſubdit legibus urbes
Atque triumfato victor ab hoſte redit,
Inſidias tenero ſolus meditatur amori:
Quid facis, o gentis maxima cura tuæ?
Incautas cepiſſe dolo vel fraude puellas,
Scilicet hoc vinci, non ſuperaſſe fuit;
Dum rapimus, rapimur. hæc eſt de virgine palma,
Hic propria victor ſemper ab arte cadit:
I tamen ad prædas, ad dulcia prælia miles,
Vincere vel vinci ſic potuiſſe juvat.
At tu pulchra cohors, quâ non ſimulantior ulla eſt
Quæ cupidis properas vertere terga procis,
Viciſti, ſis capta licet, lepidiſſima rerum,
Non fugis, ut fugias, ut capiare fugis.

SCENA I.

Quatuor Legati, a Romulo emiſſi.

I.

Imago nobis Urbis, haud urbs condita eſt,
Quam ſolvet ætas una, ſi deſit thorus
Dulciſque pignora conjugî, cœlum quibus
Faſces ſpopondit orbis, & fatalia
Terris regundis nomina. O quid cœlibes
Numeramus horas? deſideſque ducimus
Infructuoſi ſterile tempus ocii?
Quis eſſe potius Bubo quam Phœnix neget
Inter volucres? quis velit ſolatio,
Natura nobis quod dedit dulciſſimum,
Carere? Noſtri primus imperii parens,
Ponens triſulcum ſæpe fulmen, in ſinu
Sedit puellæ. Turba nos Mavortia
Martem ſequuti, conjugemque Cypriam
Noſtri premamus principis veſtigia.

II.

II.

Armiger fruſtra nepotes & nepotum filios
Mars ſibi ſperare poſſet, irrito voto nurum,
Et futuras dia neptes poſtularet Ilia,
Si parentis dulce nomen, ſi illecebras conjugis
Pergeret neſcire noſtri generis autor Romulus
Nos quoq; infœcunda ſi ſic duceremus tempora,
Candidæ ignari Cytheres, nil morati poſteros,
Illa nuper nata, juſtis deſtituta urbs civibus
Mox cadens, animam ſub ipſis funderet cunabulis:
Germinantibus ſubinde ni reponat ſurculis
Innovatam cultor horti ſtirpiumq; propaginem,
Inſequens ætas caducas derelinquet arbores,
Et ſuis nudata cernet fructibus plantaria.

III.

Ut cœlo indigetes conciliet novos
Felix innumeris Ilia neptibus
Altrici Tiberinus
Matres non dabit alveo
Nec tu Virginibus dives Anagnia,
Nec pulchris celebris Nurſia fœminis:
Prælataſve Deabus
Mittens Caſperie nurus.
Dilectas animas, & ſocias thori
Præbebunt Tatiæ cum Forulis Cures,
Et Cenina, propinquis
Gaudens Cruſtumini jugis.
Quin ergo, ſocii, corripimus viam,
Et juſſi exſequimur debita muneris,
Non tam Romulus, urbis
Æternæ ſator & parens,
Quam Natura ſuos provida nuntios
Ablegat. Veneris Tu Cypriæ puer,
Nos, ſi cætera deſint,
Facundos facies, Amor.

IV.

IV.

Quid par habuit fœmina pulchra?
Quid pretioſa natura ſinu
Caſta melius fudit in auras?
Illa pudicam ſervare domum
Et Palladias docta per artes
Ducere tenui pollice lanam,
Famâ celebris, formâ ignota.
Circum dulces ubera nati
Caſtæ Veneris præmia pendent,
Et virtutem ſub lacte trahunt:
Qualis rivus gramina tingens
Haurit patrio fonte ſaporem:

Illa arcani ſapiens cuſtos
Domini in dubiis ſedula rebus
Quas non animo verſare viris,
Quid non lacrymis ſuperare potens?
Utramque pati bona fortunam
Et concordi comes ire thoro:
Sic quæ rigido marmore ſculptos
Viva cineres condidit urna,
Quæque Emathiis animoſa virum
Perdidit arvis, pluſquam ſocios
Ebibit ignes non verita mori;
Et quæ pectus non dolituro
Saucia ferro, ſævam docuit
Optare necem. Quæque maritum
Obvia fatis morte redemit.

Auſa & mulier ſæpe virilem
Cohibere fugam: ſæpe emotas
Reddere pavido pectore vires.
Cruenta viros ſtraverat agris
Sparta, ſed Argis repperit hoſtem.

Et

Et fœmineis cincta maniplis
Qua ludenti cecinit plectro
Teleſilla manu prælia fecit,
Dedit & Tyriis jura colonis
Galla Virago.

SCENA II & III.

Romulus de raptu Sabinarum deliberat.

Qui Jovem Divumque hominumque Regem
Parare furtivos dolos,
Qui Deum brutas ſimulare formas
Ferâ coëgit cuſpide,
Imperat noſtris Puer ille ſceptris,
Inſuetaque arma concutit:
Nil juvat ſplendens iter ambientum,
Procis negantur fœminæ:
Nec preces blandæ, neque miſſa duras
Flectunt Sabinas munera.
Vis capeſſenda eſt, ſed amica; vires
Sunt temperandæ aſtutia.
Nubiles cogi cupiunt puellæ;
Quod expetunt amittere,
Callidæ tolli ſibi conqueruntur,
Fictis mandentes lacrimis:
Hoc genæ poſcunt, ubi miſta fulget
Lacti recenti purpura,
Hoc petunt ſenſim tumidæ papillæ,
Et quas ſinus partes tegit.
Tu fave noſtris, Cytherea, cœptis,
Caſta Cupidinum choro
Cincta, ludorum tibi qui parantur,
Jocoſa ſpectatrix ades.
Mox potens voti ſtatuam trophæum;
Diviſque nuptialibus

Pura

Pura portabo niveæ columbæ
Sacras ad aras viſcera.
Ite, o nullis fracta periclis
Pectora: dulces ad delicias
Vicinaque jam gaudia alacri
Properate gradu. Quantum valeat
In magnanimos mens veſtra viros
Fortiſque manus, fœmina diſcat.
Ite o ſocii, non ad dubiæ
Tædia pugnæ, ſed ad amplexus,
Et ſocialis prælia lecti:
Pro litigiis ſperate jocos
Pro vulneribus baſia duris.

SCENA IV.

FILIÆ RAPTÆ.

Cingimur inſidiis: quo te modo teſtibus illis
Vertis inops, tanta territe fraude, pudor?
Undique vis inimica: fugæ non ulla poteſtas
Ni fuga ſit prompto pectore ferre necem,
Ferre neces & tela parum eſt: ſed fama ſepultas
Quæ ſubit? & mores quo canet ore pios?
Scilicet infandos aluiſſe hæc pectora amores?
Et ſceleri impurum ſuppoſuiſſe caput;
Spem caſtæ fraudaſſe domus? fregiſſe pudori
Fœdera, nativa conciliata fide?
Falſa: ſed in falſis vera eſt infamia dictis,
Vertitur hoc falſo cardine verus honor.
Quin ſociæ moriamur, & hæc in fata ruamus
Effugium tantis mors erit una malis;
Stet ſceleri infando caſtum præferre pudorem,
Stet vel in adverſas pectora ferre neces,
In nos ſaxa ruant, in nos ruat arduus æther,
Sit modo ſupplicii cauſa; fuiſſe pias.

SCENA V.

Raptores Sabinarum.

I.

Plaudit protervus nuptiis novus amor,
Cytherea tædas concutit ; ſobolem novam
Natura noſtri ſperet adjutrix thori.
Faciles adeſte Nymphæ in hæc primordia,
Metumque inanem ponite, & quibus dedit
Fortuna corpus , his etiam animos date.
Sic ſæpe vinci voſmet exoptabilis,
Placata poſtquam e cordibus ferocia
Migrabit : Sic Sol quas ſeveras aſpicit
Nimiumque duras, mitigabit Heſperus ;
Et luna ſocii ſola teſtis fœderis ;
Pacem reducet, placida rixarum arbitra.
Tu gnate Veneris, illices Cupidinum
Pone hic Pharetras ; ſic eundum eſt in thorum :
Jam fama noſtrum facinus ævo poſtero
Tranſmittet, unde certa venturus nepos
Exempla capiet : rapta materno ſinu
Virgo jugales poſtmodo accendet faces,
Nubentque pulchræ ſic nurus Quiritium.

II.

Cedant trepidæ pectore rixæ,
Triſtes abeant corde querelæ,
Si liticulis ſtimulatur amor
Primam vitiet rixula noctem :
Mox flammeolis Aurora ſequens
Roſei vultum conteget oris,
Dabiturque comis altera vitta :
Placeat vobis mutata domus,
Poſitique alia ſede penates :
Neque dividiæ ſit virginei

Onus

Onus ignavum ponere floris,
Nobile Matrum in nomen iturit:
Nunquam gravidos edere fœtus
Arbor poterit, niſi ſternat humi
Lapſa caduci germina floris.

SCENA VI.

Sabini de raptu queruntur.

Ecquis tutus erit, ſuamque ducet
Immunis trepido pavore vitam?
Nec ſancta integritas, fideſve priſca
Securas ſibi pollicentur aras.
Marcet Relligio, Diis ſacrati
Turpantur ſcelere, atque fraude ludi:
Fictâ ſub pietate ſtupra fervent,
Nutriceſque libidinum rapinæ.
Quidnam ſæva cupidinum genitrix,
In noſtros tibi juris eſt penates?
An morum decus & ſacrum pudorem
Conſervare, dehinc ſcelus puellis eſt?
At vos ſacrilegi, exſecrata turba,
Raptores miſeri, quibus pararunt
Æternas generoſa facta laudes,
Auſis fœmineam aggredi catervam,
Pura ſimplicitate, & innocente
Vita, non clypeis nec enſe cinctam,
Vos, ſi degeneres, nimiſque inertes
Permittunt animi, Viros deinceps,
Non autem mulierculas inermes,
Pugna vincite, deque digniore
Sexu figite dignius trophæum.

CHORUS.

Magni propago Patris honoribus
Intaminatis par ſuperis fides,
O quam peregrino laboras
Diva ſolo, melioris hæres
Te purpuratis pervia ſimiis
Regum aula ridet: te ſacer infula
Prodit ſacerdos: te loquentem
Sanctius Auſonii ſenatus
Odere Patres. Quo ſemel exulas
Contempta regno; Perfidia impios
Celans receſſus, falſitaſque
Frauſque ſubit, pavidaſque ducens
Error tenebras: omnipatentibus
Venenum adulans cordibus ingerit
Gratuſque qua lædit ruina
Viſceribus fuit occupatis.
Tales doloſa rupe Pelorias
Puella nautæ non bene credulo
Stillavit artes, & volantis
Velaque remigiumque cantu
Fixit carinæ: riſit inhoſpitis
Deprenſa puppis vorticibus, dabat
Mortem voluptas, & volentum
Blanda lues populabat artus.
Non omnia ibunt ſecla nigrantibus
Corrupta fuſis: ſed vitia interim
Placent rudimento, gravemque
Prima levat novitas laborem:
Experta languent; dat ſaties modum
Virtus perennat ſola, boni fames
Augetur uſu, ſeque turpis
Impatiens ſenii propagat.

Quum

Quum tela lucis per liquidum aëra
Recentè Phœbus fudit anhelitu
Primoque non puros calore
Elicuit pelago vapores:
Vides ut atra nube tyrannidem
Cœlo minantur? ſtat Deus altior
Viamque rimatus diei
Dividit hinc tenebras, & illinc:
Tandem recepto pulchrior æthere
Mundo auſpicatam cæſariem explicat,
Curruque jam victor, ſereno
Per ſolitos equitat meatus:
Talis cupitum reſtitues jubar
Alumna virgo Temporis; & jugum
Olim triumphatæ ſequentur
Horribiles ſcelerum catervæ.

SCENA VII.

CAPTIVI.

I.

Duras catenas, vincla, ſævos compedes
Situmque olentis carceris,
Teſtes ciemus patrii infortunii,
Et propriæ obſignacula
Virtutis, hoſti terga quos oſtendere
Ignobili puduit fuga.
Quamvis iniquæ ſortis ob cœcas vices
Nos Marte dubio vicerit
Noſtro triumphans Roma fato, non tamen
Invicta vicit pectora,
Supereſt Sabinis magnus animus: carcer eſt
Maritæ ſequeſter gloriæ.
Erras, nocentem quæ putas exercitum
Fortuna, qui devictus eſt:

Non ille, bella qui gerit felicius,
Gerere putetur justius.

II. CAPTIVUS.

Sic nempe rupto jure ſacro gentium,
Poſthac in alienas opes,
Quin in familias, & lares graſſarier
Impune ſceleri fas erit!
Sic per ruinas accolarum gentium
Urbs jura quæ terris dabit,
Per ſcelera primum comparet ſibi gradum,
Pandetque per nefas fores,
Fortuna, nos te, nunc tuum ludibrium,
Donamus hoc præconio;
Vires ubique & improbam potentiam
Sed maxime in bello exſeris.

SCENA VIII.

Fugitivi e pugna, ſimulantes ſe mutilos & claudos.

I.

Dum ſocios vanæ laudis temerarius ardor
Evocat ad pugnam, dum triſtia vulnera paſſis
Labitur effuſum late per languida membra
Purpureum flumen, nec jam diſcriminat ullus
Aut artus, aut ora color, ſed corpore toto
Horrendum aſpectu, vulnus, livorque cruorque
Trajectas nudaſque fero de vulnere coſtas
Haurit & adverſi regnant ſub pectore venti,
Nos latebræ, & læſæ ficta hæc diſpendia plantæ,
Securos fecere necis, vacuoſque periclo.

II.

Ridete noſtros, Turba Nobilis, ſaltus,

Qua-

Quali cachinno perſonare cœleſtis
Audita quondam eſt aula, cum dapes inter
Nudata cunctis puberes ſinus Divis
Monſtraret Hebe, plena nectaris ſucco.
Cum paſſum iniquo debilem pede alternans,
Et hinc vacillans indeque impari talo,
Feriret aureum Mulciber pavimentum
Illi voluptas, at ſalus fuit nobis
Moviſſe plantas. Sic fuga ſalutari
Tergo cruentas cavimus cicatrices.

III.

Quid noſſe juvat, num lethiferi
Dum fervet opus dubium Martis
Stygii fulmen triſte metalli,
Valido coxas ruperit ictu;
Aut ſucciſo poplite vires
Genibus dempſerit hoſticus enſis;
An præproperam metuens mortem
Timor, integros finxerit artus
Clade teneri. Generoſi animi eſt
Texiſſe dolos; & ſimulati
Præmia morbi ſpreviſſe, crucem,
Scuticas, virgas, pedicaſque graves,
Et perfrictæ ſtigmata frontis.
Audendum aliquid brevibus Gyaris
Atque ancipiti carcere dignum;
Tibine latrante impulſa fame
Murmuret alvus; poſſiſque piger
Sacra ſocordi ferre vacunæ.

SCENA IX.

HERACLITUS

miſeriam humanam deplorat.

I.

Heu quam perpetuum eſt nihil!
Quam nunquam ſtabili gradu
Ævi ſors fragilis manet!
Et quæ tuta putes, brevi
Momento Deus obruit!
Sic mundi imperium cadit
Præceps. Occidis, occidis
Imis eruta ſedibus
O gentis domus exſulis:
Nec Saturnia te Jovis
Conjux eripere, & ſoror
Nec quicquid ſuperum eſt, valet,
Urgent irrevocabiles
Parcarum exitium coli:
Stat defixa adamantinis
Clavis dura neceſſitas
Et fati ſtabilis rigor,
Qui terram & mare continet
Ac rerum dominos premens
Infra ſe ſuperos habet.
His impulſa, velut Noto
Confligente Aquilonibus
Quercus pulſa vel ilex
Incumbet ſibi machina
Et quamvis properet furens
Vulcanus, properet ferus
Ignis non patiens moræ
Orbis mole tamen minor,

Lea-

Lentos increpitat rogos.
Quam mox funditus obruet,
Evictamque rapacibus
Flammis altius hauriet
Congeſtus cumulo cinis.

Hoc habent in ſe miſerum beati,
Eſſe quod nolunt miſeri: ſecundam
Prima fortunam vocat aura ſeque
Ebrium præſente bono, futuris
Proluit pectus, niveamque vitæ
Aurea ſperat ſeriem catena.
His ferax pandit gremium irremiſſæ
Cura naturæ, rotat aſtra cœlum
Candido circum micat igne Phœbus,
Parturit fruges inarata tellus,
Subſidet pontus, famuluſque juſſa
Accipit orbis.

Quis Deum voces ita conſtitutis
Quis poli longe jaculantis iras
Quæque mortales agitant procellas,
Et Deæ ludum volucris, ſuoque
Semper auctori grave crimen, & te
Proh nimis velox Libitina, voſque
Tartari flammæ male nominatus
Occinat augur?

O mihi nunquam nimium beatæ
Aura fortunæ veniat, diuque
Inſolens cladis favor! o ſerenum
Auferat nubes, ſuperumque dono
Sic mihi dulces lacrimæ madeſcunt.
Ille plus felicibus eſt beatus,
Qui poteſt vivendo minus beatus
Aut miſer eſſe.

II.

DEMOCRITUS

ridens vanitatem hominum.

Ridete o juvenes, viri, puellæ,
Ride Ruſtice, Nobiliſque, magno
Splenem concutite, ha ha he, cachinno.
An quiſquam niſi ferreus, lapiſve
A riſu ſibi temperet ſoluto?
Vanos ſollicitudinum tumultus,
Et curas hominum videns inanes,
Iras, ludicra vota, ſpes caducas,
Terrenis adamantina catena
Affixas animas, originiſque
Oblitas propriæ: rotata circum
Quoquo lumina vertero, obvium omne
Pulmones agitat, latuſque tundit
Poſtico reſonans mephitis Euro.
Sed quanquam omnia digna ſint cachinno,
Ridendum tamen eſt nihil magis quam
Deliri lacrymæ, ha ha he Heracliti.

SCENA X.

PORSENNA

DE

OBSIDIONE ROMÆ COGITAT.

Infamem, o ſoboles Mavortia, cernitis Urbem
Et impiata cæde fratris mœnia.
Illa ex colluvie graſſantum mixta latronum,
Infeſta ſibimet eſt, gravis viciniæ.
Sed quamvis rapido cingatur Tibridis alveo,
Septemque geminis collibus ſuperbiat,

Ne

Ne ſcelus inveniat ſolitas crudele latebras,
Veſtra, ſodales, fretus officium manu.
Sit labor, ex imis evertere fundamentis
Dira impiorum clauſtra civium, domos.
Idem qui condet Dominorum oblivia ceſpes,
Una offuturam ſeculis famam obruet.

SCENA XI.

FECIALIS AD PORSENNAM MISSUS A ROMULO, UT PACEM ET FOEDUS COMPONAT.

Æterna homines ſi ſemper agant
Odia, & nunquam cedere juſſus
Furor ex animis; nihil integrum
Bella relinquent; vacuus ſiccis
Sterileſcet ager ſqualidus arvis,
Genteſque cinis, face ſuppoſita,
Domibus lapſis, obruet altus:
Blanda ingenuæ nomina Pacis,
Inimica fero nomina Marti,
Dulci afficiunt pectora motu:
Valida Pacis ſtabilita manu
Nullam metuunt tecta ruinam;
Fœcundus ager meſſe benigna
Durum agricolam beat: innumeris
Potior pax eſt una triumphis.
Tibi Romanus pacem populus,
Simul erectos affert animos;
Mecum ancipiti veniunt greſſu
Dea ſervatrix hominum, & vindex
Tutorque ſui Mavors populi.
Vires noſtræ ſupereſſe Urbi
Porſena noris; ſi dubitabis,

Valde ambiguas; ſi deſpicias,
Acres etiam; Perpende animo,
Quod tum melior, tum tuta magis
Pax certa fiet, victoria quam
Sperata; tuis illa in manibus,
Hæc in genibus poſtea Deorum eſt.

SCENA XII.

CLOELIA CUM SUIS OBSES.

Forti macte animo meæ ſodales,
Fortuna quas mi cœca conſortes dedit
Nec conſtantia ſola ſit virorum,
Immota videat fœminarum pectora
Omnis poſteritas; fide tenaci
Caræ ſalutem vindicemus patriæ.
Ætas quo ſciat omnis atque ſexus,
Se conſecratam Diis fociſque patriis
Accepiſſe animam, & ſolo paterno
Se reddituros, quando eam popoſcerit.
Felices nimis, & quater beatas,
Quarum probatus; teſte patria, pudor
Sævo mox veniet probandus hoſti,
Mea ſi juvabit conſequi veſtigia.

SCENA XIII.

Muſica captivis puellis miſſa: quæ lubrica fortunæ memorat, & conſtantiam in adverſis hortatur.

Mutant fata vices: ille favonio
Quem vectum facile cernis, eburneo
Sublimem ſolio, & non imitabili
Majeſtate ducem, jura minoribus

Dictan-

Dictantem populis, mox ſtipis indigus,
Terræ pondus iners, illacrimabilis
Vulgi ludibrium, pauperiem & probrum
Prodet teſte manu. Quem modo ſordidæ
Vappam plebis, olentum ex grege fugeras,
Faſtiditum oculis, nunc humilem ſuper
Turbam conſpicuus conditionibus
Gaudens Attalicis, ordine faſcium
Hærentum lateri, & pone ſequentium
Celſus per timidorum ora Quiritium
Terrarum Dominis par graditur Diis.
Mutant fata vices. Cernis ut ardeat
Plenum luxurians tollere verticem
Arbor ſacra Jovi? nunc placidas bibit
Auras, & Zephyro gaudet amabili
Incriſpaſſe comas. Mox patiens truces
Lapſuris ſubito frondibus Africos
Damnoſaſque hiemes, nuda caput, feræ
Porget digna joco brachia grandini.
At quæ ſuſtinuit jam fugiens gelu
Diſſolvente nives ſole, cacumina
Vernis grata feret dives honoribus.
Te ſi præcipitem Diva, volucribus
Circumvecta rotis, neſcia mobilem
Defixiſſe gradum, culmine proruens
Nudum divitiis exuit, & lare:
Æqua mente levem riſeris aleam
Fluxæ ſortis; opum, non animi minor.
Mox quum fata volent fœnore prodigo
Amiſſum referet blanda Favonium.

SCENA XIV.
DUO SANNIONES.
SANNIO I.

Exi foras, Sapientia,
Matris ridiculæ ſtulta propago.
Sedes novas tibi quærito
Ultra Sauromatas, aut apud Indos:
Jam viluit tua gloria;
Et quondam celebris nomen honoris.

Quod ſapienteeloquio, & grandiſſimæ nectare lin-
Exſequi fuit negatum Neſtori, (guæ
Hoc apinis nugigeriſque affaniis ſcurra facetus
Sæpe magnis perſuadet patribus.

SANNIO II.

Huc ades noſtri ſupellex ordinis domeſtica.
Ampulla, lecythus, ſtrigil.
Et facetæ inſigne gentis, perforatum pallium,
Fartumque ſarracum logis
Non futurum inane noſtris Præmium laboribus
Cantata ſpondet regula;
Ecce de Sophia trophæum Diva ducit Moria,
Plauſuſque Plebis provocat.
Verba dio plena ſucco, fœta rore cœlico
Cum fundit aureum in tholum
Elevatus ille longa membra claudens cyclade,
Magno ſacrum cui ſinciput
Circulus circumdat orbe; ſi parum protraxerit
Divina linguæ munera,
Aure non fert nauſeante parvulam auditor mo-
Negans quietem clunibus; (ram

Aut nimis tardante motu perſtrepentis machinæ
Momenta cuncta ſupputat,
Preſſus aut ſopore ronchos efflat e pulmonibus,
Dum naſus excubat vigil.
At facetas ille ſpectans Sannionis fabulas,
Os quando Mimi ſeſquipes
Errat hinc & inde torſum, quod parentis in ſinu
Formidet infans ruſticus,
Impium ſiticuloſo quando ſcomma gutture
Spumans cachinnis projicit;
Ille utramque lætus aurem ludicris accommodat
Auditor abſque tædio:
Et nihil faſtidioſam conquerens moleſtiam
Nudo ſcabello conſidet,
Nec fodi latus moratur, nec teri ſentit nates,
Logos facetos dum bibit.
Multa titillant Neæram ludicris affaniis
Quæ non laceſſunt Socratem.

SCENA XV.

BINÆ MULIERES PYRRHICAM SALTANTES.

MULIER I.

Mutans vices Natura, verſa
Deſciſcit a ſeſe indole. Eho
Colos, Viri, lanam & culinam
Curate, nobis linquite enſes.
Quanquam illa nunquam bellicoſa
Viſa eſt manus madere cæde,
Volubili tamen meatu
Et arte facto novit ictu
Grátam creare alacritatem.

MULIER II.

Non ſolus gladios, ſævaque luridæ
Armamenta necis Mars rigidus quatit:
Eſt cum poſt thalami munera conjugis
Enſem depoſitum Cypria corripit,
Atque aptans galeam nexilibus comis
Mentiti ſimulat ludicra prælii.
Nec mortem populis noſter acinaces,
Nec tentat lateri vulnera, ſanguinis
Expers: innocuis aërea flexibus
Pulſat: delicias atque jocos ferens
Feſtivo recreat pectora fomite.

SCENA XVI.

CLOELIA TIBERIM TRANSITURA.

Oppreſſit altus jam ſopor hoſtium
Secura noſtri lumina; Quin cito
Alacritate hanc occupemus
Segnitiem, ſociæ, ſupinam.
Virtute ſola vindice, patria
Sit noſtra ſpreto libera Porſena,
Natura cum vires negarit,
Fraude piis licet eſſe ſumpta.
Jam ſervitutis dura repagula
Rumpamus omnes: vorticè parvulo
Diſcreta libertas ab urbe eſt,
Auſpiciis reparanda noſtris.
Optata ſanctis ſi dederint Dii
Eventa votis, Roma ſuperſtites,
Suique tutrices honoris
Promerito excipiet triumpho:

Sin

Sin unda fractos invida Spiritus
Contaminatis fluctibus hauſerit.
Præ Mutiorum Coclitumque
Clœlia nominibus feretur.
Ergo ſecundum Tibridis alveum
Intacta fundo dividat ungula,
Natantibus benigna lenem
Subdet equis Dea glauca dextram.

SCENA XVII.

NUNTIUS AD PORSENAM DE CLOELIÆ FUGA.

Rupere vincla, cumque vinculis fidem
Aſtuta turba virginum, quas obſides
Suæ fidei Roma dederat Porſenæ.
Fugitiva celerem tranſiit Tiberim cohors:
Mihi animus una fugit; incerto impetu
Timor pavorque vacua pulſat pectora.
Inauſpicatum nuntium perterriti
Sequetur ira Regis, atque animi furor
Sui impotentis; noſque participes mali,
Triſteſque ſortis erimus adverſæ arbitri;
At turba mentis cum reſidet concitæ,
Reduxque rectam Ratio monſtrabit viam,
Tua etiam ab ipſis hoſtibus laudem feret
Virtus, virago; patriæ inſolens amor,
Supraque ſexum grandis animus, gloriam
Tibi futuris comparabit ſeculis.

SCENA XVIII.

PORSENA INDIGNATUR.

Impia & ſcelerata Roma, ſimilis obſidibus tuis,
Quæ tibi fides, & iſti fœderis conſtantia,

Quis Deum metus ſuperſit, jam probaſti denuo,
Ite mortales, doloſis fœminarum machinis
Obices date, inviorum montium crepidines,
Aſperos opponitote gurgites torrentium,
Siſtite excubias inanes, ſtruite turrim aheneam,
Corpora armis militumque copia circumdate,
Irritus tamen furentes ibit in Notos labor, (nus:
Clauſtra fallet, viperinum mœnibus erumpens ge-
Jam mihi fruſtra trecentos, Roma, mitte Scævolas,
In meum jurare pergat ſocia factio caput;
Me tenax ſervare pacta, juraque impos prodere,
Faciet immunem periclis animus, inque prælio
Mille Romanos Hetruſci vincet unius fides.
Sed dolo fucata virtus & gravi perjurio,
Te, ſceleſta gens, ab imis eruet radicibus;
Ultimum, infamem periſſe, nomini addetur tuo.

Arma expedite milites; ſomnos fugat
Metum increpantis Martius clangor tubæ,
Oritura condet ultimos belli ſonos
Urbiſque triſti clade ceu nimbo minax
Cum cive pariter occidet cæſo dies.
Hic limes eſto Martis; hunc multa nece
Commilitones, hoſtiumque ſanguine
Fauſtaque deſignabitis lauro diem.
Nihil hic timendum: reſtat exiguus labor
Finis laborum, frangite occluſas fores,
Urbem latebris ſternite trementem ſuis,
Pax huic fideſque nulla, nec veniæ locus,
Nec ulla ſunto fœdera; extinctam, obrutam,
Superſtes olim parvus oſtendat cinis.

SCE-

SCENA XIX.

DUO SAPIENTES REGI SUADENT UT A BELLO DESISTAT.

SAPIENS I.

Dum ſortis anceps alea
Permittit, o Rex, noſtra potius ſint tibi
Conſilia præſto, quam manus.
Quamvis trigemino cinxeris munimine
Obſeſſa Romæ mœnia,
Miſeroſque dura preſſeris cives fame;
Hoc mente tecum cogites:
Utcunque deſint cætera, at ſuperſtitem
Non defore his conſtantiam,
Animoſque magnis motibus non impares
Nil tuto in hoſte ſpernitur.
Nec quem facilius fata caſu præpete;
Quam nil timentes, obruunt:
Sit Roma priſcis deſtituta viribus,
Vires miniſtrabit novas
Comes furoris, ſæva deſperatio:
Quales propinqua funeri
Ferociore dente ſævit beſtia,
Et morte morſus integrat.
Tunc optima eſt de Pace conſultatio,
Tempuſque ſe offert unicum,
Cum quiſque fretus ſemet, ac potentia
Uterque confiſus ſua,
Nondum ſubire virium periculum
Voluere, ſpe ſibi pares.
Nec ſit pudori, Martis incerto exitu
Pacem prehendere integram;

Pe-

Petiere pacem ſæpe, certa jam quibus
Victoria in manu fuit.
Romana quam gens pertinax ſit gloriæ,
Spretæque vitæ prodiga,
Audax aduſta Mutius docuit manu.
Non livor illos æmulus
Injuſta ad arma conciliavit: pro Deum
Aris, focis propriis
Animo atque forti dimicabunt dextera.

Sapiens II.

„Heu quam difficile eſt poſſe ſuis modum
„Votis ponere; nec plus licitis ſequi,
„Nec divis nimium credere proſperis:
Dum curvat tumidos aura favens ſinus,
Tunc quacunque datum eſt, mobilis immemor
Fati, nec dubias mente agitans vices
Expers conſilii præcipitat furor:
Donec clam tacitis greſſibus inſequens
Injecta Nemeſis peſſum adigat manu.
Dum ventis pelagi ſtrata ſilentibus
Rident marmora; ſeu molliter adſtrepens
Criſpatur placidis unda Favoniis:
Vidit ſepoſiti littoribus procul
Cultor jugeris, & perpetuam ratus
Tranquillæ faciem Tethyos, impigre
Mutavit patrios navigio lares,
Ignotoque caput credidit æquori:
Verum bis ſuperis terque faventibus
Neptuni relegens terga liquentia
Poſtquam impune ratem portubus appulit,
Mutati furias ſenſit inops maris
Et longi pretium temporis abſtulit:
Seu merſus mediis fluctibus occidit

Seu

Seu rem naufragio perdidit, & fidem.
Sic quos continuis invidioſior
Ad ſummum gradibus provehit, & pares
Fortuna omnipotens cœlitibus facit;
Quum ſemper ſimilem, ſemper amabilem
Sperant, ulterius tendere fervidi.
Alto præcipites culmine corruunt.
Rex majora ſequi mitte. Quid obrutos
Rurſum Marte quatis? perdere quid paras
Auſuroſque cies? an Jovis hactenus
Nondum experta tibi dextera; quam gravi
Duros concutiat mole, tegat ſuos?
Abſiſte. Heu! quid agis? nullus in hos ducum
Impune arma tulit. Sponte necem oppetis:
Et rebus properas exitium tuis.

SCENA XX.

PORSENA ROMAM OBSIDIONE LIBERAT.

Incertæ lacrimabilis
Fortunæ jocus & ludibrium ſumus.
Quid prodeſt merita inſequi
Pœna nequitiam, & vindice dextera
Laudanda arma capeſſere,
Pro Diis, proque Deum Regibus æmulis!
Contemptrix Jovis ut daret
Frena impune ſuæ Roma licentiæ,
Nullo crimine noxium
Duris Tarquinium mœnibus expulit.
Quam culpam aut vitium ferat
Inconſtantis amor prædaque fœminæ
Me Rex cœlicolum tui

Ul-

Ultorem ſceleris, Roma, popoſcerat:
  Fortunæ tamen invidæ
Succumbit pietas, debitaque hoſtibus
  Clades innocuum in caput
Sublimi ſubito decidit impetu.

CHORUS ROMANORUM.

Ceſſare pulſo Marte, lethalem tubam
Cædemque volui: ceſſit. O Pacis quies!
O ſoſpitatrix gaudiorum nuntia.
Fœcundæ amica Cereris, & frugum ferax.
Altrix pudoris, ſobolis ingenuæ Parens.
Pax arva late triſtia, & miſera diu
Auſoniæ feracis odiſti domos:
Nec licuit altis populos uvis graves
Culmoſque latis ſtringere albentes agris.
Defenſa qualis Roma ſacrorum Patri
Meſſes acervat; frugibus campi nitent
Et longa civibus otia effundit Tibris.
Sic denſa poſtquam nubila, effuſo diu
Arcturus imbre ſolvit, aut ponto jubar
Merſura Plejas; fœderis vindex polum
Serenat arcus. Sic ubi hibernis furens
Incubuit undis Auſter, & vaſtos tulit
Ad aſtra fluctus, ſideris gemini face
Compreſſa ponunt maria. Sic Pacis nitor
Jam pulcher elucebit; ancipiti ſalus
Verſata ludo certa jam figet gradum.

  Jo Pæan, io: trepide rediit
Jam libertas aurea Romæ.
Jacet excuſſum cervice jugum:
Nec flagitium potuit ſcelere
Cumulare novo vana tyranni
Exulis ultrix Cluſina manus.

Nun-

Nunquam tacitis condet tenebris
Styx atra tuas, Clœlia, laudes:
Te nulla ætas, fortis Horati,
Nec te Muti clare tacebit:
Ardua veſtræ gloria famæ
Longe poſitas ibit in oras,
Cernetque procul diſſitus orbis
Veſtra in celebri facta theatro.
O quis trepidam Deus intus agit
Plenam infuſo numine mentem?
Quis fatidico hæc ore futuris
Oracla jubet pandere ſeclis!
Aderunt annis tempora lapſis,
Cum Parrhaſiæ virginis axi
Suppoſta feret terra Monarchus
Nulli heroa virtute pares:
Cernetque ſuos ſceptra nepotes
DAN Cimbriaco portare ſolo:
Decies denos ubi fatali
Dederit ſeries ordine REGES.
Niveumque caput maximus HEROS
Cœlo ac meritis intulit aſtris.
Surget tanti ſanguinis hæres,
PACIS DIVES, dignâque Patre
Prole beatus, quæ perpetua
Mittet avitum in ſecula ſceptrum.
Jam venturi præſcia fari
Memorat ſeros mens mea caſus:
Cum vitales hauſerit auras
Soboles magni tertia Regis
Ac miſta Deum turba Deabus
Natalitiæ læta choreæ
Celebri peragent feſta triumpho;
Noſtra è priſcis dedita faſtis
Nomina ludos decorare ſacros

Po-

Populi adſpicient. Sator æternæ
Romulus urbis, ſuperanſque animos
Virgo viriles, quique egregiis
Excidit auſis Porſena Hetruſcus
Reduci ſiſtent corpora vita:
Ut non ſolitis miranda modis
Spectacla parent, recreentque hilari
Boreæ gentis pectora ludo.
Properate pedes: ferte, referte
Comites volucri numero plantas,
Noſtræ o maxima nomina Romæ:
Veſtros gaudet ſpectare choros
Rex Arctoi maximus Orbis.

EPIGRAMMA
IN
DIEM LUSTRICUM SERENISSIMÆ PRINCIPIS QUI IN MENSEM AUGUSTUM INCIDIT.

Succubuere polo fremebundi regna Leonis,
  Et nullas horrent aſtra ſoluta jubas,
VIRGO regit cœli mitra ceſtoque quadrigas,
  Et Phaethontæos doctius urget equos,
VIRGO regit currus, & frena micantia flammis,
  Et roſeo tenerum dividit ore diem,
Rivales ridet Phœbus, gremioque puellæ
  Dulces miratur lenius ire rotas;
Applaudunt ſuperæ decus immortale cohortes,
  Et jubar & niveæ nobile frontis ebur,
Applaudunt, pronæq; novos venerantur honores,
  Et placido mulcent molliter aſtra ſono.

Plau-

Plaudite jo, lætaſque alacres ſociate choreas,
Plaudite mille choris, plaudite mille modis:
Nil vobis ſuperi concedimus. Æmula cœlo
Progenies, Regum, parva Puella, genius
Naſcitur, & teneras pulſans vagitibus auras
Illuſtrat Boreæ qua datur omne latus:
Nec mora, divino tellus calet altius igne,
Integraque ex puro gaudia fonte bibit,
Arguti reſonant numeroſo pollice nervi
Et mixtæ lituis increpuere tubæ,
Tota reviviſcens feſtis concentibus aula
Et ſalit & rutilam ſub pede plaudit humum;
Templa calent populis, applauſibus omnia fervent,
Vota palam gentes non temeranda fremunt;
Alma redit, redit alma ſalus atque omnis amorum
Caſta cohors feſtis otia ducit agris,
Cuncta recognoſcit binas natura puellas
Flectere terrarum ſubdita regna ſatas,
Scilicet una polo nata eſt, atque altera terris
Una beare homines, quæ valet una Deos.

Ad (113)

Generoſiſſimum & Pium

Libri (*Pii vita pia*) Auctorem

GEORGIUM ROSENKRANDZIUM.

1650.

Obruerat miſeras cœca caligine terras,
Et toto impietas cœperat orbe loqui,
Omnia numen erant, lapides, & monſtra ferarum,
Quæque colenda ſibi fecerat ipſe faber:

Se

Sed pridem delubra ſilent, & Jupiter aris
Exſulat, & Martis templa profana ruunt,
Idalium, Paphos, atq; Amathus, & Cypris, & Ida,
Nomina funeſto penè nefanda ſono,
Ante ſuos tripodes Phœbus jacet, & jacet omnis
Fabula, mentitos auſa referre Deos.
Reſtabat Pietas temeratis profuga ſeclis,
Reſtabat terris concilianda Fides. (quondam
Qualis erat, quum flore vigens, quum candida
Incoleret, vitio non prohibente, ſolum,
Qualis, quum ſtaret mundi primæva juventus,
Magnarum virtus quæ foret inſtar opum,
Sic reducem domus una capit, domus una tuetur,
Semper inextinctis devenerata focis.
Illa tibi, Pietas, ſacra eſt, hinc inſpice & illinc,
Tota domus domini numine plena ſui eſt,
Qua patet; inter opes celſo ſtat pectore major,
Et titulis præfert omnibus, eſſe piam.

---

(114)

Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi & Domino

CHRISTIANO,

DANIÆ & NORVEGIÆ

ELECTO PRINCIPI,

DOMINO ſuo clementiſſimo,

Amorem, fidem, obſequium

Off. Conſ.

Vitus Bering.

1655.

Unde caput ſolito fulgentius exſerit oſtro
Phœbus, & auricomos diffundit clarior ignes?

Quæ

Quæ nova pacati rupere ſilentia cœli
Gaudia? quis ſuperum feſtis concentus ab aſtris
Lætitiâ plauſuque choros exercet ovantes?
Exſultant delubra Deum, trabeataque paſſim
Limina, & auguſto circumvallata ſenatu
Curia: templa, domus, applauſibus omnia fervent.
Inſonuere tubæ, ſummiſque e mœnibus arcis
Æra tonant, cœlo ruptis crepitantia flammis;
Fervet iter ſtudio vadentum & ſæpe rogantum;
Obviaq; hinc atque hinc ſurgunt in prælia voces;
Ingeminat vox una vias audita per omnes
Vivat, jo, *vivat!* longoque beatior ævo
Fatale imperium florentibus ambiat armis!
Exeat hic mundi populis illuſtrior annus
Quem Regum celebrent faſces, ſacræque tiaræ
Et regni commendat honos: jo currite longum,
Currite jo nitidis felicia ſecla quadrigis
Temporaque aurati reviviſcite fulva metalli!
O quis honos, quæ forma diei? quis Lucifer? o quæ
Vox terris audita ſonat? non littora quondam
Iſthmia, non tantis fremuit concurſibus Elis
Quum celeres Hieronis equos curruſq; ſtuperet
Græcia, victriceſque rotas agnoſceret Argos.

Noſco equidem. Arctoo nova lux ſuccenditur
Inflammatq; polos divumque a ſede coruſcat (axe
Ille decus patriæ, *Princeps*, ſpes ſumma Parentum,
Deliciæ ſuperum & hominum, cui ſanguis utrinq;
Regia ab innumeris connectit nomina faſtis,
Quem genus & virtus, quem publica commoda
poſcunt,
Ille, ille ingenti circum plaudente theatro
Aſpectu vultuque ſacer, totoque verendus
Corpore, ſtat coram, & voto populique patrumq;
Siſtitur unanimi, qui quondam faſcibus hæres
Suc-

Succedat, trabeaſque olim, terraſque capeſſat:
Qui duo perpetua ſub pace coërceat unus
Regna ſimul, ſceptroque potens dominetur avito:
Quum Pater emeriti ſpatia auguſtiſſima ſecli
Tranſegit, quum feſſus erit tot ſecula noſſe,
Tot numerare dies, Phœnicaque ſæpe renaſci
Viderit, & plures Tithono exegerit annos.
En populos urbeſque vides, proceresſque Patreſq;
Obſequiis certare piis, dum dulcia reddunt
Munia, dum juſti reverentia debita ſceptri
Stans deſignati circum tentoria Regis
Heroum titulos & honores ſpondet avitos.
Ipſa ſuos facilis ſubmittit Dania faſces,
Et famulas ubicunque manus, & pectora tollit
Ad cœlum, Dominumque ipſum cœlique ſolique
Obſequii teſtem præſenti pignore firmat:
Quo res cunq; cadent, unum & commune periclum
Una ſalus ambobus erit, ſecliſque futuris
Communes lituos, communia caſtra ſequemur.

Exſere puniceam roſeum decus exſere pubem
Purpura, jo nullis felicius orta roſetis
Orta licet multis: non hic te peſtifer Auſtri
Spiritus, aut ſævæ lædet vis aſpera brumæ:
Te novus ut cœlo maturam excluderet ortus,
Et ſecura tuos aleret Natura rubores,
Æmoniæ poſuere hyemes, vernumque teporem
Spiravit gelida tellus Riphæa ſub Arcto;
Nec Jovis imperium, nec Orionis horruit iram.
O veris non ante vices paſſura caducas
Quam cœli Ver omne cadat, quam ſecula certos
Avia dediſcant curſus, te vere perenni
Arctoi fœcunda beet clementia cæli.

Fama per attonitas volitans circumſona gentes,
O me-

O meritos dignata viros, ſemperque parentum
Miratrix, ſed ſuera dies contemnere noſtros;
Huc tandem cuncta ora refer; majora videbis,
Dignaque quæ totas memores ſublata per auras.
Aſpice jo Danos *Friderico* Rege beatos
Aſpice ut egregii faciat ſpem Filius ævi?
Non prius indulgens tantum Natura beatis
Gentibus, æterni longe dedit omina fati
Perpetua auguſtos ſerie complexa penates.
Major erat terris, major Tirynthius aſtris,
Impar gnatus erat. Quæ magnum Theſea proles
Æmathiumve Ducem, rapidumve æquavit Achil-
Alternis dant fata viros. Sed noſtra litavit (lem?
Dania cœlicolis: felix erit illa per ævum
Regibus, & nunquam marceſcere ſceptra videbit
Degeneri maculata manu: ſtat & invia fatis
Fulcit inacceſſos ſecli terroribus annos
Longaque creſcendi nunquam decreſcit origo:
Ipſe ſuas reparat vires, & fœdere cœli
Æternam repetit jam tot per luſtra juventam
Et clara alternis replet diademata cunis
Nunquam non rediviva ſibi: jamque inſcia lethi
Livor edax rumpare! unis ſe finiet aſtris
Et rerum deſueta vices, ævique volumen
Longa fatigabit victas in ſecula Parcas.

Quid generi & titulis longævo è ſanguinis alti
Ordine deductis, virtus comes addita, cœlo
Jam ſperare nequit? terris quæ jure mereri
Fortunæ ſecura poteſt: ſi bella togamve,
Si proavos atavoſque & tot primordia ſtirpis
Excutias patriæ, ſi quicquid fœdere ſancto
Poſſit ab æterno famam defendere buſto: (Regum
Ecquid erat tandem, quod noſtro hoc ſanguine
Poſceret, hoc noſtro ſolertia *Principe* majus?

Aſpice quiſquis ades, frontem lambente tiara
Quam nitide circum præfulget Regia corpus
Purpureaq; quamque chlamys teneros bene colligat
armos;
Quantus ſurgat honos fronti, qui ſplendor ocellis,
Qualis in ore nitor, roſeis quam blanda labellis
Gratia, quam flavus pendens e vertice cirrus:
Jam placidi mores, & vis nativa fugaces
Illecebris captare animos, interque merendum
Et prior officiis & amorem æterna tueri.
His tamen auguſtæ mentis præfulget imago,
Quam pridem teneris exſurgere cernimus annis
In vultuque animoque viri, cui prima juventa
Limina maturis implet mens ardua curis.
Sed quid ego ætatem memoro, quid fortibus iſta
Objicio factis? Sors hæc privata moratur.
Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Creſcit, & a ſummo vires ſibi ſumit Olympo.
Cura Deo eſt Regum, divina in principe imago
Eminet, & factoris opus. Numerare Deorum
Parcite natales timidi. Vix parvulus auras
Hauſerat Alcides teneras, quum perdere parvum
Juno ſæva cupit, gemino ſerpente minata:
Occupat ille angues nexu, eliſaque coërcet
Fauce, novercales, & dextra comprimit actus.
Et Jove ſe dignum in cunis virtute probavit.
Liber erat puer, & juvenili flore decorus
India quum ſenſit Thyrſos, & Tigrides egit
Quadrijuges, & Niſa ſuum laudavit alumnum;
Dum rotat attonitos circum fera Baſſaris arma.
Atque operit ferrum maculoſo tegmine Lyncis
Mitraq; diffuſos incinxit barbara crines. (Olympus
Qualis erat Phœbus, tunc quum tulit Oſſan
Impius Emathiis Briareus quum ſævit armis?
Nempe puer, ſed tela tamen fumioſa Gigantum

Con-

Contempſit, cœlumque objecto pectore texit,
Aſſeruitq; patrem. Talis quoque Juppiter antrum
Dictæum, Cretamque ſuam quum liquit & alta
Poſſeſſi ſtetit arce poli. Quo Pergama victrix
Sterneret ultrici pubes Pelopeja ferro
Non fortes valuere viri, dum Filius iret
Deidamia tuus; tandem hic Neptunia ſternit
Mœnia, nec patris cedit bellacibus actis.
Olim quum *Noſtro* veniet maturior ætas, (dent:
Neſcio quid magnum hæc nobis præſagia ſpon-
Quum ſolidas major luſtris venientibus ætas
Firmabit vires vivaci in corpore; jam tum
Florentes ſurgent metuendo ex hoſte triumfi.
Tum dextram laurus, lauri felicia frontem
Serta legent, diveſque oleæ circumambiet arbor.

Vive modo ſoſpes, cœlo acceptiſſime princeps,
Et quà divini te invitat numinis aura
Progredere o felix, fatoque accede vocanti.
Nos modo nos alacres ſacræ damus oſcula dextræ,
Oſcula devotæ affectus teſtantia mentis,
Obſequiumque tibi, & fortunas ſponte vovemus.
Aſpice quam denſa plebes ſtipata corona
Ore tuo fruitur; quæ pro te vota tonanti
Concipiat, quæ luſtra tibi, que ſecla precetur.
I ſanctos attolle focos; I thure Sabæo
Fac Superis: nullo ceſſes in vota paratu.
O largos tibi nempe Deos, & plura merentes
Quam donaſſe queas! nec te vel murice læto
Exceptum, quum prima tibi lux panderet orbem
Hic memorem, aut illos vultumq; animumq; de-
diſſe
Fortunæ tibi, magne, parem. Plus omnibus illis
Te tanto Genitore ſatum. Majora tuliſſe
Dona tibi haud magni potuit clementia cœli.

Ille tibi o *Princeps* numenque inſigne decuſque
Is tibi Phœbus erit. Melior nec Sidera Phœbus
Temperat, Arctoas Genitor quam torquet habe-
Tu terris, *Princeps*, huc jam transferre beata (nas
Lumina jam primo radiis aſſueſce ſub ævo:
Diſce diu vultus in imagine figere tanta:
Hic priſcos agnoſce Duces, venturaque qualem
Promittunt te ſecla ſibi, qualiſque nepotes
Effinxiſſe velis. O tot veneranda Deorum
Progenies, cui fama novas jam concipit alas
Laſſarique timet, cui tela, enſeſque minaſque
Mars parat, & placidas mulcet pax aurea gentes,
Vive diu *Princeps*; ſed quum laſſata triumfis
Mens erit, & totos cælabit laurea poſtes,
Accipias Patris, ſed ſero, filius hæres
Et tantum diadema ſenex, tribuaſque nepoti
Serior, & cœptis non deſit faſcibus hæres;
Serius in cœlum quam te cupida aſtra vocabunt,
Approperes felix, aut ſi mortalia tangunt
Vota Deos, terras habeas, terraſque perennis
Cum Genitore colas, nunquamque hæc ſceptra re-
linquas.

ΕΔΡΑ ΑΡΕΤΗΣ

Docens

Quæ patria, & fructus, & quæ penetralia ſacra Virtutis,

Quem

Magno Patriæ Parenti, Viro admodum Rever: Clariſſ: Excellentiſſimo, meritis in totum orbem eminentiſſimo, & in dies mereri gratia Chriſti indefeſſo animo pergenti,

D. CASPARO ERASMI BROCHMANNO

Profeſſori Danorum primario, magno

RESENIO,

Diſtrictus Selandici olim Antiſtiti, merita ſucceſſione ſurrogando, atquè adeò Archiepiſcopali honore, nomini dudum debito, mactando, facto pulcherrimæ rei auſpicio ad diem 16 Calend: Aprilis in æde Virgini ſacra, Favitori poſt Deum ſummo, Præceptori, filiali pluſquam ςοργῇ ſancte colendo, lingua & mente in ſtylum plaudentem ſoluta gratulabundus erigit

VITUS PETRI BERINGUS Viburg:

Artium & linguarum ſtudioſus.

1639.

Sponſa decens VIRTUS, multos laudata per annos
Decantanda mihi, (faveas Deus ipſe canenti.)
Audebunt humiles aliquid cantare Camœnæ,
Nullus Apollo lyram moveat cum carmine grandem.
Sed *Virtus* annon, proprio contenta nitore,
Laude coli externa, per ſe laudata, recuſat?
Ut norint omnes, tamen eſt laudanda, ſic ipſis
Laudibus emergit, meliori luce reſultans.
Sed tu ſancte Parens, patriæ digniſſime Præſul,
Reſpice pacato, quæ mittimus, omnia vultu.

In medio terræ candore notabilis eſt mons,
Arduus aſtra petit, ſuperatque cacumine nubes,
Ille hederas, lauroſque comâ viridante coruſcas,
Et nutrit menſas, felicia poma, ſecundas;
Herbas, & violas, & candida lilia promit;
Arbutei foetus & ſudant roſcida mella.
Ros longe in tenera pecori optatiſſimus herba,
Herba ſed officio ſolis ſaturata vireſcit,
Non Jove quaſſatis pluvio manantia tecta
Diſtillant tignis: & lux deterret adire
Cimmerias umbras: conſtratum thuris acervis
Omne pavimentum nares offendit inertum;
Lemnius ut quondam (teſtatur Scaliger) alto
Vitæ manſuræ guſtavit olentia damno.
Ver viget æternum, nulliſque obnoxia ſeclis
Æſtas, ambroſiæ ſuccis, & nectare dio
Gaudia diffundit, diffuſaque molliter efflat:
Concentus melicus valles delubraque complet,
Perſonat alta chelys miſtarum ex ordine vocum.
Dulci blanditur modulatu: plena roſarum
Atria: quadrupedes nec ibi ſua pabula carpunt,
Ceſpite terra viret, toto pellucida campo.
Alga nec inceſſus pendet, nec devia teſqua.

Fons ſimul illimis nitidis argenteus undis
A dextra fixit ſedem; conterminaque fonti
Arbor adeſt, ſemper niveis uberrima pomis:
Eſt color aprica pendentibus arbore malis,
Non aliter, ſummo quam lux nitidiſſima cœlo
Clara repercuſſi refertur imagine vitri.
Talia nempe Deum veteres finxiſſe Poëtas,
Quodque illis habitent, dixiſſe palatia, crede.
In medio montis longe ſanctiſſima VIRTUS,
Virtus luciſluo, quo clarent omnia, Vultu
Auguſta gravitate ſedet, quem admiſerit, illi
Ipſa ſalutiferum famæ immortalis honorem
Ferre dat, atque novi ſolis diadema coruſcum.
Neve aliquo careat, poſt hanc confinia Nymphe
Vocalis, quæ eadem Dea, nunc reſonabilis Echo,
Parte tenet læva; quam compellaſſe Viator
Fertur, & alternis retuliſſe oracula verbis: (cho
Quæ ſtu*dia* hic profitent? quæ ſunt *dia*, dixit at E-
Quid promit Virtus? *vlus*, inquit, ſpirat amicum:
Huc quinam coëunt? ſtudioſi, retulit *vſi*!
Aſt labor *inviſos* quoſdam facit eſſe? *ſed ſine*
Nunquam, reſpondit; non contra pondera virtus.
Quis tantum ſufferret *onus*, quo ſcanderet? *ò vis*
Dixit. In humanis regnat fortuna? *nec una*,
Nec vero, tremulæ fragilique ſimillima vento.
Ignavos igitur longe poſt terga relin*quam*
Scandere diſcupiens? nulliq; libentius Echo
Reſponſura ſono, tu linques, retulit, *inquam*.
Per ſtudium ſcandens num fall*itur*? *itur* ad aſtra
Hoc mihi crede modo; labor altum dat tibi culmen.
Hic an adeſt *Doctor Caſparus*? *rarus* ut ille
Encyclio ſplendet virtutum, reddidit Echo,
Scandit hic, & ſumma ſedem ſibi fixit in arce;
Fallor, an hic duxit virtutem, ducere certe
Dignus, & illa Viro cupidiſſima nubere tanto.

Taleque nomen habet, quod rodere fama veretur.
Ad montem red*eamus*, (& Echo dicit, *eamus*.)
Splendidior magnæ eſt nemoroſis vallibus Idæ,
Non illi Rhodope, Parnaſſus, Caucaſus, Atlas,
Oſſaque cum Pindo, majorque ambobus Olympus,
Aëriæque Alpes, & Eryx, & Cynthus, & Othryx,
Denique vel quæ ſunt priſci miracula ſecli
Conferri poſſunt, huic cedunt Theſſala Tempe.
Invia nulla via eſt, totas aperire feneſtras
Conſuevit, nullis nam clauſit limina valvis;
Nocte dieque patet, ſeſe conformat ad omnes.
Excelſum montem deſes miratur & ambit,
Nexilibuſque plagis nequicquam ſcandere tentat.
Non ſcandunt, niſi quos ſummo ſtipata labore
Ad celſam molem ſurſum mens ignea duxit.
Sed quænam vera eſt? & quæ virtutis origo?
Indole procedit ratio; ratione ſed uſus;
Uſu virtutem; famam virtute paramus.
Ergo rite venit quæ de ratione profecta eſt
Virtus, & vera eſt, quæ de virtute reſultat,
Gloria, legitimum quod gignit gloria nomen,
Nomine quæ magno moderatur cuncta, nec uſquam.
Deterret parvum minima de ſorte colonum;
Et viſu mitis, dictuque facillima, cunctos
Compellat blando ſermone, modeſtia vera eſt.
Vincere victricem gravis eſt victoria mentem,
Qui virtute placet, vero tulit omine nomen.
Æs ferro præſtat, melius tamen ære Orichalcum,
Aſt illo argentum; rurſus præcellit at aurum;
Auro nobilior, varia ratione, pyropus;
Sed virtus gemmas, ipſum ſuperatque pyropum.
Quas celer amne Tagus, vehit aut has Ganges in oras,
Longius & differt Epicuri de grege, namque
Mundanum ſenſus ſequitur, ſenſumque voluptas,
Da-

Damna voluptatem, ſed plurima damna periclum,
Ipſa pericla ſuo clauduntur triſtia fine.
Aſt perſtant ſolida Muſarum præmia petra,
Nec Jovis ira poteſt, nec ſtyx hanc perdere: & illud
Adde, quod illecebræ, quod coĉta dolore voluptas,
Uno proveniant aditu, pereantque receſſu:
Non ſic labuntur, quæ parturit inclyta virtus,
Durius at duro perſtant adamante, nec uſquam
Fortunæ nutu, vel fati more vagantur,
Et non fixarum gyrantur imagine rerum.
Conſueta ſtatione manent, dum robora tellus,
Unda vehit naves, & ſtellas ſidera verſant;
Neſtoreos tribuunt Muſæ cultoribus annos,
Tantum abſit minimam patiantur præmia tabem.
Scilicet hinc factum eſt, (docuit ſpatioſa vetuſtas)
Muſa quod antiquis fuerit tam prompta probata
Regibus, illecebris qui ſana mente relictis,
Totum largiti ſtudiis melioribus ævum.
Fluctuat omne ſolum, vel in illo fluctuat omne,
Singula more freti ſubitas variantur in horas,
Imperio parent, & caſibus orta recedunt,
Temporis anfractu longo labefacta fatiſcunt.
Denique quo paucis complectar plurima verbis,
Eſt nihil humanis unquam durabile rebus,
Quid? nonne ambiguas regnorum cernis habenas,
Diverſæque vices moderantur cuncta, nec uſquam
Invenies toto quicquam quod perſtat in orbe:
Quiſquis es & niveos jam cernis in arbore fructus,
Arbore delapſos ſubito mirabere: quicquid
Terra colit, quod & orbis habet, fuliginis inſtar,
Quæ poſtquam naſcens jam deſiit eſſe, recedit.
Vivida ſed virtus nullis ſubjecta procellis,
Ignorat, quid ſit pudibundo mergier antro;
Fortior aſt ipſo conſurgit pondere, & altos
Longe tranſcendit redivivo nomine colles.

Emicat, & Phœbus per celſa rotatur ut aſtra,
Sidera per denſas ſcintillant clara tenebras,
Evolat, & ſummas penetrat velut ardea nubes.
Et nequit abſcondi virtus, ſi ſedulus optes;
Non metuit fatum, vulgaria compita, & udam
Spernit humum, greſſus penna graviore capeſſens.
Virtutem tantam ſponſus labor ambit amatque,
Scilicet haud ideo patulo producimur orbi,
Deſidia ut lentos ducamus ſegniter annos
Segnities animos molles, laſcivaque mulcat
Membra, labor gravidam depromit fœnore meſ-
Suavior eſt, jugi res, quæ maturuit uſu. (ſem.
Laudanda in magnis gravis experientia rebus.
Vir ſapiens animi quondam documenta daturus,
Ac monumenta ſui, μελέτη πᾶν dixit, & iſto
Eximias ſtudii complexus acumine vires:
Hinc πολυθρύλλητον cantatum ſæpe Latinis,
Et mihi cantandum: Labor improbus omnia vin-
Eſt nihil in gremio quod terræ conditur imo, (cit,
Quin demum poſſit conſtanti pectore haberi:
Nil tam ſublime eſt, & in alto culmine pendet,
Quin bene ſi ſcandas, & certo tramite greſſus
Inſigas, poſſis tandem turbare deorſum,
Ut ruat in terram ſtabili cedatque labori.
Quiſquis es & ſophiæ penetralia ſancta videre,
Nec tantum intuitu ſed ſacra meſſe potiri
Diſcupis, immenſos quos parturit uſque labores
Perfer & obdura, rebus potiere petitis.
Altæ nec rupes, greſſum remorentur, at inſta,
Nobile diſce pati, ſic præda victor ovabis, (pes.
Et cum BrochMANNO meritorum fœnora car-
Non fruſtra labor ambit, non ſpe fallitur unquam,
Prompta ſatis virtus, & non fugitura colentem
Officioſa, procum non longa ambage moratur,
Annuit, & gignit natum, cui gloria nomen.

Non

Non ideo jugi toleramus mente labores
Ut vani debito fruſtrentur fine, vel ipſe
Deſtituat meritos decepto fœnore fructus.
Semina proveniunt, nec vel tardata teruntur,
Crede mihi veros non virtus caſſa colentes
Fallit, non juſtas auſert ſapientia dotes,
Nec quoque tranſmittit vacuas Pythagoria voces.
Proſilit unda ſacræ virtutis, grata tonatque
Ad quosvis dignos copioſa meſſe redundat.
Hinc pietas & amor, plenoque ſolertia cornu,
Hinc animus fortis gravis hinc clementia cordis,
Innumeris beat illa virum, totidemque coronat:
Ergo ſanctarum ſi quid vigilantia rerum,
Juſtitiæque ſuo quid habet ſi jure poteſtas,
Quodque rei caput eſt, ſi mens junctiſſima cœlo
Et quicquam pietas meruit, ſi denique laudis
Illos quid decet, ſoleant qui ſacra juvare,
E multis unus præconia juſta mereris
O merito BrochMAND æterno nomine digne?
Dulce meum BrochMANNE decus, te lumine na-
Viderunt Charites, tibi blandum gratia riſit, (tum
Ad tua tripudium duxere crepundia Muſæ.
Vidit, & ut vidit, mirata Thalia recentes
Ingenii ſummas, ſtupuit ceu ſaxea, moles,
Hoc uno proh quanta latent bona pectore! dixit,
Auguror hinc celſam portabit Dania laudem.
Vera fuit vates, dotes invenimus iſtas,
Summa tuæ merito clamaris gloria gentis (nos.
BrochMAND, & magnos ſuperas virtutibus an-
Urbis & orbis apex, decus inviolabile noſtrum,
Aureus ingenii torrens, ſic ritè voceris.
Nec tibi (quoſq; bonos teſtor) ſchola ſtoica mores,
Terpſichore affectus ſed finxit blanda decentes,
Mentem Muſa dedit tibi, mores gratia, namque
Mens ſtudiis ſacra eſt, blandi ſine crimine mores.

Et pax, & pietas, & legum ſancta poteſtas,
Et virtus tibi ſunt generoſo corde repoſta.
Patria nec fructu vacua eſt; Academia, cernis,
Invidioſa aliis ut late ſplendeat oris
Quæ veluti claras longe præcedit Athenas,
Sic fœcunda parens ſtudii melioris habetur,
Et non fucata ſed vera luce coruſcat.
Arbiter imperii ſumma cum laude fuiſti,
Strenuus officio divino numine functus;
Ut dubitem majorne tibi ex his gloria rebus
Parta ſit, an fructus ſtudiis plus inde redundet,
Certe facta manent totum victura per ævum,
Egit, & actura eſt meritas reſpublica grates,
Tanto etiam es venerande parens his auctior, in te
Majori quanto devergunt pondere dotes.
Felices quibus illa venit tam conſcia fama,
Fama per acceſſus virtutum facta perennes.
Verba diſerta tibi, prompto de gutture manant,
Præſtans eloquii gravitas, ſuadæque medulla
Viſcera tranſcendit, Charites dictaſſe putarim.
Proſpera eunt quæcunq; facis, nam ſingula Chriſtus
Fortunat, quæcunque facis, quia numine plena, &
Totius uſque tenor vitæ commonſtret Jeſum.
O mortale genus, noli fidiſſe caducis
Rebus, ſed Domino, nam ſemita tutior illa eſt.
Diſce timere Deum, dempto, miſerabile! cœlo
Relliqua degenerant in monſtra: ciniſque vocatur,
Si ſplendet, ſacrum teneat nec gloria nomen.
Virtus non vera eſt, levidenſes docta ſalebras,
Mundanis tantum quæ luxuriatur habenis;
Is demum ſapiens cui Chriſtus pectoris ardor,
Poſtmodo cum ſocias jungit pietate Camœnas:
Omnibus eſt rebus major reverentia Chriſti,
Ducit ad excelſos hæc ſemita ſola penates;
Scilicet illa homini vitæ immortalis honores

Do-

Donat, & in ſupera largitur ſede brabejon.
Singula, quid referam nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, quæ cum pietate reguntur,
Divitiis, ſine qua, fatorum ſtamine rupto,
Cuncta fluunt, nec habent, ſolidam conſtantia ſe-
Iſtis ſed miſſis, quæ ſunt notiſſima cœlo. (dem.
Sub cœlo cunctis, ad te BrochMANNE revertar:
Ergo quæ Chriſto tam fido pectore adhæſit,
Poſt mortem tua morte caret mens dedita Chri-
Spiritus in Chriſto poſt exantlata laborum ſto,
Pondera, cœleſti ſuper æthera pace fruetur,
Cui te relligioſa fideſque preceſque dedere,
Nec non illius converſa ad numina vota.
Nomen & omen habes noſtri lux ſumma Lycei,
Splendida te celebrat ſtudiorum fama bonorum,
Nec tacet ingenuæ vox artis Muſica, Verbo:
Te locus atque ætas, mens admiratur & omnis,
Et late titulos diſpergit rumor ubique,
Tendit ad externos penetrando gloria montes,
Ignotoſque tui manifeſto torquet amore.
Plurima quid dicam dudum diſperſa per orbem,
Quæ dona adportant tibi vaſti ſplendida mundi;
Nec deſunt Muſis etiam ſua munera noſtris.
Hactenus angelico paviſti nectare doctam
Et lectam ſuavi ſtudiorum melle coronam,
Informans monſtranſque viam dux prævius ipſe:
Sed jam commiſſum centenos ſoſpes in annos
Præſul ovile Dei ſolita gravitate guberna.
Excubias faciens, ne perfida turba luporum
Noxia damna gregi, non quicquam tale timenti,
Inferat, & rabidum ſub ſuavi lacte venenum
Inſtillet: patriam ſolita ſic luce ſerenas,
Atque Deo tua facta, velut ſuevere, placebunt.
Quam bene firma tuis uſura Eccleſia remis,
Ipſe vigil patrias tutaris ſedulus oras,

Primitiaſque feres Chriſti vexilla laturus.
Te duce, diſcuſſis nebulis, & ſphinge fugata,
Relligio patulo ſervabit lumina mundo:
Splendebunt doctæ magna pietate Camenæ,
Perpetuoque nitor ſtudiorum ſurget honore.
O ſpes una tuis certiſſima gaudia mentis!
Ad te cuncti oculos, ad te convertimus aures.
Adſumus, en mora nulla tuis paremus aventes
Auſpiciis faciem veneramur mente decentem.
Aſpice, quam claro fulget modo ſidere Phœbus,
Signaque dat rata, quæ fortis præſaga futuræ:
Hinc populum late lætum, juveneſque, ſeneſque,
Plaudentes dignos in tanto præſule honores.
Cernis, ut applaudat mundi ſpes ſumma futuri,
Utque agat occentus ſtudiorum turba bonorum.
Erecto fundat lætantia jubila corde,
Et det ſuavidicos exultabunda ſuſurros.
Et tibi Daniacæ gratantur jure Camenæ,
Grex ſacer, aula, ſcholæ, tete mirantur & optant,
Ut ſis ſublimis ſolio firmatus in alto;
Anticipata animo gaudentes gaudia reddunt.
Civibus ipſe tuis ſincero gratulor ore,
Gtatulor & patriæ celſiſſima munera noſtræ.
Hinc monitore Deo verum de fonte ſalutem
Quæres, & quæſita aliis ea lumina pandes.
In tua ſunt faciles gratæ præconia linguæ,
Non tacet ulla ætas, ætatis nulla tacebit
Poſteritas magnis æquantia nomina factis.
Reſtat ut hæc voto, quo non mihi ſanctius ullum
Excidit, in ſeros felix potiare Decembres.

Ergo tu rerum Deus, o immenſa poteſtas!
BrochMANNI ſerva nobis, tua munera, vitam,
Compleat ille ſuos, & fratris compleat annos,
Heu quanti gens Dana viri tibi nuper adempti!

Fun-

Fungatur natæ vicibus, compenſet & annos
Nati: erat hic juvenum flos, Phœbi dia propago;
Vincere non equidem patrios potuiſſet honores,
Sed titulis titulos iterum geminare paternos,
Exultans, vivax expreſſa propagine virtus,
Plurima de priſca referebat ſeminis ſtirpe.
Nempe velut glebam radix teſtatur, & ipſa
Planta ſuo ſucco radicem monſtrat, ac arbor
In ramos fundit proprium largita ſaporem;
Non aliter, veræ patrem pietatis amicum
Nactus, ab illius duxit nativa cerebro
Germina: namque parens facundo ſtrenuus ore,
Talis erat natus patriæ dulcedine linguæ,
Maximus & demum, ni nollent fata, futurus:
Nam fuit in teneris animus velocior annis,
Inque animo ingenium rebus ſublimius altis,
Junior hic BrochMAND, cari genitoris imago,
(Eloquar invitus) jacet atra morte peremptus.
Dempta igitur nato ſuccedant tempora patri;
Dux illi fiduſque comes Deus optimus adſit,
Ex animi ut votis commiſſa negotia tractet;
Noſtra ſub hoc ætas redivivum tendat ad aurum;
Pax redimita caput conſtanti glutine rerum
Uſque relabatur in pulchros, pulchrior ipſa,
Miſſa lares, villas, & proxima tecta frequentet.
Sera ſit illa dies, & noſtro ſerior ævo, (ras,
Qua BrochMAND ſuperas e mundo ſcandet ad o-
Grande refulcit onus ſtet fauſto vertice conſtans.
Annuit ecce Deus, votum ſpe divite paſco!
(pondus,
Hei mihi non habeant, quod juſtum carmina
Et dederit natura leves, nimis invida, vires.
Sed quicquid tamen eſt, quod nobis illa reli-
Officiis magnis cari ſervire parentis (quit,
Expetit, has promptus violas, hæc lilia ſpargo,

Ogra

O grates alia ſi poſſem parte referre.
Non cito vileſcent meritorum pondera menti
Donec erit virtus laudi memoraberis, ipſe (πάντων.
Præceptor BrochMANNE βροτῶν πολὺ φίλτατε
Perge favere tuo, veluti facis, uſque Beringo.
Quod demum ſupereſt, facilis tibi noſtra voluntas
Grata ſit, & mentis complectere pignora. Dixi.

F I N I S.

HENRICI HARDERI

HAFNIENSIS

CARMINA.

De

HENRICO HARDERO

In Diſſertatione de Poëtis ita cenſet

OLAUS BORRICHIUS:

H*enricus Harderus*, Hafnienſis, Heroici Carminis gloria paucis hodie cedit, ut quem nec in inveniendo copia deficit, nec facultas in eloquendo. Argumento eſt non modo ejuſdem *Hafnia Ar*[illegible]*ori obſidione liberata*, ſed & recentiores ejus *Panegyrici*, *Epici* & *Elegiaci*, ita nervis & ſpiritu colligati, ut clare manum Apelleam fateantur. Nec minus Artis, ingenique eſt in *tribus* ejus *Epigrammatum libris* ex quibus hic tantum producitur Goliathi Epitaphium:

Ille Palæſtinis Dux formidabilis armis,
  Non veritus cœlo bella movere gigas
Hic jaceo, pars trunca mei, non igne triſulco
  Non mihi fulmineo contigit enſe mori:
Frons fuit exitio, lævi perfracta lapillo,
  At niſi cum perii, frons mihi nulla fuit.

HENRICI
HARDERI
EPIGRAMMATUM
LIBRI TRES.

Approbatio.

Lectiſſima hæc Clariſſ. Viri Dni. HENRICI HARDERI Epigrammata Muſis propitiis nata ſunt & vibrantibus argutiis provocant lectores, digna quæ publicis typis in manus plurium perveniant.

Hafniæ 7. *Februar.*
Anni 1679.

OLAUS BORRICHIUS.

AUTORI

De Epigrammatum Editione gratulantur Amici

I.

Haud opus eſt hedera laudatis undique vinis,
Nec præfixa libro diſticha Momus habet.
Ad vinum facilis generoſum confluit emtor,
Nec Momi linguam carmina docta timent.

CASP. KÖLICHEN Med. D.
& Phyſicus Civit. Hafn.

II.

INter Hyperboreos vigilat tua Muſa furores
Fœta, dicax, quanquam jura ſub enſe ſilent,
Non tamen illa ſilet: quo tempore cuncta videntur
In primum vere velle redire chaos,
Ipſa ſerenato vultu linguaque diſerta
In numeros certo cardine carmen agit.
Quam vellem vellet meritis fortuna noverca
Eſſe brevi fautrix imperioſa tuis.
Diſceret ut tandem ſtupidos explodere truncos
Quæque tibi eſt docta voce cathedra loqui.
Sit votum factum! vicinos detur habere,
Docte Poëta, lares, dulcis Amice, focos.

M. NICOLAUS BIORNSCOVIUS
Scholæ Hafn. Con-Rector.

III.

Eſto, ſciant comtis ſublimia dicere nervis
[illegible];
At ferè luxuries terrena, crebra Camœnæ eſt,
Qui cœlo impellat pectora rarus erit.
O diſpar Solymæ reſonans in collibus Echo
Quam ſacra Jeſſidæ voxque manuſque citat!
Pectine qui chordas, ſed pectore pulſat Olympum.
Regis ad exemplum quis modo pulſat ebur?
Tu gemina nos parte beas, HARDERE, beati
Ætheris & docti pars quoque clara chori.
Vena cavernoſo velut è [illegible] colle
Torrida in Æthiopum paſcua vena means:
Sic tua Muſa animum ſtimulis cœleſtibus effert,
Exhilarantque ſuis gaudia feſta jocis.
Tu bene diviſus ſtudiis terræque poloque
Et poteris dici doctus & eſſe pius.

FRIDERICUS BRAND
Eccleſiaſt. Aulic. Nicop.

HEN-

HENRICI HARDERI EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

Cui argumentum ex Hiſtoria ſacra.

1. TIMOR DOMINI INITIUM SAPIENTIÆ.

PIETAS.

ἀνάγρ.

PIA EST.

SAPIET.

Principium Pietas ſapiendi ſed quoque finis:
Si pius es ſapies, ſi ſapis eſto pius.

2. CREATIO MUNDI.

Fit dicente Deo cœlumque ſolumq; ſalumque,
Qui dicendo facit, quid faciendo poteſt?

3. LAPSUS ADAMI.

Dum mala dum bona vult cognoſcere, peccat Adamus,
Et quali exciderit conditione videt.
O fortunatum nunquam ſua ſi bona noſſet!
Hac homines miſeri cognitione ſumus.

4. HEVÆ MORS.

Cur Hevæ de morte nihil ſacra pagina narrat?
An quia perpetuo vivere digna fuit?

5. DE CAINO DESPERANTE.

Non peccando Cain ſed deſperando peribat,
Non Deus huic veniam ſed negat ipſe ſibi.

6. NOAH DE ARCA SUA.

Cum gravis immenſum tempeſtas mergeret orbem,
Non magis hæc navis quam mihi portus erat.

7. DE EADEM.

Navis ab auriferis nunquam locupletior Indis
Hac rediit, cunctas quæ tulit orbis opes.

8. AD CONDITORES TURRIS BABEL.

Jam tumidas moles cœloque minantia ſaxa
Orbis & audaces tollit ad aſtra gradus,
Heu ſtolidi! non quo vos aſcendatis in aſtra
Sed quo deſcendat pœna, paratis opus.

9. AD SODOMITAS.

Veſtra polum verſus quæ clamaviſſe feruntur
Crimina cur quidam crimina muta vocant?

10. DE LOTHI INCESTU.

Dum tenebris ſomnoque jacet vinoque ſepultus,
Hunc ſobolis fecit non ſua culpa reum.
Perverſi natura nefas exhorruit auſus,
Obtulit hìc vitium fœmina nempe viro.

11. EJUSDEM EPITAPHIUM.

Hic jacet uxorum genitor, genitorque nepotum,
Tam ſuus ipſe gener, quam ſuus ipſe ſocer,
Uxorum affinis, natorum avus, & Pater idem:
Hem quantum eſt unum nomen habere bonum!

12. UXORIS LOTHI EPITAPHIUM.

Quæ Sodomæ cladem lapſoſque è nubibus ignes
Effugiens mihimet ſævior igne fui,
Hic ſto non jaceo, levitas hanc improba pœnam
Poſcit & inſulſam ſic ſapuiſſe jubet;

Tu, ne terra gravis mihi ſit, ne poſce viator,
Sed magè, ne terræ ſim gravis ipſa meæ.

HAGAR IN EREMO. 13.

Scilicet hanc in ſpem te, nate, miſerrima Mater
Edidit, ut gelidæ gutta deeſſet aquæ.
Urimur & ſiccas torret ſitis árida fauces,
Te ſitis interimit, me ſitis atque dolor.
Abſit ut hos oculos faciam ſpectando nocentes,
Sit ſatis heu! gemina poſſe perire nece.
Hic dilecte jace; procul hinc procul impia Mater
Auferar, ut fierem ſæva coegit amor.

DE ABRAHAMO. 14.

FILIUM IMMOLATURO.

Ipſe ſuam genitor prolem mactare jubetur,
Obſequiumque parat:
Obſequium uſque adeo potuit placuiſſe Tonanti,
Nollet ut obſequium.

JACOB *ἀνάγρ.* A CIBO. — 15.

ESAVUS —— SÆVUS.

JACOB LOQUITUR.

Eſuriens jus omne ſuum mihi vendit Eſavus,
Nec male compenſat fercula noſtra Pater.
A gemino ſors aucta CIBO mea, meque jubetur
Eſavus, SÆVUS ſit licet, eſſe minor.

JACOB DECEPTUS 16.

AD SOCERUM.

Hac ſervus mercede fui? ſic præmia ſolvis?
Sic ſocer heu ſervas inſidioſe fidem?

Redde mihi emeritos, vir per fide, redde tot annos;
Sola fuit tanto tempore digna Rahel.
Quid tamen hanc aliam quid ſperno deniq; lippam?
Ipſe ego quo duxi tempore cœcus eram.

17. RAHEL MORIENS.

Me miſeram! tanti non eſt evadere matrem
Et numerare ſui pignora multa tori.
Heu ſoboles, ſine qua me vivere poſſe negabam,
Me necat & votum damnat iniqua meum.
Heu ingrate puer parienti vipera matri,
Siccine cum viva vivere matre nequis?
Naſceris atque datam compenſas funere vitam,
Hora eadem tibi ſit dextra, ſiniſtra mihi.

18. IN DINAM JACOBI FILIAM.

It levis ut ſpectet peregrinas Dina puellas
Virgo, ſed amiſſa virginitate redit.
Hoc retulit nimia levitate; cavete puellæ,
Fiatis nimia ne levitate graves.

19. DE EADEM.

Dina peregrinas exit ſpectare puellas,
Sed levis amiſſo Dina pudore redit.
Si rediit ſic Dina, quid illis denique fiet?
Quæ toties Juvenes ut ſpeculentur eunt.

20. JOSEPH.

CUM INTER FRATRES PERICLITARETUR.

Heu cadit in fratres tantum ſcelus? hoccine tuto?
Hoc cœlo fieri teſte Deoque poteſt?
Me miſerum! cur non errare ſinebat euntem,
Quiſquis erat rectum qui mihi dixit iter?

Sic me jam reducem genitor fortaſſe videres.
Non eraſſe meus maximus error erat.

IDEM AD MERCATORES. 21.

Sim veſter potius: mihi mortem hæc turba parabat,
Si culpam cupitis noſcere, frater eram.

IDEM CUM A DOMINA SOLLICITARETUR AD ADULTERIUM. 22.

Deſine, nec teneræ, mulier pulcherrima, formæ
Nec ſum ego blanditiis præda futura tuis.
Vel fugiens vincam, veſtem trahis? ecce relinquo;
Tu tua jam noſtrâ crimina veſte tege.

JACOB. 23.

TUNICAM FILII AGNOSCENS.

Hæc certe hæc illa eſt noſtri modo pignus amoris,
Qui tulit hoc noſtri munus amoris, ubi eſt?
Heu Joſephus ubi eſt? nam ſi modo totus abeſſet!
Nempe ſed illius pars niſi fallor adeſt.
Quid maculæ & cruor hic? hæc nuncia litera venit,
Hic tua fata, puer, ſanguine ſcripta lego.
Me miſerum! mea ſunt hæc, fili, crimina, ego te
Immiſi rabidis expoſuique feris.
Jam maculata mihi pro nato veſtis ametur,
Reſtat ut hanc lacrymis lumina noſtra lavent.

FRATRES JOSEPHI. 24.

PATREM CONSOLANTES.

Parce Pater lacrymis tantas miſcere querelas;
Non hic quem defles unicus, unus erat.
Parce pater nimio reliquos contemnere luctu;
Nos quoque progenies & tua turba ſumus.

Heu pietas! quantos proles ciet unica fletus!
  Quid ſi jam reliquos hæc quoque fata trahant?
Quare age care parens unum plorare peremtum
  Deſine, pro noſtra funde ſalute preces,
Quodque potes ſuperos ora ne quando feramur
  Nos etiam luctus cauſa fuiſſe tui.

25. AD JACOBUM.

Quid fles funera filii Jacobe?
  Vivit filius emtus haud peremtus.

26. JACOB CUM JOSEPHUM VIVERE AUDISSET.

Vivere Joſephum? Pharias regnare per oras
  Joſephum & lacrymas tot periiſſe meas
Credimus? an miſeræ blanditur fama ſenectæ?
  Credimus & faciunt munera miſſa fidem,
Vivit io! Joſeph; jam nos quoque vivere lætos
  Quid vetat? at quantum nunc doluiſſe dolet?
Quam fruſtra doluiſſe juvat! dulciſſime fili
  Te modo te vivo mors mihi munus erit:
Te bene claudentur viſo nec cernere quicquam
  Poſt tantum cupient lumina noſtra bonum.

27. MATER MOSIS FILIUM EXPOSITURA.

Crudeles pharii: teneros nova pignora natos
  Perditis & noſtra perditis illa manu.
Impie Rex cujus faciunt nos juſſa nocentes:
  Eheu quod miſeras non ſatis eſſe fuit.
An quoniam pulchros metuit gens barbara fœtus
  Mergere, rem facilem matribus eſſe putas?
Ergo parve puer liquidum dabit unda ſepulchrum
  Et nihil hos menſes delituiſſe juvat?

Hæc

Hæc te canna tegat, pereas dum flumine flumen
Augebunt undis lumina noſtra novis.
Adſcribam tumulo: Jacet hic mandante Tyranno
Parvulus Amramides: culpa fuiſſe fuit.

MOSES 28.

MARE RUBRUM TRANSGRESSUS.

Vicimus & tumidum fugiendo ſtravimus hoſtem,
Hunc, modo qui terram texerat, unda tegit.
Credito poſteritas: terra portuque relictis
In medias ruimus, ne pereamus, aquas.

MOSIS EPITAPHIUM. 29.

Forte quis hoc jaceat tumulo ſcitare Viator;
Hoc tumulo Moſes non jacet atque jacet:
Nemo ſcit & quivis jaceat qua parte ſepultus,
Pro tumulo mundum vir ſibi magnus habet.
In terra tumuli non eſt locus, ille ſepultus
Eſt tamen, eſt tumuli maxima terra loco.

AD SISSERAM 30.

A FÆMINA JAEL INTEREMPTUM.

Victus & excedens acie fugis, illa Charybdis,
Confugis ad Jael, hæc tibi Scylla fuit.

JEPHTES 31.

FILIÆ OBVIUS.

Me miſerum! tantine fuit ſperare triumphum?
Hei mihi quos luctus filia læta moves!
Sic ſervat fortuna fidem, ſic gaudet eodem
Marte foris hoſtem perdere noſque domi?
Scilicet infeſto rorantia tela cruore
In mea converti viſcera vota jubent.

Vota jubent, nihil hic aut nomen dulce parentis
Impedit, aut ſoboli debitus obſtat amor,
Filia quid plaudis? vicit tuus hoſtis & hoſti
Pergis in amplexum prima venire tuo.
Hæc pietas vetat eſſe pium, ſalve optima virgo.
Et Jephtem ſed non crede redire patrem.

32. FILIA RESPONDENS.

Vota fidem poſcunt, votum pater optime ſolve,
Et vili conſtet publica morte ſalus.
Nec querere orbatus: patriam qui ſervat adoptat;
Te vocitet pro me patria ſalva patrem.

33. SAMSON EDITA INTER PHILISTÆOS STRAGE SITIENS.

A teneris veſtrum ſitii, gens dira, cruorem,
Nunc tamen accendit non levat iſte ſitim.
Hei mihi cur vici? jam vobis invidet hoſtis,
Queis licuit forti procubuiſſe manu.
Ergo, ſumme parens, noſtro victoria conſtat
Funere, quam, vires te tribuente, tuli?
Jam ſitis inſurgit ſtratoſque ulciſcitur hoſtes,
Nec patitur clara fundere voce preces.
Affer opem, nequeunt jam guttura rauca, periclum
Jam poterunt noſtrum guttura muta queri.

34. AD GAZÆOS, QUORUM PORTAS ABSTULERAT SAMSON.

Ut maneat Samſon portam clauſam ære tenetis,
Ut maneat potius porta, tenete virum.

AD SAMSONEM 35.

ROBORE MIRACULOSO AB HOSTIUM LAQUEIS SE EXPEDIENTEM.

Fortia vimineo religaris brachia nexu,
Vimineos ſpernunt brachia firma dolos.
Stuppea vimineis ſuccedunt vincula nodis.
Stuppea diſcerpis robore vincla pari.
Cincinnis claviſque ligant, utroſque revellis.
Num quid adhuc hoſtis quod ſibi ſperet habet?
Ah habet & ſi vimineos contemnere noſti,
Fœmineos nexus, Vir generoſe, cave,
Abrumpis laqueos, odium quos nexuit hoſtis;
Si ſapis hos rumpas quos tibi nectit amor.

AD EUNDEM. 36.

CUM IN SINU DALILÆ TONDERETUR.

Quid juvat hoſtilem toties ſuperaſſe Charybdin?
Quem nequiit laqueis hoſtis, amica capit.
Dum facit illa tibi quod fecit Scylla parenti,
Tunc tibi tunc vere Dalila Scylla fuit.

AD EUNDEM 37.

AMISSIS CRINIBUS CAPTUM.

Nil agis, amiſſo coeuntes robore nodos
Parce fatigata ſollicitare manu.
Victus es, invictus gladiis vinclíſque virorum,
Fœmineis armis, forfice, fraude, prece.
Formidata prius jam robora deſpicit hoſtis.
Ereptiſque pilis non facit illa pili.

38 SAMSON
MORITURUS.

Hæc quoque ferre Virum? timido gens perfida furto
Eripuit membris robora prima meis,
Eripuit lucem, nunc crimine pejus utroque
Vult ſcelus & noſtris lætior eſſe malis.
At qui natus erat te perdere, dira propago,
Nec minus ut perdam nunc moriturus ero.
Da veniam neque ſit Samſon tibi, patria, tanti,
Ut tibi qui noceant tot ſupereſſe velis:
Plena viris domus eſt dignum factura ſepulchrum;
Non cupiam tumulo ſplendidiore tegi,
Ut pereant fractis arx me obruat alta columnis,
Jam ſuccumbendo denique victor ero.

39. HANNA STERILIS.

Ergone ſollicitam ſemper me ſacra Silohe
Accipiet lacrymas aſpicietque meas?
Nec Deus aſpicies, ſemper ne occluſa dolebo
Viſcera, nec titulo digna parentis ero?
Da nomen tam dulce mihi, da pignus amoris,
Hoc tibi pro gratæ pignore mentis erit:
Quem dederis ſacrabo tibi; nunc annue votis;
Et mihi ſi non vis, da, Pater alme, tibi.

40. SAULUS IN REGEM UNCTUS

AD PATREM.

Vidiſti genitor natum, nunc aſpice Regem,
Nunc alium patriæ cerne tuumque patrem.
Non aſinum reperi, reperi quodcunque bonorum
Poſſidet Hebræi gens opulenta ſoli.
Error in has me duxit opes ſceptroque beavit,
Dum nobis errans beſtia monſtrat iter.

Quid

Quid nunc invento genitor lætaris aſello?
Utilior nobis perditus ille fuit.

GOLIATHI 41.
Epitaphium.

Ille palæſtinis Dux formidabilis armis,
Non veritus cœlo bella movere Gigas
Hic jaceo pars trunca mei; non igne triſulco
Non mihi fulmineo contigit enſe mori:
Frons fuit exitio lævi perfracta lapillo.
At niſi cum perii frons mihi nulla fuit.

ALIUD. 42.

Contemtor ille cœli trux, ſævus, minax,
Moles tremenda timido, turris carnea
Subito peremptus Goliath fato hic jacet
Morbum viator quæris? obiit calculo.

SAULUS 43
Moriturus.

Ergone ſe precibus mors implorata negavit?
Ergo venire mihi certa venire timet?
Reſtat ut ipſe meo ſanem mea vulnera ferro,
Abſit ut hac madeat cæde prophana manus,
Si puer officium trepidus fatale recuſas,
Auxilium nobis hic feret, ecce, chalybs.
Corpora victores cædant vulgaria, Sauli
Proſtrati tituſum non niſi Saulus habet.

ACHITOPHEL ET JUDAS ISCHARIOTES. 44.

David Davidico nati de ſtemmate Chriſti,
Achitophel Judæ vera figura fuit.

Ad laqueum Achitophel, Dominum quia prodere
Ad laqueum Judas, ſed quia prodit, abit. (neſcit,

45. ABSALONIS ET SAMSONIS COMPARATIO.

Abſalon ipſe ſuis capitur moriturque capillis,
Detonſis capitur Samſon obitque ſuis.
Abſalon amiſſis poterat vixiſſe capillis,
Servatis Samſon ſalvus abire ſuis.

46. AD ABSALONEM.

Non ornamentum capiti ſed pondera geſtans
Diceris exuviis intumuiſſe tuis.
Cum caperet propriis quercus te celſa capillis,
Quam cuperes emtas tunc habuiſſe comas?

47. IN ABSALONEM PENDENTEM.

Quid mirum jam pœna malos ſi clauda ſequatur?
Aſpice, pœna malos nunc quoque manca capit.

48. ACHITOPHEL PENDENS.

ACHITOPHEL ἀνάγρ. HIC PATEO L

Hic pateo proprii monumentum triſte furoris,
Non mea commeritus marmor ut oſſa tegat;
Sum funus tumuluſque mihi, pœnaſque Davidi
Exitio meritis conveniente dedi:
Perdidi ubique fidem cum nomine, ſola ſuperſtes
Quam de me facerem litera longa fuit.

49. SALOMON AD UXORES.

Non Peor Iſacidum meruit non Aſtharot aras,
Nec mea Niliacus templa prophanet Apis,
Vos ego ſidereo conceptæ ſemine formæ,
Vos, licet invideant numina veſtra, colam.

Non

Non placet hoc, veſtroſque Deos mavultis ado-
Pareo, ſed quamvis pareo, malo Deas. (rem?

MATER PUERI DE QUO LIS ERAT 50.
AD SALOMONEM.

Sic tribuis Rex cuique ſuum? ſic dividis æquum?
Hei mihi! de viva quæſtio prole fuit.
Dividat hanc gladio lictor? cadet utraque cauſa,
Quique utrinque cupis nullibi juſtus eris.
Huic potius concede meam, Rex optime, prolem;
Vivat, & ut vivat deſinat eſſe mea.
Nolo meæ quicquam ſobolis, plenam opto repul-
ſam.
Et precor ut mihi, Rex, quod precor omne
neges.

ELIAS AD RIVUM A CORVIS ALITUR 51.

Ecce ſacer vates juſſum requieſcit ad amnem,
Et ſua ſed corvo prandia dante capit.
Quid metuas mens ſancta famem? cum juſſerit æ-
Qui ferat innocuis fercula raptor adeſt. (ther,

MORTUUS, 52.
TACTIS ELISAEI OSSIBUS REVIVISCENS.

Viventi mortem defuncto debeo vitam,
Me faciunt ludum vitaque morſque ſuum.
Sto, cado, ſto; poterat morti me tradere vivus,
Reddere me vitæ mortuus, ecce, poteſt.

MANASSES RESTITUTUS. 53

Quem modo præcipitem laxis furor egit habenis
Et ſcelus & tectum relligione nefas;
Quem cruor innocuus plateis effuſus & aris
Quem ſoboles fecit ſacrificata reum;

Impetro Manaſſes veniam: me liberat hoſtis,
Dum capit & ferro crura manuſque gravat.
Dum tenet immotum nexu me carcer aheno,
Tunc moveor juſtum confiteorque Deum.
Tunc moveor, tunc ille ferox per vincula flector,
Dum quæ me prohibent flectere vincla gero.

54. SEDECHIAS LIBERORUM NECEM INTUENS. AD TYRANNUM.

Ut moriar quoties morientia viſcera ſpecto,
Differor & poſt tot funera cœcus ero.
Nunc potius, truculente, oculos nunc eripe lucem,
Eripe, ſic mitis, pœnaque munus erit.
Heu furor!, heu crudi clementia ſæva Tyranni!
Damnatus mortem flagitat, illa negat,
Nempe aliquid gladiis flammiſq; rotiſque ſcaphiſque
Pejus habet rabies ingenioſa, moram.

55 IDEM CUM OCULIS PRIVARETUR.

Perdere jam ſupereſt mea lumina; parcite ferro;
Hoc faciet ferri lacryma fuſa loco.
Eripitis lacrymas? melius lugere docetis,
Nam fleri hæc ſolo ſanguine fata decet.

56. IN HAMANNUM.

Majores altis fiunt de montibus umbræ:
Fit tecum faſtus major, Hamanne, tuus.
Sed cave ne duplicet tibi gratia Principis umbras,
Umbras cum duplicat Phœbus, Hamanne, cadit.

57. AD EUNDEM.

Nil niſi ventus erit tibi gratia Regis & aura.
Inflat enim Regis te favor ille tui.

IN

IN EUNDEM MARDOCHÆI LOCO SUSPENSUM. 58.

Unicus ut pereat nequiit gens tota perire.
Vivat ut hæc, melius Vir perit unus Haman.

JUDITH 59.

HOLOFERNEM TRUCIDANS.

Tempus adeſt, uno patriam quod liberet ictu
Aſſyriumque ſuo dividat enſe Ducem.
Jam ſexum dediſce tuum, manus, occidat hoſtis,
Et commiſta ſuo ſanguine vina vomat,
Cor mihi donaſti, quod nunc peto, mollis amator;
Da caput, hæc voti ſumma caputque mei eſt.

IN FUGAM ASSYRIORUM. 60.

En fugit abjectis trepidans exercitus armis,
Imperioque Ducis conſilioque caret.
Spes decollato decollat Principe, plantas
Conſulit, ἀκέφαλοι dum videt eſſe caput.

SENES LASCIVI 61.

AD SUSANNAM.

Quæ nullo dare teſte potes da gaudia nobis,
Aut dubitas nobis ſi dare, ſume tibi.
Nec canitiem nec amorem ſperne ſenilem;
Nec tenues vires, venimus, ecce, duo.

SUSANNA. 62.

AD SENES.

Non pudet æterna canos aſpergere labe?
Non pudet hac famam labe notare meam?
Monſtra ſenum! non hic amor eſt, inſana libido (eſt,
Quam furor e ſtygii ſuſcitat igne rogi.

Hic ut in irriguis ſe mundet & abluat undis,
Non ut commaculet, nuda Suſanna ſedet.
At neque fraude minisve labat mens integra, ſper-
Tectos nuda, viros fœmina, ſola duos. (nam

63. AD EOSDEM
CUM EDUCERENTUR LAPIDIBUS OBRUENDI.

Bini, monſtra, Senes, probrum ſenectæ,
Impuri duo fomites amoris;
Vobis iſte pilis vigor ſub iſtis?
Illa ſub nive tantus ardet ignis?
Vos pulcherrima forma vos venuſtæ
Incendiſſe decor poteſt Suſannæ?
Vos eburnea colla vos papillas
Genarumque roſas manu trementi
Attrectare juvabat & ſalacem
Ævo vincere debili juventam?
At non ſola fides pudorque caſtæ
Per vos ſollicitatur, ipſa fama
Per vos vita periclitatur ipſa.
Inſtat debita pœna, voſque vulgus,
Ut plectat, lapidem movebit omnem.

64. LUX VERITATIS.

Sermo Dei Lux eſt & lux Deus ipſe vocatur,
Spectari hæc illa lux ſine luce nequit.

65. FIDES ET AMOR.

Non amor, una fides in cœlum ducit, at illuc
Non tamen ipſa fides ſed venit unus amor.

66. ORA ET LABORA.

Ut felix ſit opus tuum precare,
Ut felix ſit opus tuum labora.
Ceu nil proficerent preces labora,
Ceu nil proficeret labor precare.

AD

AD ZACHARIAM 67.
DE JOHANNE NATO.

Incipe, qui longum tacuiſti, denique fari;
Jam vocem conjux Eliſabetha parit.

DE OFFICIO JOHANNIS BAPTISTÆ. 68.

Nunciat optatam populo Baptiſta ſalutem
Approperare, viam præparat ille viæ.

AD CHRISTUM 69.
NOCTURNO TEMPORE NATUM.

Naſceris in mediis, o lux mea Solque, tenebris,
Nox fugit inſolitum neſcia ferre jubar.
Cum medio tegit ora die Sol mœſta minatur,
Sol noctu viſus lætius omen erat.

AD EUNDEM. 70.

Te nato nova ſtella nitet, res mira relatu
Sidereas orto Sole venire faces.

HOMO LAPSUS ET RESTITUTUS. 71.

Dum male prandet Adam pulchriſque expellitur hortis,
Nos avulſerunt crimina noſtra Deo.
Dum Deus humanos, nos ut juvet, induit artus,
Conjungunt nobis crimina noſtra Deum.

NOMEN JESU. 72.

Omnia debebam nec eram ſolvendo futurus,
Hoc nomen nomen me facit eſſe bonum.

AD BEATAM VIRGINEM 73.
DE CHRISTO NATO.

Cum ſub te lateat, cum te compleverit ille,
Siſque, licet major viſa fuiſſe, minor;
Sol puer & merito tu, Virgo, Luna voceris,
Ille tamen creſcit, tu quod es ante manes.

74.

74. MARIA ἀνάγρ. MIRA A.

Ne penitus ſis mira, parens ignara mariti;
Qui facit & nil non eſt potis, alpha facit.
(DEUS α & ω)

75. MARIA ἀνάγρ. AMARI.

Noſtra Maria Venus non orta mari ſed amari
Dignior & melior quam Venus orta mari.

76. AD B. V. MARIAM.

Admiranda Patris genitrix & filia nati,
Quotquot erant matrum maxima, prole minor:
Magna parens, ſexus ignara virilis & ipſum
Fœcunda pariens virginitate Deum,
Naturæ mundique ſtupor cœlique voluptas,
Et, dare quæ potuit gratia, plena bonis:
Te ſtupeo, celebro, laudo, cano, miror, honoro;
Sed colo (quis culpet?) quem colis ipſa, Deum.

77. MAGI EX ORIENTE
AD CHRISTUM.

Accipe, parve puer ſed ſic quoque maxime Regum,
Parva ſub Eoo munera nata ſolo.
Arrides, blandoque probas pia munera vultu?
Ah ſatis eſt, grates accipiendo refers.

78. AD MAGOS EX ORIENTE.

Vos puer æthereus ſtella latitante latebat,
Poſtea vos auxit lux nova luce nova.
Magnus honos! fateor, cœlo Duce quærere Chriſtum;
Sed tamen & noſter ſic ſibi conſtat honor:
Vos ad quæſitum deducant aſtra puellum,
Dum nos inventus ducat ad aſtra puer.

AD JOSEPHUM 79.

DE HERODIS INSIDIIS IN SOMNIS ADMONITUM.

Inſidias vobis vafri ſtruit ira Tyranni,
Inſidias ſomno tu monitore fugis.
Quem metuas Vir ſancte, quies cui detegit hoſtem
Et contra inſidias excubat ipſe ſopor.

RAHEL PLORANS. 80.

Innocuos, teneros & adhuc a matre rubentes,
Cruore fœdos proprio
Aſpiciam & lacryma ceſſem manante lavare
Vani capax ſolatii?
Parcite nec lacrymas dulces prohibete ſorores
Nil profuturas fundere;
Nil ago tot lacrymis? hoc ipſum perdita plango
Tot lacrymis quod nil agam.

AD HERODEM, 81.

DE JOHANNE.

Nuncius ætherea Johannes miſſus ab aula
Aula docebat in tua;
Innocuum perimis; non hoc cœloque Deoque
Eſt nuntium remittere?

AD NICODEMUM, 82.

JOH. 3.

QUOMODO POTEST HOMO NASCI QUUM SIT SENEX? NUM POTEST IN VENTREM MATRIS SUAE ITERUM INTROIRE ET NASCI?

Quod rogitas, quanquam ſtultum, Nicodeme, videtur,
Poſſe tamen fieri reſque fideſque docent:

Ma-

Mater humus noſtra eſt, in eam poſt fata redimus,
Concipit hæc vitæ nos paritura novæ.

83. DIVES EPULO.

Vivamus, ſocii, dum vivimus, utitur annis
Qui ſapit & præſens quod ſinit hora facit.
Vivamus, vitæque brevis ſit norma voluptas,
Diſtribuat ludis hæc epuliſque diem.
Nil animo nil dulce gulæ ventrique negemus,
Dum fortuna nihil divitiæque negant.
Terreat incerti fatuos formido futuri,
Qui capit in præſens quod ſapit, ille ſapit.

84. LAZARUS PAUPER.

Sordida luxuries & inexorabilis aula;
Sic pateris vanas pauperis ire preces?
Sic pateris, Vir dure, graves ſperniſque querelas?
Quodque fames optat noſtra perire jubes?
Non epulas, fragmenta peto, fragmenta negantur,
Fruſta precor, fruſtra: tollere fruſta vetas.
At quantum potuere juvant & putria lambunt
Ulcera me melius paſta caterva canes.
Aut hominum canibus miſereri diſce magiſtris,
Aut me, ne pigeat paſcere, crede canem.

85. AD PHARIZÆOS DE CHRISTO ETIAM SABATHO DIE AEGROS SANANTE.

Quo Phariſæa cohors damnatis crimine Jeſum?
Hoccine quod veſtro pellit ab orbe luem?
An quia factorum ſunt conſcia Sabbatha? nunquam
Iſte prophanabit Sabbatha ſacra labor.
Sudorem damnate omnem, damnate laborem;
Nullus ei eſt ægrum reſtituiſſe labor.

AD EOSDEM. 86.

SCAZON.

Hic ille Jeſus, voce dum fugat morbos
Curatque promtus, quos vel æſtuans febris
Vel udus hydrops arida ſiti torret,
Stillanſque membris omnibus ligat gutta;
Vel quos peredit, integraque ſemovit
A plebe lepra, quos vel aurium fugit
Vel lucis uſus, quos & occupat toto
Exercitu ſæviſſimus ſtygis Princeps;
Hos dum focillat ille, ſanat, expugnat;
Quid muſſitatis gens iniqua doctorum?
Quid iſta facta facta pulchra culpatis?
Per tot labores impiamque virtutem
Sperni querentes Sabbathum Deo ſacrum.
Non iſte ſpernit ſabbathum labor, per quem
Tot luce ſacra deſinunt laborare.

JERUSALEM JERUSALEM! 87.

QUAE OCCIDIS PROPHETAS ET LAPIDAS.

Ut perimas omnes, Majorum more, Prophetas
Omnem nunc lapidem moves.
Si pergis, veniet tempus quo denique nullus
Hærebit lapidi lapis.

ZACHÆUS RESIPISCENS. 88.

Parvus homo ſed pravus eram; monſtravit Jeſum
Arbor & injuſtam ſpernere juſſit humum.
Accipio ſub tecta Deum, juſtuſque probuſque
Utile ſuſcepta damno ſalute nefas.
Ditior ut fiam cum paupere divido nummos,
Deceptiſque lucrum reddere lucra puto.
Me juvat ipſa ſalus; felix mihi contigit arbor:
Hac didici fructus arbore ferre bonos.

89.

89. FILIUS PRODIGUS AD PATREM.

Ah pudeat quemcunque piget cognoſcere mun-
Quem juvat in patria conſenuiſſe caſa.(dum.
Me rapit externum generoſior ardor in orbem
Quodque domi proſit vult didiciſſe foris.
Conſilium genitor damnas? aurumque petenti
Abnuis & ſtultum degeneremque vocas?
Hoc ipſum maturet iter, ſine pergere ſtultum,
Fortaſſis ſapiens, quando revertar, ero.

90. AD PATREM FILII PRODIGI.

Retineto filium, Pater; ſi non tenes,
Tibi perdet ille filium, fiet nepos.

91. AMOR ET TIMOR.

Homines amabit quiſquis amaverit Deum,
Homines timebit nemo qui timet Deum.

92. LAZARI A CHRISTO RESUSCITATI EPITAPHIUM.

Lazarus hic jaceo, bis natus: fœmina mater
Prima mihi, tumulus altera mater erat.
Bis vixi, bis mortem obii, jam tertia vita
Reſtat, ubi plus eſt vivere poſſe ſemel.

93. VINCULA CRISTI.

Vinctus eram, & ſtygia captivus fraude tenebar,
Vincula, ne tenear, tu mea, Chriſte, ſubis.
At quæ me Stygio ſolverunt vincula nexu,
His ego devinctum me tibi, Chriſte, ſcio,

AD MALCHUM. 94.

Vincla paras Chriſto dextra cum plecteris aure,
Non truncanda auris ſed tibi dextra fuit.

AD MILITUM TURBAM JESUM CA- 95. PIENTIUM.

Non manibus veſtris quem ducitis, impia tur-
Non vi non odio, captus amore fuit. (ba,

PETRI LAPSUS. 96.

Inſtat & inſtabilem terret mala fœmina Petrum,
Ille negat Dominum pernegat ille ſuum.
Peccantem hinc tacitò facundior ore Magiſter,
Inde monet cantu nuncia lucis avis.
Solvitur in lacrymas, Dominiq; ut molliat iram
Ipſa cavaturas marmora fundit aquas.
Deſine Petre, tui nam deſiit ira Magiſtri,
Cum te luminibus molliit ipſe ſuis.

PETRUS DE SE. 97.

Perdam oculos lacrymis, perjuræ crimina lin-
Oculi luant & eluant. (guæ

IDEM. 98.

Infelix mihi nox fuit & carbone notanda,
Quæ carbone meum ſolvit & igne gelu.

DE LACRIMIS PETRI. 99.

AD AMICUM CHRISTIANUM.

Peccarunt alii, ſed eluerunt
Pœnitudine fletibuſque noxas;
Et pax poſt veniam reducta menti
Siccavit tumidos aquis ocellos.
Sed Petrum perhibent & impetratâ
Delicti veniâ tamen gementem,

Et facti memorem, canente gallo,
Æternis lacrymis rigaſſe vultum,
Quid hoc vult ſibi? Chriſtiane quæris,
An hæ ſunt fidei ſpeive guttæ?
An triſtis, trepidantis, ambigentis,
Preſſi pectoris anxiique proles?
Quid hoc eſt, lacrymas cadente Phœbo
Et Phœbo lacrymas novas reverſo,
Et ſemper lacrymas canente gallo
Mœſto fundere nubiloq; vultu?
Quid hoc eſt faciem genaſque molleis
Salſis & madidis arare ſulcis?
Et corrumpere lumina & ruborem
Ignitum dare lippitudinemque,
Atque ipſam properare cæcitatem
Miſellis oculis? Quid, inquis, hoc eſt?
Hoc eſt (nunc tibi, Chriſtiane, dicam)
Hoc eſt plus oculis amare Jeſum.

160. PETRUS RESIPISCENS AD JESUM.

Sumne tuus, quem lingua tuum perjura negabat?
Sumne tuus, Jeſu, quem pudet eſſe tuum?
Non ego ſum qui nuper eram, cùm voce feroci
Nulla recuſantem vincula jacto fidem.
Tam fortem puduit ſaltem dixiſſe quis eſſem;
Nunc iterum quis ſim dicere, Chriſte, pudet.

101. PETUS ἀνάγρ. PR(O)TEUS.

Inſtabilis fidei tiro mox deniq; conſtans
Immotam ſervas ad tua fata fidem.
Quam bene ne Proteus ſis & ſine fine vacilles,
Litera quæ finem non habet illa deeſt?

AD JUDAM DESPERANTEM. 102.

Nunc innocentem ſanguinem
Te prodidiſſe pœnitet?
Hoc innocenti ſanguine,
Si pœnitet, ſis innocens.

JUDAS DESPERANS. 103.

Quiſquis eris, tua quem condemnant crimina,
Tibi Redemptor contigit; (ſpera:
Non mihi; non meus eſt, non eſt meus ille Re-
Non eſt meus, quem vendidi. (demtor:

AD PILATUM. 104.

Detrahis ipſe fidem tibi dum neſcire fateris
Quid ſit, Pilate, veritas.
Quod modo clamabas: inſontem vivere Jeſum,
Hæc eſt, Pilate, veritas.

AD EUNDEM 105.
Manus Lavantem.

At nunc innocuo maculatam ſanguine dextram
Unda lavat, fruſtrà; polluit unda magis;
Si ſceleris piget & mundari ſerius optas,
Hoc, quo te maculas, ſanguine mundus eris.

AD CHRISTUM 106.
Cruci affixum.

Sic genitor placandus erat, dulciſſime Jeſu?
Hei mihi! nunc quid ſit crimen & ira patet.
Quàm dolet hanc noſtrá te mortem occumbere
Pro culpa noſtra quàm ſubiiſſe juvat! (culpa!

ALIUD. 107.

Fecimus has pœnas tibi nos, non ſolus Adamus,
Et noſtrum eſt, quicquid fecit Apella, ſcelus.
Sed

Sed morimur niſi tu moriaris, ut ergo liceret
Vivere, debuimus bis meruiſſe necem?

108. CHRISTUS.
VIA ET VITA.
CRUCIFIXUS ET MORTUUS.

Vult ſurſum tolli Via qua conſcenditur æther;
Vult, ne mors poſſit vivere, Vita mori.

109. IN CHRISTI CRUCIFIXI IMAGINEM.
AD SPECTATOREM.

Aſpice ferali pendentia corpora ligno,
Aſpice, res curas exigit iſta tuas.
Quis patitur? cœli Dominus, quid? vincula, plagas,
Flagra, crucem, clavos, ſcommata, ſputa, necem.
Qui pœnæ ſocii pendent utrinque? latrones.
Et quid flagitii fecerat ille? nihil.
Et tamen hunc audet Manus impia tollere? tollit.
Cujus erat facinus tam furiale? tuum.

110. MARIA MAGDALENA
SUB CRUCE.

Hoc erat injuſſis toties quod fluxit ocellis
Lacryma, non ſolo crimine mœſta fui;
Mens tanti præſaga mali tot fundere rivos
Lumina flumineæ more coegit aquæ.
Parcite jam lacrymæ; ſatis heu! tot fletibus actum (eſt;
Non tibi jam lotos imputo, Chriſte, pedes.
Heu! malè tam mundum lacrymis ſcelerata lavabam;
Me melius fuſo ſanguine, CHRISTE, lavas.

ET PETRÆ FISSÆ SUNT ETC. 111.

AD PECCATOREM.

Triſti funere flebilique fato
Movetur lapis ipſe, tuque duro
Stabis pectore? pro ſalute cujus
Servator lapidem movebat omnem.

JESU CHRISTI 112.

EPITAPHIUM.

Plange, dole, mirare, ſtupe, lætare, Viator,
Quiſquis es; hoc tumulo mortua vita jacet.

IN SEPULCHRUM CHRISTI. 113.

MORTIS EPITAPHIUM.

Mortuus hoc nemo, ſed mors jacet ipſa ſepulcro:
Intulit huic meritam vita peremta necem.

AD MULIERES 114.

CHRISTUM UNGERE VOLENTES.

Parce, benigna cohors; non eſt opus ungere Chri-
Vivit & ille unctus jam fuit ante Deo. (ſtum.

SAULUS CONVERSUS. 115.

Impia me pietas ferventi cæca furore
Egerat in clades, ſancta caterva, tuas.
Jam rabies accenſa novum ſperare cruorem
Et tibi funeſtas juſſerat ire vias.
Siſtit iter vox miſſa polo, ſternitque trementem
Fulgida lux; hoſtem diſce coloque meum.
Eripuit lucem mihi lux, tenebræque tenebras,
Hinc rectam didici cæcus inire viam.

116. PIÆ ANIMÆ SOLATIUM.

Quid quereris mens ægra? crucem quid ferre gravaris?
Quo plus triſtitiæ, gaudia plura feres.
Diſce pati: mera lætitiæ ſunt ſemina luctus,
Solamenque mali non leve, multa pati.

117. RESPICE FINEM.

Vivere diſce, mori qui vis aliquando beatus.
Qui bene vis olim vivere, diſce mori.

118. *Quo fugiam a ſpiritu tuo Domine &c. Pſ. 139.*

Quæ fuga me eripiet Domino, qui regnat ubique
Et premit occultos quolibet orbe reos?
Diſſuadet timor ipſe fugam. Juſtiſſime Vindex:
Ad te confugio, ut te miſer effugiam.

119. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei Pſalm. 42.*

Nondum lux venit illa, quæ tenebris
Exemtum jubeat videre lucem?
Nondum lux venit illa, qua venire
Me velis, pie Chriſte, gaudioque
Hos incredibili bees ocellos?
Ocellos tua quos videre templa,
Tuo quos cupiam frui decore,
Quos huic eripiam libenter ævo,
Quos, ut te liceat videre, claudam.

LIBRI PRIMI

FINIS.

HENRICI HARDERI EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

I.

AD SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM DANIÆ NORVEGIÆ VANDALORUM GOTHORUMQUE REGEM

FRIDERICUM TERTIUM

Regnorum Hæredem.

ANNO M DC LX.

I. 1.

Antea Te Regnis dederat, FRIDERICE, duobus;
Nunc, Rex Magne, Deus dat duo Regna Tibi.
Gloria magna fuit fieri meruiſſe Monarcham,
Maximum non fieri, ſed meruiſſe fuit.

II. 2.

Dania poſt varios pacis bellique labores
Dum quærit meritis præmia digna Tuis;
Dum quærit miſeris bellorum fracta ruinis
Quo valeat recipi pax que ſalusque modo:
Donavit Tibi ſe totam, FRIDERICE, fuitque
Utilis ipſa ſibi, quo tibi grata foret.

III. 3.

Cum novus Haſniacis inſtaret mœnibus hoſtis,
Et dubio hæreret cardine Dana ſalus:

Nolebas ſine cive Tuam ſervare ſalutem,
Nec ſine Te poterat Civis amare ſuam.
Nunc meritis actura Tuis pia Dania grates
Sceptra offert generi perpetuanda Tuo.
Danorum gratus virtutibus eſſe tuorum
Si cupis, oblatum tu diadema cape.

4. IV.

Non majora potes patriæ dare munera, quam
Munera Rex facilis quæ dedit illa capis.(quod
Tunc etenim ſeſe prope perdita viſa recepit
Patria, cum tibi ſe, Rex FRIDERICE, dedit.

5. DE OBSIDIONE HAFFNIENSI

AD REGEM.

Hoſtis adeſt, ſpectat deſertam mœnibus urbem,
Dum parat ingreſſum, mœnia nata videt.
Dum ſtupet, urget opus noſtri ſolertia Martis,
Eluditque truces vis inopina minas,
Nunc Amphionios ne jactet fama labores,
Aut teſtudineâ mœnia ſtructa fide.
Nam multo breviore mora, Rex magne, tuorum
Tu quoque ſtruxiſti mœnia tanta fide.

6. DE FALCIBUS MESSORIIS,

QUIBUS IN OBSIDIONE PUGNATUM.

Vidimus innocuas falces inſignia Pacis
Officium Marti proſtituiſſe ſuum.
Scilicet ut pulſa pacem Mars redderet armis,
Vincere, Pax, armis debuit ille tuis.

7. ALIUD.

Falce hoſtem metimus, vigilantiâ d mœnia Marti
Damus arma paci debita.
Quod fuit ante nefas, alienæ hoc tempore meſſi
Cum laude falcem immiſimus.

8.

ALIUD. 8

Si modo belligeras ſublato fœdere gentes
In nova ſollicitet prælia Martis amor,
Non opus ut rigidum falces conflentur in enſem,
Arma, Gradive, tibi pax ſatis apta dabit:
Enſe tuo melius cumulabunt funera falces;
Quoque ſolent numero tritica, colla metent:
Diſcite qui ſapitis pacem quoque poſſe nocere,
Et Dominæ mores arma ſecuta ſuæ.

DE OBSIDIONE. 9.

Hoſtis adeſt, nudam muris ſibi deſtinat urbem;
Sed cita ſe tollunt mœnia, fervet opus.
Fervet opus, removent damnoſa ſuburbia flam-
Nec tantum fervet ſed ſimul ardet opus. (mas,

ACADEMIA ARMATA. 10.

Aonidas etiam fortes Phœbique cohortem
Sumere depoſitis vidimus arma togis.
Nec metuiſſe ſacras hoſtili ſanguine dextras
Tingere, nec proprio, Suece, cruore tuas.
Hoc eſt quod Phœbum non ſolis vivere Muſis,
Sed quibus & pugnet ſpicula ferre ferunt.

DE PUGNA NAVALI 11.

IN FRETO CODANO. MDCLVIII.

Occupat anguſtas prior hoſtis in æquore fauces;
Et clauſum Batavo claſſe coronat iter.
Hinc atque inde rates, caſtella hinc inde minantur.
Per medias tantum rima patebat aquas.
Agnovit ſolitum virtus iter, ivit & ultro
Hoſtibus anguſtas fecit utrinque vias.
Hoſtis utrinque perit, tua noſtræ fida ſaluti
In Medio virtus ſalva, Batave, ſtetit.

12. DANIA ἀνάγρ. DIANA.

Me prope furtivus nudam conſpexerat hoſtis,
Inque ipſos trepida venerat urbe ſinus.
Extimuit ſua probra pudor: ſed nervus & arcus
Telaque ſueta meas deſtituere manus.
Nos aqua, nos ignis ſocia virtute tuentur,
Et quicquid præſens hora locuſque dedit.
Ille fugit cervo ſimilis, quem Delia Virgo
Cominus aſperſa de Duce fecit aqua.
Pœna tamen diverſa placet: nova cornua nulla:
Sed quibus irruerat cornua fracta refert.

13. DAVIDIS & TRAJANI LAUS.

AD AUGUSTISSIMUM REGEM

CHRISTIANUM QUINTUM.

Nil Hebræa dedit melius DAVIDE vetuſtas,
Romana TRAJANO nihil.
Hos laudare duos dum Phœbus nititur, uno
Cum CHRISTIANO comparat.

14. AD EUNDEM

ORDINIS EQUITUM STELLAE IN DANIA AUTHOREM.

Quid mirum veniſſe Tuas ad ſidera laudes?
Vidimus ad laudes illa venire Tuas.
Vive diu terris, nam ſidera ne citus optes,
Ipſa ad Te veniunt ſidera, vive diu.

15. IN FORTUNAM CAROLI II. MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS.

ANNO M DC LX.

Certavere diu Virtus Fortunaque Regis
Secula cui paucos priſca dedere pares.

Vi-

Vicit io! Virtus, Fortunaque victa receſſit,
An potius vetita eſt cedere? victa ſtetit.

OLIVIER CROMVELLUS. 16.

Ille crucem ſceleris pretium tulit, hic diadema,
Felix infelix Cromvel: utrumque tulit.

DIVES ET BONUS. 17.

Dives erit qui ſe ditem ſatis eſſe putabit;
Ille bonus qui ſe non ſatis eſſe bonum.

VOTUM SAPIENTIS. 18.

O felix ſapiens! quodcunque rogabit habebit;
Nempe nihil, niſi quod fas ſit habere, rogat.

IN STATUAM LAOCOONTIS QUÆ ROMÆ VISITUR. 19.

Laocoonta ſenem cupiit qui reddere vitæ,
Reddidit ad pœnas ſuppliciumque faber.
Quem miſerer prius hic? natos? miſerumne parentem?
An ſtupeam colubros horrida monſtra duos?
Hei mihi! quam ſævo ſtringuntur corpora nexu!
Quamque venenato vulnere membra tument?
Quamque diu heu! fruſtra miſeri fruſtraque repugnant!
Alteriuſque alter morte ſuaque perit.
Spirantes triſti pallent in marmore vultus,
Jamque notas vitæ deficientis habent.
Omnia viva dedit manus ingenioſa Myronis,
Vox tamen una deeſt? hanc tibi, fama, dedit.

AD JOVEM BOVEM. 20.

Stulte quid Europam ficti ſub imagine tauri
Ludis? amatorem mavolet illa virum.
Candida cum vaccas inter tua mugiit Io,
Tunc tauri ſpeciem ſumere tempus erat.

21, *IN SYLVAM MEDITATIONUM SACRARUM*

DNI. FRIDERICI BRANDES

ECCLESIASTAE AULIC. NICOP.

Quæ Babyloniacis ſuſpenſa vireta columnis
Surgere barbaricus juſſit in aſtra labor
Jam ſtupeat qui vana ſapit; cui ſidera curæ,
Ecce novum noſtro ſpectet in orbe nemus.
Dantur Hyperborea viridaria digna ſub arcto,
Præ quibus Eoæ ſordeat artis opus.
Nam neque ſe fragili ſuſtentant pendula Saxo,
Nec ſterili debent quæ genuere ſolo.
Fundamenta ipſi referunt & ſemina coelo,
Æthereoque fovent germina digna ſatu.
Explicat hæc varias virtutum culmina frondes;
Divinoque omnes nectare ſilva rigat:
Hoc Amor hoc Virtus Candorque Fideſque recta-
Hoc Pietas ſuperis gaudet amica ſolo. (ſci.
Huc pia mens, ſeu te ſudantem lenior aura,
Seu tenebræ virides & juvat umbra, veni.
Hic æſtum Zephyrus divinæ mitigat auræ,
Hic tibi viva, ſitim quæ levet, unda fluit.
Hic lege laudata quot cernis in arbore fructus,
Et fuge quot vetitos hic paradiſus habet.
At tu perge ſacra, BRANDES, Virtute diuque
Noſtra beaturum ſecula creſcat opus.
Perge Semiramio nil conceſſure vireto
Sideribus ſylva proximus ire tua.
Si qua fides, hodie quoque dant miracula ſylvæ.
Quis putet? en vatem me tua ſylva facit.
Olim ſunt ſylvæ Rhodopæis plectra ſecutæ,
Carmina ſunt ſylvam noſtra ſecuta tuam.

AD

AD EUNDEM, 22.

CUM SECUNDIS NUPTIIS SIBI JUNGERET LECTISSIMAM VIRGINEM

SOPHIAM ELISAB.

Rehfeld/ ANNO M DC LXIV.

I.

Fulſit dicta dies; veniunt ad fœdus amantes,
Idaliiſque ſacris & ſibi plaudit Hymen.
Plaudit Amor tantique placet ſibi laude triumphi,
Plaudit amans neque ſic ſuccubuiſſe timet.
Sic vinci viciſſe fuit, ſuperare Sophiam
Tanti erat, ut Sophiæ cedere vellet amor.
Victus uterque tamen vicit, jam Conjuge vivet
Ille ſua felix nec minus illa ſuo. (eſt!
Quam bene quæ nubit BRANDI Sapientia dicta
Qui ducit SOPHIAM quam ſapienter amat!

II. 23.

Sic lacrymas terſiſſe juvat ſic ire dolores,
Verbaque de thalamo nulla priore queri.
Scilicet erubuit tandem Fortuna, ſibique
Quod licuit cuperet non licuiſſe nefas.
Qua licet, excuſat, vacui faſtidia lecti
Dum fugat & viduos non ſinit eſſe toros.
Perge tuis, Fortuna, bonis meliorque perenna,
Sic poteris famæ conſuluiſſe tuæ.
Nos tibi blandimur, ne nobis dura benignos
Invideas vultus, nos manet iſte labor:
At BRANDEM placare tibi veniamque mereri
Quo potes officio quoque favore, tuum eſt.

III. 24.

Tempore virgineis quo Sol amplexibus hæret
Dilectaſque timet deſeruiſſe domos;

Hæc Phœbum videt ora novum, flagrantia Bran-
Gaudet virgineo corda levare toro. (des
Quam bene te Phœbo ſimilem facis? alter Apollo:
Quam bene ſidereas æquat Eliſa Deas?
Reſtat abhinc nono videas ut menſe GEMEL-
Hac etiam Phœbum parte referre juvet. (LOS.

25. *AD GENEROSUM AC NOBILISSIMUM*

DN. DIEDERICUM SCHULTE,

FINSTRUPII HAERED.

Ab exteris in Patriam redeuntem

ANNO M DC LXIV.

Ergo dies rediit qua te redeunte beemur,
Delicium SCHULTI gentis honorque tuæ?
Ergo ades, & tanto digniſſima pignore Mater
Mirandi cauſas lætitiæque videt?
Et rediiſſe ſuum tandem pia patria civem
Lætatur, talem Te rediiſſe ſtupet.
Jam plaudit jam plectra movet Parnaſſus, & ipſa
Æſtuat in laudes ire Thalia tuas;
Sed tenues queritur vires & quicquid honorum,
Quicquid habet laudum te videt eſſe minus.
Nominis ergo tui quod laudes exprimat, ipſo
Nil reperit melius nomine Muſa tuo:

DIEDERICUS SCHULTE.

ἀνάγρ.

REDIT SECULI DECUS.

In Imaginem 26.
GENEROSISSIMÆ MATRONÆ ANNÆ MARGARETÆ A GOTZEN Finſtrupiæ Dominæ
ANNO 1662.

Sic habitat Virtus, quam præfert GOTZIA vultu;
Hic pudor hæc iſta gratia fronte ſedet.
Hæc roſeis nix miſta genis, ipſamque juventam
Ætatem facie diſſimulente refert.
Non Helenam non Penelopen jam Græcia jactet:
Hujus in hac mores illius ora vides.

AD AMICUM APUD EXTERAS 27. AGENTEM
ANNO 1663.

Dum tua te magnum ducit Fortuna per orbem,
Me mea Finſtrupii limite claudit agri.
Dum tua te merito virtus illuſtrat honore,
Torpet in obſcuro noſtra latetque ſolo.
Ampla tibi legitur doctrinæ meſſis, in agro
Barbaries nobis ruſticitasque redit.
Cætera diſſimiles, inimici crimine fati.
Quod ſupereſt, ſolo ſimus amore pares.

AD D. CASPARUM KÖLICHEN 28.
DE GUTTA DISPUTANTEM.

Acre malum, pluresque quod rodere corporis artus
Novimus, a ſolo cur pede nomen habet?
Quam Bacchi liquor & ſalſo Venus edita ponto
Progenerant, dici non male gutta poteſt.
Gutta ſed Oceanum multis parit usque dolorum,
KöLICHIO tantum gutta benigna meo:

Tu melius guttæ nomen, CASPARE, dediſti;
Gutta tibi nomen clarius iſta dabit.

29. IN EJUSDEM LAUREAM DOCTORALEM.

Non aliter ſummo capitolia ſacra Tonanti
Auſonius niveis victor adibat equis.
Scandit Apollineos victrix induſtria colles (NOR-
KöLICHIUMQUE novo culmine ſiſtit HO-
Stat Virtus ſpectatque ſui decus alta triumphi,
Stat labor & meritis debita dona refert.
Macte novis, CASPARE, bonis & nomine fauſte!
De nece de morbis iſte triumphus eat.
Ipſe pari titulo te Phœbus adoptat ut orbis
Famaque te talem qualis es eſſe ſciat.
Scit mundus neque fama tacet: faſtigia Phœbo
Proxima nec Muſis inferiora tenes.
Nec mortem tuus horret honor nec fama, vetabit
Et tua te Virtus & Medicina mori.

30. AD ARISTIPPUM AURUM ABJICIENTEM.

Non opus ut perdas auri, ſtultiſſime, munus.
Illud perdiderat qui tibi cunque dedit.

31. AD JOHANNEM MOLLERUM J. U. D. QUONDAM IN HAFNIENSI ACAD. PROF. P. CUM FLENSBURGI CONSUL FIERET.

Ergone hyperborei pars hactenus ampla Lycei,
Quem ſibi jam proprium fecerat alma Themis!
Deſtituis quas magna ſuo fovet Hafnia portu?
An potius transfers in loca noſtra Deas?

Jam-

Jamque tuis pateris titulis accedere faſces
Et noſtra Conſul figis in urbe larem,
Municipes gaudete mei: vos candida virtus,
Vos Doctrina Fides & Themis ipſa regent.
Hic vir hic eſt urbem cujus ſapientia noſtram
Gaudet in antiquum reſtituiſſe decus.
Macte Pater! vacuet jam curia noſtra cathedras,
Et media virtus ſe tua luce probet.
Explicuiſſe minor laus eſt quam tradere leges,
Et dare jus majus quam docuiſſe decus.

AD D. RUDOLPHUM MOTH 32.
VICE EPISCOPUM FIONENSEM AMICUM VETEREM.

Dic quæſo mihi dic, amice Mothi,
Quo te nomine rectius ſalutem,
An meum vocitabo te Rudolphum?
Rudolphum potius meum vocabo.
An meum Mothium vocabo? nolo
Sed meum volo Mothium vocare.
Cur? brevis mihi nolo ſis amicus.

REMEDIUM AMORIS LABOR. 33.

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Quem requies fortem deſidioſa facit.
Ignis amor ſi ſit, frigeſcunt ignea motu,
Friget amor quoties ſudat opuſque facit.

AD PONTIAM FUCATAM. 34.

Narciſſus propriæ formæ mutatus amore eſt,
Tuque odio formæ, Pontia, verſa tuæ.

DE PROCLO ET COTTA POETIS. 35.

Proclus inops diti vendit ſua carmina Cottæ,
Jam quod edat Proclus, Cotta quod edat habet.

36. CALENDIS MAJIS ANNO 1664.

Salvete magno, digna progenies Jove
  Fœcunda Ledæ ſidera:
Salvete, Phœbum dum telluri dum novum
  Orbi decorem redditis.
O ver amœnum dulcis herbarum Parens!
  O blanda nutrix temporis!
O mira cœli limpidi ſerenitas!
  Pictuſque pratorum nitor.
Ut nunc virentes ire per ſilvas juvat!
  Aut fontis ad vitrei caput,
Qua fagus alto fundit umbram vertice,
  Audire murmur rivuli,
Pugnaſque vocum, dum nec una ſpinulo
  Fringilla nec cedit paro.
Dum triſte dulci Daulias queritur ſono
  Dirum peroſa Tereum.
O mentis ingens languidæ ſolatium!
  Spectare quo pingat ſolum
Natura cultu nuper aſtrictum gelu
  Altaque velatum nive.
Audirè miſtum frondibus favonium,
  Quas nuper orbarat notus.
Sic nempe certas læta miſcet triſtibus
  Natura rerum per vices
O diſce rebus ſemper immitis meis
  Fortuna naturam ſequi.

37. IN LUSCINIAM.

Æmula Muſarum cantrix, innoxia Siren,
  Non male Pieriis annumeranda choris:
Vox nemoris, nova lingua loci, qua nemo canente
  Gutturis unius tot putet eſſe ſonos:
Hæc tibi pro muto facundia contigit ore?
  Fallimur? an tanti ſic periiſſe fuit?

Jam

Jam linguæ ſecura tuæ ſecura pudoris
Deliciis hominum læta tuiſque vacas.
Non ſequeris credo ſed ducis carmine ſylvas
Ex quo threicium ſervat Olympus ebur.

AD ECHO DE MORTE NARCISSI. 38.

Funera Narciſſi Nymphæ lacrymentur, at Echo
Gaude, rivalis dum perit ille tuus.

AD CÆCILIANUM GRAMMATICUM. 39.

Candor & albor idem tibi, Cæciliane, videntur,
Candida mens non eſt ſed tamen alba tibi.

AD PRISCUM DE HERMO. 40.

Roganti tibi, Priſce, dives Hermus
Nummos mille negavit, at negavit
Longe plus Proculo: negavit unum.

AD QUENDAM. 41.

Privatus vivis, ſed enim dum Thaida ducis,
Accedis ad Rem publicam.

MANIBUS 42.
DOCTISSIMI PROBISSIMIQUE JUVENIS
PAULI JUDICHERI
AMICI INTIMI.

Siccine maturus moreris? me Paule relinquis?
O animæ nunquam pars moritura meæ:
Siccine mors nimiæ plectens virtutis honores
Eſſe ſenem prohibet dum putat eſſe ſenem?
Ite meæ lacrymæ, caro date juſta ſodali,
Ite, juvat madidis & decet ire genis.
Non dolor hic ſiccos gemitus non arida poſcit
Verba ſed & lacrymas; ire negant lacrymæ.
Parcite quæſo tamen Paulini parcite manes,
Nec ſperate mea de pietate minus.

Eri-

Eripit ipſe ſibi tantus ſolatia luctus,
Ire dolor lacrymas qui jubet, ire vetat.

43. IN POEMATA JUVENILIA *GENEROSISSIMI DOMINI* MAGNI SCHEEL Dni. IN FUSING. &c.

Quem nobis aurora diem tam lucida ſpondet?
Quantus ab exiguo proditur ungue Leo?
Fallor? an imberbi Muſas ſociare juventæ
Pergis & exemplo, Phœbe, favere tuo?
Scheliadæ prætexta ſapit, jam carmine Magnus
Teutonicum facili pectine pulſat ebur.
Seu radius ſeu ſit vegetæ ſcintillula mentis,
Eruptura ſuo tempore flamma latet.

44. IN EJUSDEM JUDITH TRAGOEDIAM ex Germanico in Danicum ſermonem elegantiſſime verſam.

Maſcula jam Dano graditur JUDITHA cothur-
Oſtentatque ſuis triſte piumque nefas. (no,
Formoſam facit iſte cruor, torus iſte pudicam
Monſtrat, & æternum nox parit iſta jubar.
Pro Patria fraus nempe licet, ſi robora deſint,
Et vitio pietas inſidioſa caret.
Tu morere & toties proprio, Dux peſſime, ferro
Occide, te quoties vivere Muſa facit.
Quæ placuit Juditha tibi jam vindice Magno.
Dana ſit & titulo nobiliore placet.

45. AD EUNDEM, CUM STUDIIS GEOGRAPHICIS OPERAM DARET.

Hoc quoque reſtabat, magnum cognoſcere mundum,
Atque animo ſpatium par reperire tuo.

De mundo jam diſce loqui, doctiſſime Schelli,
Mox de te mundus diſcet uterque loqui.

AD EUNDEM, 46.

Cum ad exteros abiret.

Nobilis externas dum te rapit ardor in oras,
O SCHELI Patrii lauſque decuſque ſoli:
I felix patriamque lubens fuge nobilis exul;
Sic reduci lætum gloria pandet iter.
Diſtribuit cunctis ſeſe Prudentia terris,
Quærere quod Patriæ profit ubique licet.
Externa te noſtræ ſapientia præparet aulæ,
Quodque domi doceas utile diſce foris.
Dum Patriæ diſcas patria tibi vile carere eſt,
Sic patriam patriæ ſpernere cogit amor.

SCIENTIÆ GENEALOGIA. 47.

Filia non temerè Thaumantis creditur Iris;
Invenit hic certam fabula ficta fidem.
Quas ſcimus rerum fuit Admiratio mater,
Illa cognitio nata Parente fuit:
Naſcitur ex iſta rurſum admiratio doctis,
Mira eadem natæ nata Parenſque ſuæ.

LA MODE. 48.

Eſt modus in rebus, Vates ut Horatius inquit,
At modus in ſolis deſiit eſſe modis.

AD MOMUM. 49.

Sat rectum tibi, Mome, nil videtur.
Non vides bene, Mome, pejus audis.

AD FABULLAM GRAVIDAM. 50.

Caſtam credidit eſſe te Philetas,
Dum Sponſam ſibi te legebat unam.
Jam te deſeruit tuus Philetas,
Jam ruptam quereris fidem, Fabulla:

Quod

Eripit ipſe ſibi tantus ſolatia luctus,
Ire dolor lacrymas qui jubet, ire vetat.

43. IN POEMATA JUVENILIA *GENEROSISSIMI DOMINI* MAGNI SCHEEL DNI. IN FUSING. &c.

Quem nobis aurora diem tam lucida ſpondet?
Quantus ab exiguo proditur ungue Leo?
Fallor? an imberbi Muſas ſociare juventæ
Pergis & exemplo, Phœbe, favere tuo?
Scheliadæ prætexta ſapit, jam carmine Magnus
Teutonicum facili pectine pulſat ebur.
Seu radius ſeu ſit vegetæ ſcintillula mentis,
Eruptura ſuo tempore flamma latet.

44. IN EJUSDEM JUDITH TRAGOEDIAM ex Germanico in Danicum ſermonem elegantiſſime verſam.

Maſcula jam Dano graditur JUDITHA cothurno,
Oſtentatque ſuis triſte piumque nefas.
Formoſam facit iſte cruor, torus iſte pudicam
Monſtrat, & æternum nox parit iſta jubar.
Pro Patria fraus nempe licet, ſi robora deſint,
Et vitio pietas inſidioſa caret.
Tu morere & toties proprio, Dux peſſime, ferro
Occide, te quoties vivere Muſa facit.
Quæ placuit Juditha tibi jam vindice Magno,
Dana fit & titulo nobiliore placet.

45. AD EUNDEM, CUM STUDIIS GEOGRAPHICIS OPERAM DARET.

Hoc quoque reſtabat; magnum cognoſcere mundum,
Atque animo ſpatium par reperire tuo.

De

De mundo jam diſce loqui, doctiſſime Schaeli,
Mox de te mundus diſcet uterque loqui.

AD EUNDEM, 46.

CUM AD EXTEROS ABIRET.

Nobilis externas dum te rapit ardor in oras,
O SCHELI Patrii lausque decusque ſoli:
I felix patriamque lubens fuge nobilis exul;
Sic reduci lætum gloria pandet iter.
Diſtribuit cunctis ſeſe Prudentia terris,
Quærere quod Patriæ proſit ubique licet.
Externa te noſtræ ſapientia præparet aulæ,
Quodque domi doceas utile diſce foris.
Dum Patriæ diſcas patria tibi vile carere eſt,
Sic patriam patriæ ſpernere cogit amor.

SCIENTIÆ GENEALOGIA. 47.

Filia non temere Thaumantis creditur Iris;
Invenit hic certam fabula ficta fidem.
Quas ſcimus rerum fuit Admiratio mater,
Illa cognitio nata Parente fuit:
Naſcitur ex iſta rurſum admiratio doctis,
Mira eadem natæ nata Parenſque ſuæ.

LA MODE. 48.

Eſt modus in rebus, Vates ut Horatius inquit,
At modus in ſolis deſiit eſſe modis.

AD MOMUM. 49.

Sat rectum tibi, Mome, nil videtur,
Non vides bene, Mome, pejus audis.

AD FABULLAM GRAVIDAM. 50.

Caſtam credidit eſſe te Philetas,
Dum Sponſam ſibi te legebat unam.
Jam te deſeruit tuus Philetas,
Jam ruptam quereris fidem, Fabulla:

Quod

Quod te deſeruit tuus Philetas
Prægnantes habuit, Fabulla, cauſas.

51. AD LUCIUM INGENIOSE PARCUM.

Quæ tibi filiolo nutrix præfecta ferendo eſt,
Claudicat, alterno ſtatque caditque gradu.
Fallor? an hanc ideo placuit conducere Luci?
Ut tibi cunarum non opus eſſet ope.

52. OCCASIO.

Res opportuna tardus ſi negligis hora, (perdes.
Horaque reſque perit; dum propè res [illegible]

53. ORDO IN CONVIVIIS.

Vis minui numerum? magno præpone minorem;
Majorem parvo præfice, major erit
IX. XI.

54. AD DANAOS.

Tros inquit: metuo Danaos & dona ferentes,
Et merito veſtram non probat ille fidem;
Cum datis aufertis viſcato munere, vobis
Ablativus enim eſt atque Dativus idem.

55. In Laudem
Illuſtris ac Nobiliſſimi Domini
THEODORI LENTE
Cancellarii Regii.

THEODORUS LENTE. ἀνάγρ.
TE DELUS HONORET.

Nunc minus a genito ſe jactet Apolline Delos,
Nobilitat noſtras alter Apollo plagas,
Tu Phœbum, THEODORE, refers, regit ille Camœnas,
Te quoque Pierides quem venerentur habent.
Et tua non minus eſt Prudentia gnara futuri
Nec minus auxilium ferre perita manus.

Non

Non patriæ te plura ſuæ præſtabit Apollo
Commoda, nec tetigit certius ille ſcopum.
Omnia conveniunt; qui dignum dicere Phœbo
Carmen amat, laudes colligat ille tuas.

IN OBITUM EJUSDEM. 56

Et licet hoc etiam mentitis nomina Parcis?
Et datur hic ſceleri jus, Libitina, tuo?
Proh hominumque Deumque fidem! clariſſima
Occidit & tumuli carcere clauſa latet. (virtus
Occidit Arctoi lux fulgentiſſima regni,
Ille manus Regis deliciumque ſui,
Ille decus patriæ, ſolamen honorque ſuorum,
Et deſiderii ſpes quoque magna mei.
Occidit & lacrymas nobis luctumque reliquit,
Nec licet hunc lacrymis nec revocare prece.
I nunc qui magno pulchri ſucceſus amore
Non interrupto tendis ad alta gradu.
Virtutis graſſare via, cape culmen honoris,
Quoque voles meritis ingenioque veni.
Quo tamen hæc? ſi nos nullo diſcrimine Parcæ
Serius aut citius ſub ſua ſigna vocant.
Crudeles Divæ! THEODORO parcere ſaltem
Debuit, illæſo ſtamine, veſtra manus.
Serius hunc rapitis? vobis iraſcitur orbis
Non minus & veniam noſtra Thalia negat.
Nil eſt quod canos annoſque oſtenditis; annos
Neſtoris hunc decuit vivere: Neſtor erat.
Sed laudum vitæque ſatur mortalia ſpernis
LENTE, nec heu! gemitus votaque noſtra probas.
Jam ſordet tibi terra, tenes jam ſidera, ſolum
Hoc tua ſe dignum gloria culmen habet.
Vive tibi, vir magne, loco quo vivere gaudes,
In ſobole hic Nobis vivere perge tua.

57. IN ARTEM ARGUTIARUM J. MASENII.

Antè quod ingenii fuerat ſolius, in artem
Cogitur, ingenii nec minus artis ope.

58. DUO IN CARNE UNA.

Uxor amans & Vir caro fiunt unica, monſtrum
Quale! Vir uxores ſin amet, illa viros.

59. IN AULUM MENDACEM.

Cum fatuis pueri dicuntur dicere verum,
Nec fatuus dici nec puer Aulus amat.

60. IN CHRYSALUM AVARUM.

Secula Mathuſalam plusquam vixiſſe novena
Cum legeret nuper Chryſalus, ingemuit;
Et ſecum: pulchrum ne, Virum vixiſſe tot annos?
Si ſapuit quantas accumulavit opes!

61. IN FABULLUM.

Qui ſcribit, inquis, verſus quem facit malè!
Tu nil, Fabulle, ſcribis, & facis bene.

62. IN ANOLBUM POETAM.

Funera, natales, connubia, feſta, calendæ
Sunt ſeges & Muſæ meſſis, Anolbe, tuæ.
Et licet invita ſcribas plerumque Minerva,
Et legat hæc rarus carmina, nemo petat.
Tu tamen invitas invitas undique Muſas,
Adverſus Muſis diſſimiliſque tuis:
Hæ, licet uſque voces tamen uſque venire recuſant;
Tu facilis, quamvis nemo vocavit, ades.

63. IN EUNDEM.

Semper repletus ſcribis jejunè tamen,
Madidúſque vinis aridè.

AD LABIENUM EX EADEM SOCIETATE. 64.

Seu nova ſe Paphiâ produnt connubia myrto;
Cupreſſus mœſtas ſive ſtat ante fores,
Seu prolem bona luce novam Lucina beavit;
Semper ades ſemper vota, Poëta, facis:
Progeniem thalamis, defunctis gaudia cœli,
Mille recens natis ſecla dieſque voves.
At paucis tua vota ſolent obtruſa placere:
Nempe ſciunt voveas quid, Labiene, tibi.

VITA HUMANA. 65.

Tam facile eſt natum & vix natum poſſe perire,
Quàm facile efficies ex *oritur moritur*.

AD VIRUM LAUDATISSIMUM. 66.

Si magnæ me laudis amor, Vir magne, teneret,
Optarem laudes dicere poſſe tuas.
Si tibi te dignas ego poſſem dicere laudes,
Quæ poſſet laudes dicere lingua meas?

AD CLARISSIMUM VIRUM 67.
M. GEORGIUM HILARIUM
QUONDAM SCHOLAE HAFN. RECTOREM, PROF. PUBL.

Pierios colles celebrataque vatibus antra
Barbaries tumulis obruit alta ſuis.
Phœbus & Aoniæ quid ſunt niſi fama ſorores?
Ora Poëtarum qui rigat amnis ubi eſt?
Non ego Parnaſſi Dominum non flumina vidi,
Bellerophontæi quæ dedit unguis equi.
Te vidi pendenſque tuo tener ore, GEORGI,
Caſtalio flumen dulcius amne bibi.
Se debet mea Muſa tibi, tu noſter Apollo
Ingenio faveas ingenioſe meo.

Nec

Nec dubites gratam quovis tibi tempore Muſam
Nec dubitet gratam ſe mea Muſa tibi.

68. TYPOGRAPHIA.

Luce beo multos; doctorum ſcripta Virorum
Cum potuere premi, non potuere premi.

69. BIBULI EPITAPHIUM.

Nec lacrymas, ſocii, noſtris aſpergite buſtis,
Sed potius grati fundite dona meri;
Nec mihi tellurem molleſmque optate levemque,
Qui vivus terræ non niſi pondus eram.

70. IN LIBURNICUM ET FESTUM.

Vir audire bonus non eſſe, Liburnice, quæris,
Non audire cupis, Feſte, ſed eſſe malus.

71. IN PONTICUM LUSCUM
LUSCAE UXORIS MARITUM.

Luſcus es & luſcam duxiſti, Pontice, Gallam;
Gaudet & ipſa viro nubere Galla pari.
Cæcus amor vos hoc conjunxit fœdere; regnum
Jam luſcos inter, Pontice, cæcus habet.

72. IN MARCULUM.

Omnes ſollicite cuſtodit Marculus arcas,
Neglectaque vetat poſſe patere ſera.
Cogitur ire foras, ſervatis clavibus exit.
Quid metuit? ne quis cernat ineſſe nihil.

73. IN COTTAM MILITEM.

Una Aſini Samſon maxilla perculit hoſtem;
Tu fugis, & tales ſunt tibi, Cotta, duæ.

74. AD PRISCUM CALVUM.

Plura ego commiſi quam geſto vertice crines
Crimine, tu vere dicere, Priſcè, potes.

DI-

DIVITIÆ [illegible] DII VITÆ. 75.

Ad Chryſalum Avarum.

Divitiis dum vivis eges, dum vivis abundas. 1
Quam tecum moriens omnia ferre velis!
Fallere, divitiæ tibi *Dii* ſunt, Chryſale, *vitæ*,
Nullus erit tecum, cum moriere, DEUS.

AD HERMUM. 76.

Quæ ſanus retices cum potus es, Herme, fateris;
In vino verum quis dubitare neget?
Ut verum excutiat Logice, rationibus uti
Cogitur, hic potu [illegible] ratione patet.

NOVA ROMA. 77.

Obtinet antiquum Diviſque anguſtat Olympum
Perdere Roma homines ſueta, creare Deos.

IN CORBULONEM JUDICEM. 78.

Corbulo nil cuiquam juſti feciſſe videtur;
Juſtitiæ Judex Corbulo juſta facit.

FIDES. 79.

Ad Linum Mercatorem.

Nulla fides fidei veſtræ, Line, debet haberi,
Dum calet in vobis nullus amoris amor.

IN UXOREM POETI CHEMIÆ STUDIOSAM. 80.

Uxor docta tibi eſt ſed non & gnara culinæ:
Nil niſi ſal, ſulphur, mercuriuſque crepat.
Hæc tria corporibus confirmat in omnibus eſſe;
Sal tamen huic ipſi ſæpe ciboque deeſt.

CALCULUS ALEATORIUS. 81.

Qualiſcunque ego ſim refert nihil, albus an ater;
Sit bonus in pugna Dux mihi, victor ero.

82.

82. PRÆCONIUM VENALE.

Defunctos laudare ſolet ſacra concio cives,
Et puto permultos ſpes facit iſta probos.
Sed bona facta tuba Chriſtus vulgare vetabat; ‡
Voxque ſacerdotis dicitur eſſe tuba. *
‡ *Matth.* 6. v. 2. * *Eſai.* 58. v. 1.

83. PRODIGUS ET AVARUS.

Prodigus eſt auri Dominus ſed ſervus avarus;
Crudeles Domini, ſervus uterque miſer.

84. MOMI CIVILITAS.

Quis velit ingrata ſibi lido dape carpere? ſolus
Quod ſibi diſplicuit carpere Momus amat.

85. NOA NATUS.

Cum Noa vitales primum prodiret in auras,
Solamen terris hic, pater inquit, erit.
Vera pater dixit, ſolatia protulit orbi,
Grataque ſollicitis munera, dulce merum.

86. AD AVARUM.

Si quod centenis ſervas ſub clavibus aurum
Poſſideas, multo ditior eſſe queas.
Nunc vice converſa proprium te poſſidet aurum;
At nihilo eſt aurum ditius inde tuum.

87. CONSCIENTIA
TOTUM TRIBUNAL.

Teſtis es & Judex, actor, tortorque malorum
Conſcia noſtrorum mens, adeoque rea.

88. IN DOMUM QUANDAM.

Hæc illa hæc domus eſt ubi quondam ſerviit Ar-
Et pene innumeras accumulavit opes. (cas,

IN CLERICOS PONTIFICIOS CONJUGII OSORES. 89.

Odiſtis liciti faces amoris,
Inſonteſque toros Deo probatos
Immiti laceratis ore, caſtum
Auſi connubium negare clero.
At vitæ otia deſidis toroſque
Laudatis ſteriles, nihilque majus
Nil præſtantius eſſe caſtiuſque
Lecto cœlibe creditis, nihilque
Quod cœlo placeat magis Deoque.
Hoc nos credere vultis? O inepti!
Conſultum melius fuiſſet orbi,
Si qui vos genuere credidiſſent.

AD MONACHUM. 90.

Cur Sacramento tædæ prohibere jugalis?
An quoniam porcis credere ſacra nefas?

AD PONTILIANUM CANDESCENTEM. 91.

Jam fuſcum vetat eſſe, candidaſque
Spargit temporibus nives ſenectus.
Quid velint ſibi diſce, teque crede
Mortis, Pontiliane, candidatum.

AD AMICUM QUENDAM. 92.

Quem ſemper reperi toto mihi pectore fidum,
Non mihi te fidum credo, quid ergo? ſcio.

IN TYRANNOS. 93.

Humanus merito metuit vos ſanguis & odit,
Nam vos humani ſanguinis urit amor.

AD DAMIANUM. 94.

Qui, Damiane, tuas pro te res curet agatque,
Cæcilium aſſidue quotidieque mones.

Si ſaperes operæ poſſes & parcere verbis;
Nam longè melius muta moneta monet.

95. AD RUFFUM POETAM.

Carmina ſemper erunt non quæ ſed qualia ſcri-
Semper enim ſcribi talia, Ruffe, ſolent. (bis,

96. AD BATTUM ORATOREM INFINITUM.

Si venit à fando (memini te dicere) fatum:
Jam poterat fatum, Batte, venire tuum.

97. AD PONTICUM DE MARCO.

Sexagena mihi debebat Marcus amicus,
Exigo, vix tandem ſolvit & hoſtis abit.
Pontice quid? Marcus qualis tibi quæſo videtur?
Cum bonus anne malus? cum malus anne bonus?

98. DIDO.

Qui potuit noſtri maculare pudoris honorem,
Non fuit Æneas ille, quis ergo? Maro.

99. PAULUS ET PETRUS.

Paulus habet gladium, Petrus cimelia; Pauli
Quam male, Petre, tuas protegit enſis opes.

100. HOMO.

Nil niſi per magnum [illegible] laborem;
Abſque meo ſeſe vita labore dedit.

101. MUTII SCÆVOLÆ FACTUM.

Mutius, obſeſſos ut liberet hoſte penates,
Audet in hoſtiles cominus ire globos.
Dum Regem petit enſe, perit pro Rege ſatelles;
Sed dolet [illegible] [illegible]que ſuum:
Ignibus impoſitam mediis hinc Mutius, inde
Rex videt, hic viſa pallidus, ille minax.

Ergo

Ergo virum flammis Princeps terroribus urbem
Solvit & admiſſo fœdere caſtra movet.
Scævola quo flagrat Rex vincitur igne, manuſque
Integra quem nequiit, debilitata fugat.

CLÆLIÆ FACINUS. 102.

Maſcula pro Românâ dum Clælia mittitur obſes,
Virgo inter ſocios Clælia prima greges.
Invidit generoſa viris, Romanaque virtus
Cur, ait, in ſexu nil agat illa meo?
Non patriæ ſolus laudabere Scævola, robur
Flamma tui exploret pectoris, unda mei.
Dixit & ad patrios ſocio natat agmine muros,
Qua Pater undantes Tibris agebat aquas.
Obſtupuit nimiis trepidus virtutibus hoſtis,
Et placidæ largus pacis amicus abit.
Parcite, Romani, veſtras extollere pugnas,
Plus fuga Romanæ quod ſtupeamus habet.

DE HORATIO COCLITE. 103.

Roma vides? à monte tibi gravis imminet hoſtis,
Et jam jamque tuos ſubruet ille lares.
Qua veniat vexilla viam fugientia monſtrant.
Si ſapis ah plures mittito, Roma, viros.
Roma peris, non ſufficiunt quæ millia mittis,
Ne pereas unum mittito, Roma, virum.

ALIUD. 104.

Declives jam pronus equos laxabat Hetruſcus,
Jam nunc ſublicio certus & urbe frui.
Terretur numero cuſtos, urbemque petendo
Deſerit, & ſubita projicit arma fuga.
Solus in extrema ſe pontis Horatius ora
Siſtit, & innumeras ſuſtinet enſe manus.
Suſtinet hoſtilemque inhibet ſufflamine curſum,
Dum videat ruptam poſt ſua terga viam.

Tunc, ut erat, neq; ſcuta manu neq; fræna remit-
Ad patrium patrio flumine littus abit. (tens
Hac iter eſt virtutis, ait; via commoda magnam
Hac patet ad laudem, qua via nulla patet.

105. ALEXANDRI MACEDONIS MORS.

Invictus gladiis cadit ebrietate. Tyrannus
Uſque adeo ſicca morte perire nequit.

106. IN RUSTICUM FURACEM.

Furcifer es furcamque geris furcamque mereris,
O utinam tandem te quoque furca ferat.

107. IN TRES LINI FILIOS.

Nondum Avus Linus eſt, quod hercle miror;
Tres natos totidemque habet nepotes.

108. ATTÆ PEREGRINATIO.

Stultus abit patria ſtultuſque revertitur Atta;
Non ſecus ac ſus Sus ante retroque manet.

109. AMICITIA INTER PAUCIORES FIRMIOR.

Major amor paucos inter flagrabit amicos;
Quo plus materiæ hic hoc minor ignis erit.

110 AD SUPERSTITIOSUM BREVITATIS AMATOREM.

Carmina longa tibi, quamvis bona, nulla proban-
Sola tibi brevitas ingenioſa placet. (tur,
Et merito, fateor; multis placet iſta mihique
Nam quid habet brevitas ingenioſa? ſalem.
In cœnis ſal multa quidem, non omnia præſtat,
Quid ſal abſque cibo? quod cibus abſque ſale?

111. IN MAUSOLUM.

Notus es at ſolo notus, Mauſole, ſepulchro;
Vita tibi ex ipſo naſcitur ipſa rogo.

LUTETIA PARHISIORUM 112.

Vulgo PARIS *ἀνάγρ.* RAPIS.

Urbs orbis communis amor; quodcunque bonorum
Tota Europa tenet, tu rapis una Paris.
Urbs orbis commune malum; quodcunque novorum
Inficiat mundum, tu paris una Paris.

AD PAMPHILUM EX PRODIGO EGENUM. 113.

Jam tuus exhauſit juvenilia tempora luxus,
Cumque tuo abſumſit tempore luxus opes.
Nunc o tempus, ais, Deus & mihi redderet aurum,
Uterer ah! melius. Pamphile ſero ſapis.
Reſtat ut ad Chryalum * properes; quod commodet autum,
Quodque tibi vendat fœnore tempus habet.

* *Foeneratorem.*

IN HISTORIAM NATURALEM PLINII. 114.

Quis putet in rerum natura exiſtere, rerum
In quo natura clauſa ſit ipſa, librum?

LAUREA. 115.

Emeritis pretium ſit laurea vatibus. hoc eſt
Quod memorant: ſilvas carmina docta trahunt.

HIPPOCRENE. 116.

Ecquid in ungue latet? ſcripturi rodimus ungues,
Quique aperit fontem vatibus, ungulis erat.

AD MACHIAVELLUM. 117.

Inter Philoſophos docere nemo
Succeſſu meliore te videtur;

Quos tu diſcipulos, Hetruſce, formas,
Hi ſoli fere mavolunt, Magiſter
Quales expetit eſſe quàm videri.

118. AD CHÆRILUM.

Nobis ſcripta legenda quæ dediſti
An prælo rear imprimenda quæris?
De prælo dubito, premi merentur.

119. AD CLERICOS ROMANENSES.

Fœdera condemnant veſtri ſocialia libri;
Mirus in his ſpirat virginitatis honor.
Illos nemo leget thalami quin damnet amorem,
Perpetuaque velit virginitate frui.
Ipſos præcipue qui vos genuere parentes
Hoc movet, hos ſobolem progenuiſſe pudet.

120. AD QUENDAM EX IISDEM VITAE CAELIBIS LAUDATOREM.

Dum tua ſcripta docent: *melius nil cælibe vita*,
Nonne tuum damnant hæc tua ſcripta Pa-
De pietate tua melius ſperare volemus: (trem?
Et potuit cælebs te generaſſe Pater.

121. EPIGRAMMA.

Unum epigramma bonum facilis conſcribere res
Marcus ait, libros ſcribere difficile. (eſt
Nunc epigramma bonum quam multis Vatibus u-
Difficile eſt, libros ſcribere perfacile? (num

122. IN HERMUM CRITICUM AVARUM.

Dictum nobile cognitumque vulgo
Circumfertur: *Amicus uſque ad aras.*
Sic & non aliter legunt recentum
Exemplaria, ſic vetuſtiores
Membranæque Librique Codiceſque.
At contra veteres novoſque, contra
Exemplaria, codices, libellos

Impreſſoſque typis manuque ſcriptos
Legendum putat Hermus: *uſque ad artas.*

HOMINIS EPITAPHIUM. 123.

Quod jacet hic hominẽ dum vixit jure vocabas,
Non jacet hâc terra nunc homo, terra jacet.

FAMA FOEMINARUM. 124.

Penelopæa licet tantâ celeberrima famâ
Non omni caruit ſuſpicione fides.
Ipſe pudicitiæ Maro labem aſperſit Eliſæ,
Cui malè notitiam non mala fama dedit.
Ne nimium famæ, mulier, placuiſſe labora:
Fama ſatis laudat te tua; quando tacet.

EBRIETATIS APOLOGIA. 125.

Cur homines brutis ſimiles ego reddere dicor?
Plus quam quod ſatis eſt bellua nulla bibit.

DE CONSTANTE ET POMPONIO. 126.

Ille tenax recti Conſtans animique modeſti
Ne tumidus fiat, γνῶθι σεαυτὸν ait.
Captus amore ſui Pomponius iſte ſuperbus
Ne ſibi vileſcat, γνῶθι σεαυτὸν ait.

DE RAMIA AD PICTOREM. 127.

Se cupit in tabula deformis Ramia pingas;
Si Ramiam benè vis pingere, pinge malè.

AD SUPERBUM. 128.

Quam tanti facis & toties circumſpicis, umbra
Non indignaris quod tua ſerpat humi?

AD PONTIAM JOCUS. 129.

Zelotypus meus eſt ſine cauſâ Pontius, inquis;
Quod cauſam haud habeat, Pontia, culpa tua eſt.

IN FOEDIFRAGOS. 130.

Cum lubet abjectis pacem componitis haſtis,
Cum lubet infeſta ſtringitis arma manu.

Mox ubi damnoſi redierunt tædia belli,
  Dum redeant pacis, pax ineunda placet.
Non pacem facitis ſed paces, bellica ſemet,
  Pax timet & numero fit minor ipſa ſuo.
Quis putet? ipſa boni damnoſa eſt copia, paxque
  Rarior hoc quo jam ſæpius illa datur.

131. IN CLEPSAMMIUM.

Quid ſit vita doces vitæ pereuntis imago:
  Exhauſto vitæ pulvere pulvis ero.

132. AMICITIA INTER PAUCIORES FIRMIOR.

Vinculum amicitia eſt, telorum faſcis amici;
  Hos, veluti faſcem vincula, ſtringit amor.
At vero paucos quam plures ſæpius idem
  Ambit amor; paucos firmius ergo ligat.

133. MORS ULTIMA LINEA. AD PYRAMUM ET THISBEN.

Dum tandem ad fructum longi properatis amoris,
  Mors vota veſtra diſcidit,
An magis implevit? dum morte probatis amorem.
  Extrema amatis linea.

134. DE AMORE SUO.

Prima Roſilla ſuis miſerum me cepit ocellis;
  Non oculis captum me tamen eſſe puto.

135. AD ROSILLAM.

Uror & Idaliæ torrent mea viſcera flammæ,
  Adde tuas flammas jam recreatus ero.
Sentio vincla, tui teneor captivus amore;
  Addito connubii vincula, liber ero.

136. AD PRODIGUM.

Quod mihi tu donas non debeo, prodige, munus;
  Hoc a more tuo, non ab amore venit.

IN

IN ACERRAM AVARUM. 137.

Qui petet accipiet Jacobus Apoſtolus inquit.
Quicunque accipiet, dicit Acerra, petet.

AD PRISCUM. 138.

Nullius cibi homo, multorum, Priſce, jocorũ es.
Eſſe quidem tecum, non tamen eſſe velim.

AMICUS ἀνάλ. MUSICA. 139.

Impariter par eſt, ut Muſica, fidus amicus:
Hujus vox etiam diſſona ſæpe juvat.
Qui bonus eſt, ſonitu mecum non ſemper eodem,
Sed ſemper ſimili conſonat ille fide.

IN DUOS SPADONES CANTORES. 140.

Garrit in auriculam cantori cantor, at alter
Non opus eſt, inquit, nam ſine teſte ſumus.

AD INEPTUM SCRIPTOREM 141.
CONSILIUM.

Ne tua ſuſtineat quis ſpernere carmina, libris
Præfige, AD MOMUM, diſticha pauca tuis.

PORCUS ET PARCUS. 142.

Currit, arat, pugnat; fert pondera noſque caballus;
Mellificatis apes, vellera fertis oves.
Ampla revertentes implent mulctralia vaccæ,
Ubera plena domum grata capella refert.
Bos arat, ova parit Gallina, at pervigil anſer
Scribit, habent cervi cornua, carmen aves.
At ſus vivit iners ſimiliſque eſt ſolus avaro.
Ille ſui ſimilis: nil juvat ante necem.

DE MODO 143.
AD GRAMMATICUM.

Quid modus eſt? apto rem claudens tempore finis;
Infinitivum quis putet eſſe modum?

144. AD ATTALUM.

Attale, quid natam dubitas agnoſcere prolem?
Menſe tibi quarto quam nova nupta parit.
Ne dubita, tuus eſſe poteſt, me judice, fructus,
Quem tuus alterius ſemine gignit ager.

Omnis fructus non jure ſeminus ſed jure ſoli percipitur.
Julianus. l. 25. ff. de uſuris.

145. IN LINUM DISCIPULUM INGRATISSIMUM.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Et vulgi rudis eximunt tenebris:
Linguas, ſacra, ſcientias & artes
Phileno didicit Linus Magiſtro,
Sed turpes imitatus cuculos,
Et tantum facere ac loqui, Phileno;
Vitam quæ faciunt acerbiorem;
Hoc Lino didicit Linus Magiſtro.

146. IN PHEBILUM.

Deſertor ille literarum Phebilus
Tam tarda queſtus literarum præmia,
Ferulæ manum jam liberam ſubduxerat.
Et mox initiatus ſacris Laverniis
Arti ſtudebat iſti, quæ cultoribus
Labore in ipſo dat laboris præmium.
Sed ſtudia cruda cum novus fur & minus
Matura cœpit in forum propellere,
Deprenſus in foro & notatus ſtigmate
Invitus en rudiſque literatus eſt.

147. AD LECTOREM.

Si non tota placent mea carmina, ſufficit illud,
Si mea vel ſolo carmina fine placent.

LIBRI SECUNDI FINIS.

HEN-

HENRICI HARDERI EPIGRAMMATUM LIBER TERTIUS.

Ad Periluſtrem & Magnificum Heroem 1.

FRIDERICUM COMITEM AB AHLFELD,

Magnum Regni Cancellarium.
&c. &c. &c.

Libabant veteres Bromio nova vina Lyæo.
  Gaudebat primis meſſibus alma Ceres.
Palladios flavæ latices offerre Minervæ
  Mos erat, exuvias, Mars animoſe, tibi.
Pomonæ pomis fiebat, carmine Phœbo.
  Carmina cui libem, Tu mihi Phœbus eris.

IN LAUDEM JULII MAZARINI. 2.

Sublime pectus illud, & cœli capax
Exemplar illud unicum Prudentiæ,
Illam columnam Galliarum Julium
Laudare nuper docta Muſarum cohors
In rupe ſacra Phœbo cœpit Judice.
Certatur undiquaque, quænam nominis
Toto orbe noti dignius laudes canat.
At nil Thalia, Clio nil, Erato nihil
Artis nec oris, nil habet Polymnia;
Nil denique omnis iſte ter trium chorus,
Quin omne tantis ſentiant meritis minus.
Tum Phœbus alios, inquit, ad veſtras, Deæ,
Vocate laudes, gravius hoc veſtris onus
Humeris quieſcat; non eget præconio,
Qui major unus omnium præconio eſt,
Ipſi prope comparandus AHLEFELDIO.

3. AD PHOEBUM.

Phœbe, Pater Vatum: cujus defecta favore
Mens hebet, ingenii nil bene gignit ager:
Qui Sol in cœlis, in terris diceris aurum,
Si mihi tu faveas ingenioſus ero.

4. HAFFNIA MUNITA.

Cum male firmatis premeret te mœnibus hoſtis,
Sola tibi Virtus tunc tua murus erat.
Jam tibi jam firmi ſurgunt munimina muri,
Quæ ſuperare manu nemo, nec ipſa queas.

5. AD M. VAL. MARTIALEM.

Nec mage corrupto potuiſſes tempore naſci,
Nec mage corrupto tempore digna loqui.

6. IN LUCII MERCATORIS NUPTIAS.

Prodiga, vana, levis, Luci, tibi ducitur uxor.
Speras tamen diteſcere.
Hæc tibi, crede mihi, non cornu copiæ, amice,
Sed copiam fert cornuum.

7. AMICI ETYMON.

Hic tibi amicus erit, nudo cui tradis amictum.
Non bene ſub gelido pectore fervet amor.
Frigidulus ſi quis foveatur veſtibus, ille
Ejus amore calet, cujus amore calet.

8. AURUM.

Jupiter, ut perhibent, quondam mutatus in aurum eſt.
Nunc quoque neſcio quid Numinis illud habet.

9. AD DUOS RIVALES.

Hoc, quod amicitiam dixit quis neſcio firmam,
Diſſidii vobis maxima cauſa fuit:
Phyllida Daphnis amat, tu Phyllida, Tityre: vobis
Non bene convenit, dum voluiſtis idem.

SCALA HONORIS. 10.

Ad ſummos vacuus vix enitetur honores; (ve.
Tendere nunc ſurſum cernimus omne gra-

IN CHÆRILUM POETAM. 11.

Effertur Feſti conjux, epicedia ſcribit
Chærilus & Feſtum præmia digna rogat.
Nil dabo, Feſtus ait, ſed mortem, Chærile, malim
Officio ſimili concelebrare tuam.

ECCLESIÆ ROMANÆ AUTHORITAS. 12.

Per quam firmatur Romana Eccleſia firmat
Scripturam; matris filia facta parens.

DE FORMA ET MORIBUS ROSILLÆ. 13.

Nempe quis objiciet magni mihi crimen amoris;
Talia qui Dominæ viderit ora meæ?
Lumina ſideribus certant & colla liguſtris;
Certant purpureis labra genæque roſis.
Pectora marmoribus, fulvo coma concolor auro;
Denique quid memorem ſingula? tota placet.
Tota placet Roſſilla mihi formoſa decenſque;
Quodque magis placeat, non placet ipſa ſibi.

ROSILLA. ROS ILLA. 14.

Ros eſt illa quidem ſed frigore nempe gelatus;
Quis putet hoc flammas creſcere rore meas?
Quam bene jungemur! noſtro ros igne liqueſcet,
Et ſimul ardorem leniet iſte meum.

AD ROSILLAM INEXORABILEM. 15.

Ut labor atque labos, ut idem ſunt arbor & ar-
Sic cor eſſe tuum cos, mea vita, poteſt. (bos,

IN IMAGINEM ROSILLÆ. 16.

Sic ars ſic noſtram fecit natura Roſillam;
Sic frons, ſic oculi, labra, genæque nitent;

Me miſerum quod non tam blandos æquat ocellos
Mente, nec hac forma pectora digna gerit.
Si manus in duro hanc ſic poneret ære Myronis,
Non foret effigies, ipſa Roſilla foret.

17. *IN SUAM IMAGINEM.*

En tibi me pictum, ſi ſculptum poſcis in ære,
Inſculpas cordi me præcor ipſa tuo.

18. *MORTIS INGENIUM.*

Sæpe vocat mortem, vivit tamen uſque Merimnus.
Aulus amans vitæ fata ſuprema ſubit.
Quam ſimilis noſtris mors eſt perverſa puellis!
Seu fugias, ſequitur; ſive ſequare, fugit!

19. *AD MORENIUM.*

Qui te luce ſacra ſolet exercere Moreni,
Improbus eſt, vincit nil tamen iſte labor.

20. *DE BIBULO FEBRICITANTE.*

Febre laborabat Bibulus Medicoſque videbat
De propulſanda curam agitare ſiti.
Vos, ait, infeſtam noſtro de corpore febrim,
Propulſate, ſitim quid fuget ipſe ſcio.

21. *AD LECTOREM.*

Si bona jungo malis laudem mihi candide Lector
Debebis, veniam ſi mala jungo bonis.
Hæc mala ſunt iſthæc paulo meliora, quid inde?
Si bona cuncta forent, non meliora forent.

22. *AD AMICUM FATUO AMORIS IGNE CORREPTUM.*

Neglige Vulcanum; tecum domus igne peribit,
Urit amor pectus, neglige, ſalvus eris.

23. *IN LENTULUM POETAM.*

Lentulus averſo componit carmina Phœbo,
Et trahit invitas ex Helicone Deas.

O me-

O medici, mediam miſero pertundite venam,
Nam quæ vena fluit vatibus illa deeſt.

OCCASIO. 24.

AD ANOLBUM CALVUM.

Non tibi defuerat peccandi Occaſio, nec tu
Illi defueras; eſtis, Anolbe, pares.

AD PRISCUM SENEM. 25.

Eſſe quid hoc dicam laute, quod more juventæ
Spargis odorato pulvere, Priſce, comas?
Res mira & nova res canis ſimulare juventam!
Te canum, canus ne videare, facis.

VULCANUS IN CORNU. 26.

Tanta ferox fecit Vulcano cornua Mavors,
Cornibus includi poſſit ut ipſe ſuis.

AVARI CUJUSDAM 27.

EPITAPHIUM.

Hic ſitus eſt, qui cum per pharmaca vivere poſ-
Parceret ut nummis; maluit ipſe mori. (ſet:
Nunc reor optaret vitam, ſi ſcire liceret
Impenſas tantas funeris eſſe ſui.

AD AMICUM QUENDAM AD 28.

ROMANA SACRA TRANSEUNTEM.

Nunc mihi poſt nullos olim dilecte ſodales,
Quo mihi non toto carior orbe fuit:
Fœdus amicitiæ diſſolvo denique noſtræ,
Hanc habeat metam denique noſter amor.
Sed neque fallo fidem; dixi, Babylonius amnis
Cum fluet in Tibrim, finis amoris erit.
Factum eſt: Auſonii Euphrates ſe miſcuit undis
Tibris, & eſt Babylon Roma quod antè fuit.

29. MERCATORIS CUJUSDAM EPITAPHIUM.

Creditor ignoſcat; cedò mundoque foroque,
Non niſi naturæ debita ſolvo meæ.

30. DIVES MORIENS.

Omnia rellinquo, fortunæ rebus abundans
Et nullo obſtrictus nomine cedo bonis.

31. AD CÆCILIANUM.

An conſtare putem cunctos tibi neſcio ſenſus,
Hoc ſcio, non audis, Cœciliane, bene.

32. AD HARPALUM FUREM.

Quam tibi naturam furti malus indidit uſus
Expellat furca lictor, non, credo, recurret.

33. IN LUCILIUM.

Oſtendiſſe novas antiquis vatibus undas
Bellerophontæi dicitur unguis equi.
Hic proprios rodit, cum verſum parturit, ungues.
Vix Aganippæas hic dabit unguis aquas.

34. INFELIX EX FELICE.

In ſola conſtans ſors eſt levitate, ſed eheu!
Quam fuit hac nobis in levitate gravis?

35. FELIX EX INFELICE.

Spes mutata metu eſt; bona ſpes non fallit, at ipſum
Dum modo me pergat fallere, malo metum.

36. AD MATHONEM.

Stultos eſſe, Matho, putas Poetas:
Ten' cenſere ita poſſe de Poetis?
Qui ſtultus, Matho, nec tamen Poeta es?

AD

AD PONTICUM PHILAUTUM. 37.

Qui tibi tam turpi tibi te ſubmittis inepto, (mes.
Credere non poſſum, Pontice, te quod a-

LESBIÆ EPITAPHIUM. 38.

Hoc tegitur tumulo tandemque ſupina quieſcit
Lesbia, cui motu nil prius ante fuit.
Tellurem huic facilem juvenes optate levemque,
Semper enim facilis vita leviſque fuit.

AD MACHIAVELLUM. 39.

Scriptores laudantur ab his, culpantur ab illis,
Non habet hoc in te, Machiavelle, locum.
Te culpat quicunque probat, quas diſſeris, artes
Diſcere, Doctorem diſſimulare, juvat.
Si laudem ſcriptis quæſiſti, falleris; horum
Laudator rarus, multus Amator erit.

AD EUNDEM. 40.

Non tu ſolus eras, illas qui noſceret artes,
Sed qui vulgaret tam benè primus eras.
Quod tu vulgaſti dudum placet atque placebit;
Sed quòd vulgaſti diſplicuiſſe poteſt.

AD COTTAM. 41.

Pauper eras nuper, diti jam Conjuge gaudes;
Hæc tibi ducta animos divitiaſque dedit.
Jamque ſuperbus opes jactas & cornua tollis,
Nemo niſi conjux hæc tibi, Cotta, dedit.

LACRYMÆ AMANTUM. 42.

Gaudet amor lacrymas ſimilem ſibi gignere prolem:
Ex oculo in pectus hæ, velut ille, cadunt.

IN AULUM. 43

Res tibi cuɔta domi eſt, aliorum fercula captas,
Quodque domi non eſt te fugat, Aule, domo.

43. *IN EUNDEM.*

Quod nemo ſocium te domi viſit tuæ,
Humanitas eſt, Aule, non ſuperbia.

44. *AD PONTIFICIOS.*

Ungitis in ſtygio torrendos igne; quid hoc eſt?
Oleumne flammis addere?

45. *ALIQUID EX NIHILO.*

AD NAEVOLUM.

Nobilitas nihil eſt, aliquid tua propria virtus.
Sic aliquid numerus, Nævole, ciphra nihil.
Junge ciphram numero, decies geminabitur ille.
Virtuti adde genus nobile, major erit.

46. *IN LABIENUM SUBITO DITESCENTEM.*

Dives es, agnoſco Labiene, ex paupere Dives;
Imo ex pauperibus dives es innumeris.

47. *CHIROMANTIA.*

Ingenium, mores, virtutes, crimina, fata
Manus docere prædicant.
E manibus Virtus, niſi Martia, nulla videtur
Et ſola liberalitas.

48. *IN FLORAM.*

An ſiet argento tempus venale vel auro
Neſcio; ſed noctes vendere Flora ſolet.

49. *DE HERMO ET PHYLLIDE*

NOVIS CONJUGIBUS.

Et prodeſſe ſolent & delectare mariti:
Phyllis, cum thalamos ingrederetur, ait.
Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.
Phyllida dum miſere verberat, Hermus ait.

IN ACERRAM. 50.

Gratus, Acerra, tibi eſt quiſquis cum munere venit;
Sed ſolet exoſus parcus abire cliens.
Latronis latro eſt fur furis amicus; avarum
Nemo hominum prorſus ſed nec avarus amat.

EPIGRAMMATICI. 51.

Nos quoties nihil eſt quod agamus, carpere pravos
Aggredimur mores, ſic quoque nil agimus.

AD AMICUM QUONDAM. 52.

Hei mihi quis nunc es? quantum mutatus ab illo
Tempore, quod fato junxit utrumque pari?
Quo toties jurata fides candorque receſſit?
Quo deſiderium fugit amorque mei?
Jamne ferox a ſorte favente ſuperbia creſcit?
Et veterem ſenſim ſpernit amicitiam?
Fortunæ ne fide precor: per munera fallit.
Unaque diſtribuit, ſurripit una manus.
Quos tribuit titulos nimio tibi vendidit: hos tu
Redde Deæ, mentem reddat ut illa tibi.

VIRTUS. 53.

Ipſa ſibi eſt Virtus pretium & pulcherrima merces;
Hinc alio virtus munere, credo, caret.

AD ZOILUM. 54.

Carmina cur ſolus mala tu mea, Zoile, dicis?
Non mea te dicunt carmina ſola malum.

PATIENTIA VICTRIX. 55.

EMBLEMATICUM.

Irritata diu patientia denique pugnat,
Et victrix quoties denique pugnat, abit,
Bella movent aquilæ cygnis; confidite cygni:
Hoc genus armigerum deſiit eſſe Jovis.

Sur-

Surge obverte animos & robur, Apollinis ales.
Si qua fides, Aquilam ſæpe triumphat olor.

Cygni ipſi non incipiunt pugnam ſed & aquilam ſi inceperit defendentes ſe vincunt. Ariſtot.

56. DIONYSIUS CORINTHI.

Rex olim regni dejectus ſorte puellis
Imperat: imperii quam male cedit amor!

57. FAMA MULIERUM.

Fœmina laudantis præconia quærere famæ
Parce, juvat ſolos fama decetque Viros.
Ut bona ſit caſtis nocet innoteſcere fama;
Implevit lenæ ſæpius illa vicem.
Fama igitur caſtæ quæ conjugis optima? nulla,
Eſſe velut conjux optima nulla ſolet.

58. AD POLLAM SPONSAM.

Non forma ſed dote places; dedit hactenus eſſe
Forma rei; formam res tibi, Polla, dedit.

59. AD OTTONEM CHIROMANTEM.

Sola Dei manus eſt quæ nos & noſtra gubernat;
Non eſt in noſtra mors neque vita manu;
Quæ nos ergo manent cum diſcere fata laboras,
Inſpice divinam ſi potes, Otto, manum.

60. CORNELIUS ἀνάγρ. CORNU SILE.

Cornua ferre grave eſt, efferre hæc cornua pejus,
Ne clament alii, ſi ſapis ipſe ſile.

61. MUNDUM NON ESSE ÆTERNUM.

AD PERIPATETICOS.

Quod caret alterna requie durabile non eſt.
Hac requie cœlum, flumina & aſtra carent.

PRO-

PRODIGUS ET AVARUS. 62.

Prodigus inſano gaudet ſua perdere luxu;
O miſeri quorum gaudia crimen habent!
Ut corradat opes triſtis ſe torquet avarus;
Bis miſeri quorum crux quoque crimen habet.

MULIER BARBATA AMSTELODAMI ANNO 1668. 63.

Cotta in fœmineo barbam cum cerneret ore,
Naturæ iratus talia dicta dedit:
Fœmina jam rapuit vultus inſignia noſtri,
Reſtat ut hæc etiam cornua noſtra gerat.

AD JULIUM CÆSAREM PERPETUUM DICTATOREM. 64.

Ventum ad ſupremum eſt, ſed & in ſuprema poteſtas
Eſt Jovis & contra nil valet una Venus.
Solus es, imperium ſolus Romamque tenebis,
At non qui cupiet talia ſolus eris.
Parce tamen madidas Romano ſanguine lauros,
Parce triumphatos tot memorare Duces.
Invidiam laus iſta parit, non terret Olympum,
Quod poterit lauros ſpernere fulmen habet.

IN NERONEM. 65.

Sanguinis humani cupidiſſimus iſte, videtur
Sanguinis humani nil habuiſſe Nero.

IN MORTEM EJUSDEM. 66.

Se quoque poſt alios properato funere tollit;
Fecerat hoc melius deteriuſque nihil.

IN COECILIUM PHILAUTUM. 67.

Plus aliis de te quam tu tibi credere noli,
Cœcilius ſecum, cum malus audit, ait.

68. *ULTIMA TEMPORA.*

Prævalet ambitio, ceſſat dilectio; regnat
Multus honoris amor, nullus amoris honor.

69. *ANTIQUA VIRTUS.*

Ad Liburnicum.

Cura prior bonus ut fieri, Liburnice, poſſis
Sit tua, poſterior doctus ut eſſe queas.
Doctior eſt lux poſterior, docet illa priorem,
Sed prior eſt melior poſteriore dies.

70. *IN QUINTUM JUDICEM.*

Non opus eſſe reo verbis, res quando loquuntur,
Dum reus inſinuat munera; Quintus ait.

71. *TYCHONIS EPITAPHIUM.*

Exilio felix & rare nomine notus,
Hic jaceo patriæ crimen honorque meæ.
Cœlitus orta mei potior pars reddita cœlo eſt;
Fama quoque ex aſtris venit, ad aſtra redit.

72. *IN PONTILIANUM POETAM.*

Te proprio nuper laudaſti carmine, laudo;
Metiris pede te, Pontiliane, tuo.

73. ALSTEDIUS ἀνάγ. SEDULITAS.

Quæ tibi debetur monſtraſti nomine laudem;
Nam doctis ſola ſedulitate places.

74. *PRIVILEGIUM ANOLBI.*

Nuper vulgato cautum eſt diplomate, libros
Ne quis te præter vendat, Anolbe, tuos.
Quo vendi prohibentur habes diploma; quid inde?
Nunc opus eſt alio quo jubeantur emi.

75. De

DE UNCTIONE EXTREMA 75.

AD CLERICOS ROMANENSES.

Nitimini merxis, morientes ungitis artus,
Vos oleum verè perditis atque operam.

AMICITIA. 76.

AD CLARISSIMUM VIRUM

M. AURELIUM BENZONIUM

Eccleſiaſt. Tyrſtedenſem,

AMICUM INTEGERRIMUM.

Conſtantes adverſa probat fortuna ſodales,
Nulla ſatis læto tempore certa fides.
Sorte premente fides patet indubitabilis; opto
De noſtra dubites ſemper, Amice, fide.

IN ORDINEM EQUESTREM 77.

ELEPHANT.

IN DANIA.

Jam pridem in cœlis Arieſque Caperque micabant,
Bos, Leo, Centaurus, Pegaſus, Urſa, Canis.
Unus adhuc Elephas deerat digniſſimus aſtris.
Hunc quoque dum regni vult decus eſſe ſui
Elige qua cupias cœli regione micare
Quamque voles ſedem, Jupiter inquit, habe.
Emiſſis Elephas oculis infraque ſupraque
Lumina ſupremi nil moror axis, ait.
Heroum potiora mihi ſunt pectora cœlo,
Hoc tantum inferior pulchrius orbis habet,
Pro Jove CHRISTIANUM, pro ſtellis eligo Da-
Sarcina magnanimis digna futura Viris. (nos
Hic titulus Virtutis ero, neque luce carebo:
Pectora ſunt ſtellis hæc quoque clara ſuis.

ELEPHAS DANICUS. 78.

Vos quotcunque micatis inter aſtra,
Veſtro quadrupedes honore læti

Ae-

Æquo nos animo videte, noſtram
Nec nobis nimis invidete ſortem.
Dederunt bona fata quod meremur:
Vobis ſidera dent propinqua lucem.
Lucem ſideribus dediſſe noſtrum eſt.

79. *Ad illuſtrem & Magnificum Heroem*

JOHANNEM CHRISTOPHORUM A KÖRBITS,

Regni Mareſchallum, Intimum Reg. Conſ. &c. &c. &c.

Poſt exantlatos per tot jam luſtra labores,
Poſt tot geſta domi munera totque foris,
Quam bene CHRISTIANUS, KORBIZI Magne, videtur,
Te dum conſuluit, conſuluiſſe ſibi.

80. *AD GENEROSISSIMUM*

Dn. CHRISTOPHORUM LINDENOVIUM,

Regium in aula Britannica Legat. extraord. Anno 1670.

Decus Danorum floſque gentis inclytæ
Prudens diſerte Regis Interpres tui:
Dum Te ſtudentem patriæ rebus foris
Britonum moratur aula jam neceſſitas
Seu læva ſeu ſecunda nos domum trahit:
Tibique ſed non ultimum dicit vale
Tibi tuiſque debitor virtutibus
Semper futurus nec tamen nomen malum

H. H.

81. Ad

Ad Fortunam. 81.

DE GENEROSISSIMO ET VIRTUTE AC

LITERIS NOBILISSIMO

Dn. JANO ROSÆCRANTZIO,

Cancell. Conſiliar. Præfecto Niburgenſi, &c.

O quam vetuſtas credidit coli dignam
Dominamque dixit arbitramque terrarum,
Aliquando tandem tædeat Deam famæ
Adeo invenuſtæ putidique tumoris,
Quo teſte nil non impetu facis cœco,
Bonis iniqua, nil merentibus larga.
Hunc ut refutes, JANUS ille tot retro
Genus Deorum, ſtirpis inclytæ ſanguis
Virtutis ædes & decus Camænarum,
Ipſi DEO placere ſuetus & Regi,
Quod literis virtutibuſque debetur,
Generique tot jam ſeculis perennanti,
Te non vetante præmium ferat felix,
Honoribuſque quot meretur illuſtris
Nomen perenni tradat inclytum famæ.
Hoc quod rogamus ipſa te rogat Virtus,
Hoc literarum præſides vovent Divæ.
His, Diva, ſi libenter annues votis,
Preceſque non immitis audies noſtras;
Aliquando tandem deſines male audire.

NOBILISSIMO DOMINO 82.

CASPARO SCHÖLERO

REGIAE MAJEST. A SECRETIS.

Jam tandem Fortuna ſapit, jam cœca videri
Deſinit & meritis quo decet ore favet.
Erigitur digno ſeſe SCHOELERUS honore,
Et ſtadium Virtus quod nova currat habet.

Perge tuis, Fortuna, bonis meliorque perenna;
Sic poteris laudi conſuluiſſe tuæ.
Tuque tua pariter virtute, Vir inclyte, perge;
Sic poteris noſtris conſuluiſſe bonis.
Jam Secreta tui ſic tractas Regis & aulæ;
Notius ut noſtro te ſit in orbe nihil.

83. POETARUM FUROR,

AD ANOLBUM.

Qui niſi mente furas, Phœbi tibi templa patere
Credis, Anolbe, furis; nec tamen illa patent.

84. POESEOS UTILITAS,

EMBLEMATICUM

Pingatur corpus Soli obverſum longa a tergo umbra.

Gloria virtutem comitari corpus ut umbra,
Si tamen irradiet corpus Apollo, ſolet.

85. ABSTINENTIA.

Quæ bona ſunt nimium nulli potuere placere.
Eſt Virtus placitis abſtinuiſſe malis.

86. AD ROSSILLAM.

Quale quod accendit de Solis lumine vitrum,
Tales ſunt oculi, pulchra Roſilla, mei:
Hos per in arentes penetrat tua flamma medullas,
Cum video Solem te, mea vita, meum.

87. VIRTUS PLATONICA.

Si poſſet Virtus, inquit Plato, nuda videri;
Mirus in hanc hominum conciperetur amor.
Nuda ſatis noſtro ſpectatur tempore virtus.
Cur? quia virtutis tam modo friget amor.

88. IN FOEMINAM CORNUTAM

LONDINI IN ANGLIA VISAM. ANNO 1670.

Vidimus his oculis cornutam vidimus Anglam,
Nil Anglus quod nunc jure queratur habet.

Si

Si nequeant teneri tot cornua ferre mariti,
Ipſa onus hoc uxor, quod facit ipſa, feret.

AD GALLAM. 89.

Te ſpeculum bene Galla refert, cur? exhibet umbram
Formoſam, ſpeculum te male, Galla, refert.
Nec bene nec male te referens, umbramque per umbram
Diſſimulans ſpeculum tu bene, Galla, refers.

AD ARCHIMEDEM SIRACUSANUM. 90.

Occidis in tenui dum pingis pulvere, vitæ
Ultima mors vere linea facta tuæ eſt.

IN HARPALUM. 91.

Quam pulchrum eſt digitis monſtrari & dicier hic eſt
Harpalus, ad furcam cum raperetur, ait (hic eſt

INCENDIUM LONDINENSE. 92.

Londiniæ turres eductaque culmina cœlo,
Illuſtris famæ Pieridumque labor
Stabant attoniti nova ceu miracula mundi,
Nec quo jam ulterius progrederentur erat.
Invidiam meruere Deum; crudelis habenas
Laxat & immiſſo Mulciber igne furit,
Et furit & ſævit, donec jam denique feſſus
Majus opus vidit viribus eſſe ſuis.
Nil agis, indomitæ jam deſine Mulciber iræ;
Nil agis, invidiæ contrahe fræna tuæ.
Magnificam delere paras & corrigis urbem:
Clarius e flammis erigit illa caput.

LINGUA ANGLICANA. 93.

Perfectam Veneris faciem picturus Apelles
Virgineos tota legit in urbe greges.

Quicquid in electis pulchrum vel amabile formis
Repperit, in Paphiæ tranſtulit ora Deæ.
Exceſſit nova forma modum: ſe pluribus una
Debuit, at cunctis pulchrior una fuit.
Effigies Veneris, quam ſic collegit Apelles,
Effigies linguæ eſt illa, Britanne, tuæ.

94. APELLIS EPITAPHIUM.

Qui ſimulare ipſam callebat imagine vitam,
Mortuus eſt neque jam ſcit ſimulare necem.

95. ALEXANDRI MAGNI.

Anguſtus mihi mundus erat, nec ferre priorem,
Nec potui mecum vivus habere parem.
Contrahit ambitio tenui ſe clauſa ſepulchro:
Nunc hic Alexandris mille jacere licet.

96. CÆSARIS ET POMPEJI.

Ferre parem nequiit Magnus, Cæſarve priorem,
Morte pares facti, ſed tamen ille prior.

97. DUCIS ALBANI.

Suſtulit hunc nimios dum mors invidit honores:
Sævitiam vinci non tulit illa ſuam.

98. CATHARINÆ DE MEDICIS.

Nominis omen amans me Gallia tota colebas,
Expectans longis pharmaca grata malis.
Spes tua falſa fuit: mea te medicina peremit,
Nil præter venas docta ſecare tuas.

99 LEGATI REGII IN ITINERE MORTUI.

Sanctus eram, nulli quicquam in me jure licebat;
Mors rudis hinc aliam me jubet ire viam.

100. AD ATTALUM.

Te Solem blandita ſuum vocat, Attale, conjux,
Non potes hanc Lunam jure vocare tuam.
Nempe tibi inconſtans eſt plus ſatis, Attale, verum
Impleri ex alio Pontia Sole ſolet.

THOMÆ MORI 101.

EPITAPHIUM.

Mori memento quiſquis hunc tumulum vides.
Ille ille gentis tanta lux Britannicæ,
Columenque voxque civium, Regis manus
Et purpuratorum alpha Morus Præſidum,
Charitum voluptas, dulce Muſarum decus,
Virtutis ara, terminus conſtantiæ,
Virque omnium, dum vixit, integerrimus,
Hic ille Morus ille diviſus jacet
Iræ furentis immolatus Principis.
Pœna quid iſta fecerit dignum rogas?
Age arrige aures: ipſe quamvis mortuus
Tibi dicit ipſe, nempe quid dicit? nihil.

IN CHORUM SACRUM 102.

Clariſſimi M. THOMÆ KINGO,

EPISCOPI FYONENSIS.

Dania tolle caput, reliquis accepta remitte
Gentibus, & laudes noſcere diſce tuas;
Diſce peregrinæ faſtum contemnere linguæ;
Ut placeas aliis, diſce placere tibi.
Ne dubita; qua terra patet tua lingua placebit,
Muſaque jam ſummo docta placere Deo.
Muneris hoc KINGO debes, hoc vindice nomen.
Sperat & æternum Danica Muſa decus.
Dum pia vota canit, vocem dum mittit ad aſtra,
Ecce ſimul linguam tollit ad aſtra tuam.

IN EJUSDEM ENCOMIUM ARCIS 103.

CRONEBURG.

Cronæburgiacas ornavit laudibus arces
Kingius, ingenii non ſine laude ſui.
Quam celebrent Vates, non altera dignior arx eſt;
Dignior hoc nemo qui celebraret erat.

104. AD PHILOSOPHUM.

Sperandum adverſis metuendum, ais, eſſe ſecun-
Hoc ſperare metum, ſpem metuiſſe foret. (dis.

105. AD DAMIANUM CALVUM.

Nunc lubet o mores! o tempora dicere, mores
Cum, Damiane, tuos tempora cerno tua:

106. AD MONACHOS.

Quare capillos cæditis fraterculi?
Ne ſponte, credo, defluant.

107. MISSA.

Quis miſſam fugiat negetque ſacram?
Fecit Chriſtus Apoſtolique miſſam.

108. AD NÆVOLUM GRAMMATICUM SCORTATOREM.

Dic quæcunque putas levibus dicenda puellis;
Duc quacunque licet vel placet ire via:
Fac quæcunque jubet fieri veſana libido,
Denique ne fallat regula, Nævole, Fer.

109. AD MÆCENATEM.

Te cecinit Flaccus, tu mentem animoſque dediſti,
Munere tu Flacci vivis, & ille tuo.

110. *AD MARCUM CONCIONATOREM BENE DOCENTEM MALE VIVENTEM.*

Facundo nos ore doces facienda, nec ipſe
Quæ tam facundo præcipis ore facis.
Salvificæ fidei ſimilis mihi, Marce, videris;
In cœlum hæc ducit non tamen ipſa venit.

111. IN HISTORIAM POETARUM LATINORUM

Celeberrimi D. OLAI BORRICHII.

Orbis nobile ſidus eruditi,
Vatum gloria, perge ſic mederi;

(Nam

(Nam nec hoc tuus abnuit Machaon).
Perge quot Latio leguntur ore
Vitam reddere mortuis Poëtis.
Nec nullum tibi præmium laboris
Promittas, ſciet orbis & diſerto
Illud fama loquetur ore; Vates
Quod vivi tibi mortuique cedant.
Quot chartis memoras tuis Poetas,
Tot te, dignus es, ut canant Poetæ.

ALEXANDER ET PHILIPPUS. 112.

Virtuti via nulla tuæ ſe, Magne, negabat.
Perfidiæ ſeſe nulla, Philippe, tuæ.

IN CALANUM MENDACEM. 113.

Cum loqueris falſis admiſces vera, Calane,
Certa fides dictis conſtet ut inde tuis.
Ergo, Calane, nequis ſi ſemper dicere verum,
Ne fallas, ſemper te volo falſa loqui.

AMEN. 114.

Quid ſit Amen quæſitus Iber ſic aſſerit: inde
Nomen habet; pueri nempe quod Amen
ament.

DE EBRIETATE, 115.
PONTII PASTORIS CONCIO.

Ebrietas vitium eſt, quo non damnoſius ullum.
Hanc fugitote meæ, Pontius inquit, oves.
Sæpius ebrietas fecit mala plurima, multas
Præcipue cædes ebria turba facit.
Tempore Noachi fuit ebria terra, necique
Quotquot erant homines ebria terra dedit.

AVARUS. 116.

Semper Avarus eget, ſemper vult plura, nec unquam
Quod vult, quod voluit forſan habere poteſt.

117. LIBERALIS ET AVARUS.

Non habet indignus quæ munera cepit avarus,
Hæc quoque quæ bene dat munera largus habet.

118. IN EMMAM FUCATAM.

Mentito ſpeculum vultu inſpicis, exhibet umbram.
Mentitur ſpeculum non tamen, Emma, tuum.

119. AD PROCLUM POETAM.

Si tua vis nunquam putreſcere carmina, multo
Quæ ſcribis condi carmina, Procle, ſale.
Servat ab interitu ſal conciliatque ſaporem;
Quæ ſale ſcripta carent quid meruere? piper.

120. AMICITIA.

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Et felix, multos dum numerabis, eris.

121. AD PYTHAGORAM.

Quas alii laudes ſcribendo, legendo, loquendo,
Tibi tu tacendo comparas.
Jamque ſilens loqueris famæ tamen ore, tuumque
Nunquam ſilet ſilentium.

122. DE EODEM.

Pythagoræ par nulla datur facundia laudi;
Pythagoram digne vis celebrare? tace.

123. VIRI CUJUSDAM EXTRA PATRIAM MORTUI EPITAPHIUM.

Uxoris furias per mille pericula fugi,
Contigit hac miſero denique ſede quies.
Audeo nunc illam contemnere; ſed precor o tu!
Ne mea reſciſcat forte Megæra, tace.

124. GALLIA HODIERNA.

Dicta fuit quondam braccata, comata, togata,
Gallia, nunc dici tota ſagata poteſt.

AD VIRUM DOCTISSIMUM πολύγραφον. 125.

Plurima ſcripta orbi domas, Vir docte, ſapiſque;
Nil ſtolidus ſcribit Momus, & ille ſapit.

AD LYCONEM DE CAMILLA. 126.

Formoſam lepidamque ſcitulamque.
Dotatam minime tamen Camillam.
Nos amare Lyco vetas? Camillæ
Tanta eſt gratia corporis decorque,
Ut vel nuda viro queat placere.

AD RUFFUM. 127.

Sors tua te ditem naturaque fecit avarum;
Quid tibi, Ruffe, precer? qualis es eſſe velis.
Divitiis homini nihil optem pejus avaro,
Nec quicquam diti pejus avaritia.

LALAGES EPITAPHIUM. 128.

Hoc Lalage tumulo vitæ pertæſa quieſcit,
Nupta prius juveni, nupta deinde ſeni.
Infelix Lalage nulli bene juncta marito:
Vivere non potuit ille, nec iſte mori.

PAUPER POETA. 129.

Victurum Vates ſcribet nihil indigus auri,
Gignere ſicut ager nil ſine Sole poteſt.

MEUM ET TUUM BELLORUM CAUSÆ. 130.
AD POLITICUM.

Tolle meum atque tuum, ſic bellum tollitur, inquis.
Quomodo? cum tollant bella meum atque (tuum?

PANEGYRICUS ATTALI. 131.

Si mihi centenis reſonarent vocibus ora,
Ipſaque me Clio Phocidis amne lavet,
Aut mihi Neſtorei facundia ſuppetat oris,
Aut mihi fas magno cum Cicerone loqui;

Ore tuas digno nunquam tamen, Attale, dotes
Poſſem aut virtutes enumerare tuas,
Tanta tibi ſane eſt virtutum copia? tantum
Laudandis polles dotibus? imo nihil.

132. GRAMMATICUS PHILAUTUS.

Tu bene fac, alter facito bene; Grammaticorum,
Perſonam, jubeam qua mihi, nemo docet.

133. AD OVENUM.

Quam vereor cito ne pereant tua carmina? mundum
Sunt qui ſtare diu poſtmodo poſſe negant.

134. IN LYCORIN JOCUS.

Se pacis dicit ſtudioſam pulchra Lycoris,
Inteſtina tamen bella Lycoris amat.

135. AD PAULLUM ROMANUM
Pro patriæ fortiſſime occumbentem.

Æternam meruit tua mors, fortiſſime, laudem,
Promeruit nullam laus tua, Paulle, necem.

136. FABULA TROJÆ.

Regis proditor ille patriæque,
Sed fortis tamen & pius Maroni,
Æneas humeris tulit parentem?
Victores ſpoliavit ille Grajos?
Per hoſtes pedes ivit atque flammas?
Ad Ditem pedes ivit & redivit?
Ivit, ſed pedibus Maronianis.

137. PARTES IN EUROPA.

Si concordia mentis atque linguæ
Laudatur merito & bonis probatur;
Cur non, cujus amat colitque linguam,
Germanum deceat favere Gallo?

138. STATUS IMPERII ROMANI 1672.

Quid vos iniquæ Dædali calumniæ
Conſilia noſtra lenta ignava carpitis?

Tan-

Tantoque nos in patriæ periculo
Cæcos ſtupentes & vocatis plumbeos?
Germaniæ libertas hercle eſt perdita
Perire ſi volentibus jam non licet.

GERMANIA. 139.

Ditavi ſtolido Gallum Germania luxu;
Stultitiæ pœnas exigit ipſe meæ.

TURCARUM IMPERATOR. 140.

Chriſticolas odiis diſcordia turbat & armis.
Perpetuo turbet! res agit illa meas.

IN PONTICUM. 141.

Omnibus ingratum meritis te, Pontice, præſtas,
Moribus his nulli, Pontice, gratus eris.

AD JOANNEM GEORGIUM 142.
CHRISTOPHORUM
Sodalem jucundiſſimum, Carmen jocoſum.

Jani, Chriſtophori, Georgiique,
Faſtis nomina ſacra Chriſtianis.
Uni nomina terna cur parentes
Donavere tibi? ter eſſe gnatum
Felicem cupiere, ter beatum.
Et nos & reliqui tui quotannis
Ter te vivere cogimus ſodales.
Quandocunque vel hoc, vel hoc, vel illud
Nomen Jane redit diemque ſignat;
Tum nos e pedibus novem Dearum
Noſtro vincula nectimus ſodali.
Sed molliſſima vincla, quæque ſolus
Dignus nomine ſolvat hoc Lyæus.
Tu pro more diem tuum coronas:
Quicquid Sequana Gallia delicati,
Vel Rhenus melior, Nicerque, quicquid
Ad nos cœrula per profunda miſit

Ex Uva generoſiore Bætis,
Una ponitur omnibuſque menſa.
O factum bene perge, Jane, perge:
Nobis vivere, vive ter quotannis
Nos ſemel tibi, quamlibet parentes
Tenaces nimium gemant parentes.
Si cenſum tamen atterit graveſque
Exhaurit loculos beata vita;
Non eſt hæc tua culpa ſed parentum,
Qui nomen tribuere ſumtuoſum.

143. Die Sonne/ der Mond.

Sol regnat, ſed Luna ſolet cornuta repleri;
Hinc ſol nonnullis fœmina, Luna vir eſt.

144. ÆTAS PARENTUM PEJOR AVIS &c.

Tam mala noſtra ætas vix poſſit pejor ut eſſe,
Si qua fides pejor, quæ tamen inſtat, erit.
Sit licet, at noſtris erit hoc prudentior annis:
Jactabit proavi nomina nemo ſui.

145. ÆNIGMA JOCOSUM AD MARINUM.

Hominum genus noſtris frequens in urbibus,
Noſtros in uſus cœlitus miſſum genus,
Quo ſine nec arcto viveres ſub frigida,
Sed vel memor prioris innocentiæ
Sincerus undique atque aperti pectoris.
Totus pateres, vel pellito cum Schyta
Indutus ires cruda Damæ tergora
Aut quale victa tegmen aſſumſit fera
Tot ille notus fabulis Tyrinthius.
Hominum genus ſolers, peritum, callidum:
Cui non negaret cedere & palmam dare
Tegeæus ipſe, quamlibet doctiſſimus
Quodcunque furto, ſed jocoſo, condere.
Amans tamen diei non piceas gerit

Sed

Sed cereas tantum manus, vulgo licet
Jam trita ſit multique ſplenis fabula.
Quod hoc genus Marine? dic ſi quid ſapis,
Nec ſub mamilla Davus ignava latet,
Repperimus, inquis, arrige huc aurem.
Rem acu.

AD. LECTOREM. 146.

Quæ volvenda damus tibi carmina, Lector, eo-
Quo nos conſilio ſcripſimus iſta, lege: (dem,
Non ſemper graviora juvant aut ſeria, triſtem
Sæpe leves animum reſtituere joci.
Indulget licitam dum mens ſibi feſſa quietem,
Et quod agas nihil eſt, hoc age, ne quid agas.

IN EUCLIONEM 147.
CALCULO. EXTINCTUM.

Tot ille arator jugerum,
Tantique meſſor horrei,
Opumque cuſtos plurium
Quam Cræſus ipſe Lydius
Vel alter ille plumbeus
Ciboque dignus aureo
Judex iners Apollinis;
Ille ille jam tota ſatis
In urbe notus Euclio,
Dum deſidet dum nummulis
Metitur annos aureis,
Dum ſecula optat Neſtoris
Et ſecla ſperat Neſtoris,
Offenſa riſit Atropos,
Geminiſque mox ſororibus.
Quin, hunc, ait, Diti damus,
Opibuſque terra conditis
Vitam diemque reddimus.
Sic illa, plaudit utraque

Et hanc probat ſententiam :
Audiverat ſuumque Mors
Adjecit atra calculum.

148. IN MORTEM TURENNI.

Tandem terribili Turennum turbine tactum
Teutoniæ toties territa terra tegit.
Teuto triumphator Teuto tutela tuorum
Turenno tumulum tolle, trophæa tibi.

149. DE THOMA BARTHOLINO.

Quem loquitur præſens, nec poſtera neſciet
Barbara quo ſeſe Danica regna negant. (ætas;
Qui quicquid veteres pulchrum ſcivere novique,
Divina clauſum pectoris æde tenet.
Cui Fortuna novi faſtigia pandit honoris,
Datque ſuum meritis officioſa decus ;
Tam magni celebriſque Viri qua fulget Apollo,
Nemo nequit laudes dicere, nemo poteſt.

150. IN CALENDAS JUNIAS
Anni 1676. & 1677. Danorum Victoriis
in mari Balthico nobilitatas,
Ductu Generoſiſſimi Dni
NICOLAI JULII
Archithalaſſi, Equitis aurati &c.

Diem ſerenum candidum nobis diem
Faſtiſque dignum poſteriſque debitum,
Quo bis triumphum læta vidit Dania,
Cur Suece criminaris & diem nigrum
Diem nefaſtum luridum diem vocas ?
Cur huic diei tot tuorum funera
Victaſque captivaſque claſſes imputas ?
Ignoſce Suece Junio, namque hanc tibi
Non Junius ſed JULIUS cladem dedit.

IN CALENDAS MAJ & JUNJ ANNI 1676. (151.) JUNII & JULII ANNI 1677. SVECIS INAUSPICATAS.

Infauſtas nimium tibi calendas
Atratas nimis atque inauſpicatas
Tandem, Suece, cavere diſce luces.
Gothorum patriam ſatis potente
Firmam præſidio marique cinctam
Securus tumiduſque poſſidebas.
Hac Majæ pepulere te Calendæ.
Terres Oceanum natante bello:
Noſtris exitium minata regnis
Formidabilis illa claſſis inſtat.
Hanc perdunt tibi Juniæ calendæ.
Auſas per vetitum volare balthum.
Et noſtros prohibere commeatu
Frangunt disjiciunt feruntque puppes.
Poſt annum quoque Juniæ calendæ.
Conatu tamen ultimo laboras
Et, cui vix ſimilem paremve vidit
Noſtri Nereus Arbiter profundi,
Nobis objicis ingeriſque claſſem.
Hanc vincit quoque JULIUS fugatque
Et urit tibi Juliis calendis.
Poſt quartas tibi tam graves calendas
Si nondum reſipis tibique parcis
Nec cœlo petis a minante pacem,
Pares, Suece, prioribus futuras
Et nonas tibi comprecor calendas.

AD NICOLAUM JULIUM 152. Thalaſſiarch. Equ. Aurat. &c. De Victoriis navalibus.

Dum Suecones, JULI balthi Neptune, triumphas
Captivaſque facis noſtra trophæa rates;

Non opus ut Romana tuas facundia laudes,
Pro roſtris toties dicere ſueta, canat.
Non opus ut meritas jactent tua claſſica lauros:
Devicti Sueones prædaque teſtis erunt.
Objiciunt oculis tua ſe præconia noſtris;
Cernimus in laudes roſtra diſerta tuas.

153. AD LECTOREM.

An bona ſint noſter quæ carmina fudit Apollo
Neſcio, quod nova ſint, Lector amice, ſcio.
Omne novum pulchrum non arbitror eſſe bonumque,
Omne bonum tamen hoc tempore pene novum.

154. IN AVARUM PODAGRICUM.

Auget avaritiam dum vult abolere podagra,
Nec dolor alterius tollitur alter ope.
Proficit & verbis quoque parcere diſcit avarus:
Nam ſimul ac ô pes! ingemit, optat opes.

155. LACTUCA.

Hoſpes apud Janum diverterat Otto Batavum,
Primaque lactucam menſa Batava dabat.
Otto ait: hæc priſco claudebat tempore cœnam.
Reſpondit Batavus: claudit & illa meam.

LIBRI TERTII

FINIS.

HAF-

HAFNIA
ARCTIORE OBSIDIONE LIBERATA: POEMATION.

Auctore

HENRICO HARDERO.

ANNO MDCLX.

Fridericus Tertius Dei gratia Daniae Nor-
vvagiae V Vandalorum Gotorumque Rex
Dux Scleſvici Holſatiae Stormariae
atque Ditmarſiae Comes per Ol-
tenburg atque Delmenhorst.

ANAGRAMMA.

Re vera Rex hic ſublimes coelitus ortus
Numine dante trahit : quid Mars Leo
fraude doloque et
Ira agis ? erigitur Danorumm gloria, Regi
Aucta ſuo, quo Pax adamata ſedente vireſcet.

Cimbria

Cimbria, ſanguinei miſeranda palæſtra Gradivi
Et Sueci prædantis amor, quam triſtibus inde
Cladibus exhauſtam deplorandiſque rubentem
Cædibus, hinc reliquam nutanti vertice corpus
Expiraſſe animam prope feralemque relabi
Vidimus in tumulum, caput exere, collige lætæ
Si quid adhuc ſupereſt animæ tibi, ponito lethi
Servitiique jugique metum: qua ſoſpite vitam,
Qua pereunte tuæ ſperabas fata ruinæ,
Portua ſalva manet; proh quantas ſidera volvunt
Fatorum rerumque vices? en plena renaſci
Cernitur Arctoi ſpes intermortua ſceptri:
Si modo, quod Superi quod inevitabile noſtris
Creditur imperiis minitari Dania fatum,
Hac hoſtis frueretur humo, metamque furorum
Addiderat reliquis furti ſolertia prædis,
Jam modo nulla fores, nulla premerere ſuperſtes
Parte tui alterius molem ſubitura Tyranni.
At nunc pacati monſtrat primordia cœli
Haffnia ſalva tibi, neque ſolum certa ſalutis
Spes nitet, at juſtos rupti quoque fœderis Ultrix
Orditur vindicta gradus, pœnaſque daturum
Deplorat ſua fata ſcelus. mea Numina Muſæ
Dicite, ſed quali mos decantare triumphos
Carmine, victrices quali poſt prælia laurus
Contextis hedera redimitæ tempora ſertis
Excipitis, Marti non ſuccubuiſſe Suëco
Hic ſuperaſſe fuit, non vinci vincere nobis,
Dicite quo majus nullum perjuria Pœnis
Crebra dabant, quo non gravius ceciniſtis ad ipſa
Thebarum delubra nefas, violata Suëco
Fœdera, perfractas horrendo crimine leges,
Arvaque Dana novis prædonum infeſſa maniplis
Et repetita novis Sueonum Sælandica tranſtris
Littora fruſtratis portu, liceatque videre

Haff-

Haffniam, & Haffniacis circumdare mœnibus arma
Mox turpi ceſſura fuga, juvat auſpice Phœbo
Lætius exacti paſſum meminiſſe laboris.

Viderat æternam ſeptem ſubjecta Trioni
Regna quieturo pacem admiſiſſe Gradivo
Non ſatis humano ſatianda cruore Megæra;
Vix odii ſpes ulla ſuper rigidique tumultus
Bellorum, non cædis erat nec ſanguinis, ipſam
Regius amplexus firmarat & oſcula pacem.
Impatienſque ſui quo nunc, quo labimur, inquit?
Mene igitur placidos Danorum cernere ſaltus
Pacatumque ſolum, neq; rubrum ſanguine littus,
Nec ſatiaturo fauces Erebique meaſque
Poſtea Cimbrorum natitabunt paſcua tabo?
Proh Erebique ſtygiſque pudor! tulit arma cruen-
Martis in octavum generoſa Batavia luſtrum, (tũ.
Tunc cum tela capi, cum ſigna ultricia contra
Tollere libertatis amor Patriæque Deique
Et Tarteſſiaci cogunt faſtidia fræni
Indignum pertæſa jugum; bellare coacta
Ter denas potuit per nos Germania meſſes; (lum,
Quid memorem aſſiduo bellorum in pulvere Gal-
Nunc ſibi contiguum contra dum fortis Iberum
Arma movet, nunc Auſtriacas infeſtus in arces
Irruit, & Latias formidine concutit urbes,
Quæſitumque diu jam prima ab origine gentis
Imperii nomen titulique inſignis honores
Et magis auguſti quærit moderamina ſceptri,
Durat & hoc, noſtri dum durat ſemina motus
Ambitio, bellum, niſi fors, dum feſſus uterque
Ad nova ſub dubia reſpirant prælia pace.
Tot poterunt alias dura inter prælia gentes
Exercere meis producti fraudibus anni,
Danigenas unus? belli cunabula nuper

Qui

Qui vidit ſit idem bellorum finis, & iſtis
Nil afflata juvent furiarum incendia terris?
En redit atque brevis leviuſcula vulnera pugnæ
Pax ſanat, facies rerum prior, oppida cives,
Nauta fretum, pulſi repetunt ſua rura Coloni,
Bellaque & innocuum ridet gens Ruſtica Martem.
Annus erat cum prima novi primordia belli
Daniacas premeret, ſolito ſed mitius, urbes,
Annus erit vix ulla mei veſtigia Martis
Pax ſupereſſe ſinet; poterit, quo ſemina fruge
Uberiora ferat, requieſcere terra videri.

Ergone in exilium feror? Ergo Polonica rurſus
Vaſtata & tantis jam pridem cladibus arva
Dilacerata petam? vix eſt locus ullus in illa
Vulneribus cladique ſuper, ſic Dana relinquam
Oppida, ſic crudis deformes cædibus Urbes.
Dixit & ardenti pectus ſtimulata furore
Murmurat incultum, certe tentare noviſque
Orbis hyperborei miſcere tumultibus axes
Mente ſedet, nec ſe tanta in certamina ſolam
Sufeciſſe putat, comitem conatibus ardet
Addere Thiſiphonem ſocioſque adhibere colubros;
Protinus induta terrarum mole ſub umbras
Lapſa venit, ſtygiaſque gradum molitur ad undas,
Vix ubi Tænarii propius devenerat antri
Ad fauces, quæſita ruit ſoror ecce vocanti
Obvia Thiſiphone, nigris examina pone
Attrahit ordinibus furiarum: ibi prima ſequentum
Ambitio, fallaxque dolus, gaudenſque ſuorum
Sanguine proditio, ſequitur blaſphema furorem
Spretrix impietas Superum, vox effera fandi,
Qua venit illa gradum referunt rectumq; pudorq;,
Et cedunt non ſponte via refugoque pavore
Relligio, Divumque metus, ſinceraque vera

Cum

Cum probitate fides, at fraus tegit improba ſemper
Proditioque furorque latus, fœduſque fidemque
Dedocet ex alia ſequitur quæ parte libido
Regnandi atque animos ſceleratis excitat auſis.
Incipit atra Soror manibuſque innexa profatur:
Hac, Germana, tenus Stygii decreta parentis
Sola ſuper terras obeo, juſſoſque furores
Exſequor & diræ ſtudiis contraria Pacis; (rem
Hoc quodcunque madent campi, quod ſtagna colo-
Erubuere ſuum, veniant quod crebra ſub umbras
Funera & innumeris epulentur cædibus hydri,
Qua licet effeci, mea ſunt inſignia quicquid
Triſte furens odii ſtimulis admiſit Enyo.
At modo (fabor enim) nimio ſudore fatiſcunt
Colla fatigatæque manus, primuſque relanguet
Impetus, & ſolito vetitos ſpumare veneno
Angues æqua nimis mortalibus aſtra ſoporant.
Huc dum vincenti credor decedere paci
Tantiſper venio, neque vi ſuperante coactæ
Pellimur optatis Arctoi ſedibus orbis,
Sed magis exhauſtus dum vires colligat anguis
Dum liceat fraudumque modos penſare noviſque
Inſidiis aperire vias, ad veſtra revertor
Tecta, ſed ut ſuperas repetam cumulatior auras;
Pax noſtro ſubit illa bono, ſed figere ſedem
Ne queat & pulſis violentior imperet armis
Nos ea cura manet, tu cui, Soror, integra totis
Fervet adhuc rabies venis, circumque reſultant
Pectora Tartareo pleni de fonte Colubri,
Nunc ſocias conjunge manus, conjunctior hoſtem
Vis abigat, redeant temerato fœdere bella,
Nec fidei ſit vera fides, ceſſantia Cimber
Vel Sueones nobis moveant ductricibus arma.
Ecquid iners horres? res o inſueta! cruore
Quæ conſanguineo crevit quem patrius enſis

Vel

Vel dederint fratres, bello committere gentem
Cognatoſque timet Reges, non territa quondam
Sæva Thyeſteæ ſpectaſti fercula menſæ,
Non Agamemnonios inter bacchata penates
Alterna timide luſiſti cæde, nec ipſæ
Viderunt trepidam graſſari in funera Thebæ.
Quo novus iſte metus? ſi, quæ commiſimus unquam,
Criminibus majora paro, minus ergo relictum
Eſt animi? ſed ſi qua fides non invia cœptis
Semita pandit iter, quod ſi minus apta videtur
Cimbria fallaci ſtudio intemerata, Sueci
Dant aditus, avidæ conjuncta potentia dextræ
Pronior in ſcelus eſt, ſi turba pediſſequa, ſi quid
Tam facilis gemini potis eſt occaſio ſceptri,
Omnia quo cupias jam jam concuſſa tumultu
Ingentique novis impleta motibus Arcto
Noſtra cruentatos cernemus gaudia campos.
Mota Soror cunctata licet tamen ibimus, inquit,
Ibimus, admiſſæ certum interrumpere regnis
Pacis opus, flagris iterum Bellona cruentis
Addat hyperboreis animos in funera turmis.
Finierant. ſuperas inceſtat protinus auras
Atra cohors, cunctas furiarum examine longo
Pone trahit comites, ſed qua ſcelus inchoet aula
Sueca placet, ſubeunt tacitæ Ducibuſq; Ducumq;
Perſuadent Regi ſeſe tacitumque venenum
Inſinuant, dirum coquitur ſcelus, impia quid non
Criminis ambitio mortalia pectora cogat
Imperiique ſitis pulſoque pudore libido?

Protinus infeſtis belli ſeptentrio ſignis
Horruit, ac mœſtis Euri mugitibus ingens
Spiravere nefas, neque vanæ præſcia curæ
Suſpicio ambiguæ turbabat gaudia pacis.

Quin

Quin etiam fati ſuperos documenta dediſſe
Pejoris manifeſta fides, & Numinis iræ
Attonito variis orbi patuere figuris:
Colliſæ per inane acies, viſæque cruentum
Ad bellum aëriæ terris præludere pugnæ,
Ignotos ululaſſe ſonos, magniſque relatum
Stragibus evulſas imis e ſedibus undas
In terras agitaſſe Tethyn, mutaſſe colorem
Nereus & tantas viſus ſenſiſſe ruinas.

Perdiderat ſextum interea ſextumque novarat
Luna jubar, canis albentia frugibus arva
Non niſi languenti torrebat Sirius æſtu,
Jn nova jam falces acuebant arva coloni,
Arva, quibus miſeras bellorum explere ruinas
Spes erat & læta, ſtrepitu ceſſante Gradivi,
Pace frui: feſtis pariter cum civibus urbes
Alma revertentis ſperabant commoda pacis.
Jamque vacaturos pacatis hoſtibus agros
Cimbrorum Fyonumque, aut mox audire relictas
Agminibus Sueonum terras & claſſibus undas
Regia crediderat Dani caput Hafnia regni:
Fallaces hominum mentes! Suecus hei mihi Sue-
Rurſus adeſt rurſus ſolitis Sælandia ſignis (cus
Obruitur, nec fama tulit rem prævia, ſed qua
Fama die retulit muri videre reverſos
Haffniaci, ſtant caſtra ſolo, ſtant æquore puppes.

O Patria, o Regum domus, Haffnia, & inclyta
Martis
Mœnia Cimbrorum ſtudio! vos fraudibus hoſtis
Ut premat? ut tantas veniat ſecurus in arces
Perfidus & rupti pretium diadema reportet
Fœderis, addictus ſceleri permittet Olympus?
Tanta parent impune? Deus, Deus ultor in ipſum
Ver-

Vertat ut Authorem ſceleris ſcelus, Haffnia conſtet.
Quid tibi tunc FREDERICE animi cum fervere late
Hoſtiles hinc inde globos paſſimque vagari
Arva per Haffniacis adeo confinia ſulcis
Inſpiceres, animis vulgi trepidantibus omni
Vita ſalus ſceptrumque, nefas! dubitabile nutu?
Et claſſis nec miles erat, quis pace reverſa
Arma, quis æquoreas pacato alat æquore pinus?
Nuda caput regni muris, munimina, vallus
Non erat, infirmo non propugnacula vallo.
Quid niſi qua virtus ſeſe generoſa prementi
Prodere Majeſtate ſolet? regalis iniquo
Neſcia mens duræ frangi molimine fortis.
Sic quoque palma, ferunt, hoc celſior exit in auras
Æthereas, quanto gravius molitur ad imam
Flectere pondus humum preſſoq; cacumine nudâ
Fortior adverſo ſumit de robore vires.
Aut, veluti, rapido fertur qui flumine, torrens,
Si ſude vel denſis aditus præcludere glebis
Aut alia ſolitos remorari parte meatus
Aggrediare, furit, ſolitaque potentior ira
Aut aliud ſibi quærit iter, ſegeteſque grege ſque
Paſcuaque & virides involvit flumine campos,
Aut, obſtructa manu rumpens obſtacula, ſeſe
Colligit in veteres fracto ſufflamine curſus.
Sic tua non alio potius ſe tempore virtus
Gaviſa eſt dubia quàm rerum ſorte probari,
Plebs pavet incœptoque hæret, ſpes nulla ſalutis.
Rex animos, quod Regis erat, trepidantibus addit,
Stat vires adhibere omnes, ſtat mœnibus hoſtem
Arcere & nullis caput eripuiſſe periclis.
Nulla mora eſt; juſſi ſubeunt palatia cives
Corda metu tremuli, niſi cum cauſæque Deique
Et Regis meminiſſe ſubit, tunc ille verenda

Majeſtate gravis pavidos confirmat, in omni
Mutatum ſedet ore nihil, frons Martia, verum
Læta parum facies, miſta ſed nobilis ira.
Qualis in Alcidis ſe miſcuit ira rubore
Vultibus ad juſſus mandantis iniqua Tyranni.
Tum licet aſpectu ſolo facundus & acres
Inſpirans vel vultu animos Regalia digno
Laxans ora ſono mentes trepidantibus ingenti
Inflammat Martis ſtudio: Quo fata morentur
Noſtra loco ſpectatis, ait, quas ſidera nunquam
Plus ſemel Arctois liquet immiſiſſe tiaris.
Nunc agitat fortuna vices, ſi maſcula Patrum
Pectora degeneri libeat mutare timore.
Nam non Auſoniis extorris Cimber in oris
Romulidum jam ſtrage calet, non proxima Rheno
Arva domat, neque contigui perjuria Sveci
Ultum gerit arma manu. nunc indiget omni
Ad proprium virtute decus, quibus iſte saluti
Militet & famæ fervor generoſus, habemus
Bella domi & Regni graſſantem in viſcere Martem.
Quis tamen o Superi naſci tam grande putaret
Poſſe nefas ſanctoque dari pro fœdere bellum?
Audivimus hoſtiles titulos; acceſſeret illis,
Mens meminiſſe horret. flos Cimbri *Scandia* Re-
Ceſſit *Halandus ager*, ceſſit *Blekingia*, ceſſit (gni
Fertilis, aſſiduus quam pulſat fluctus, *Huena*,
Illaque vicini *Bornholmia* gemma profundi.
Quid loca commemorem boreali evulſa coronæ,
Tronthemii juga longa, & inexſuperabile Marti
Bahuſium, quid mille viros? tum conſtitit ille
Pax pretio, adverſo cum pugnaremus Olympo,
Cum ſuperas elementa minas certamine nobis
Hoſtis & invictas cœlorum opponeret iras.
Nunc facies mutata poli eſt, tantæque refugit
Perfidiæ comes eſſe Deus, dum fœderis iſti

Et

Et pacis violator adeſt. abducta refigit
Signa Suecus, reperit quos nondum liquerat agros.
Mens pacare fuit; majore Cupidine Regni
Imperiique ſiti juratum frangere fœdus
Pro nihilo, dum regnet, habet, corradere Cimbri
Quod ſupereſt parat imperii, perjuraque cinctus
Arma redit, primoque favet fortuna furori:
Eſt ſpolium Sælandus ager, ſi *Portus* noſtra
Prodita pigritie ſpem conſummaverit hoſtis,
Servum erimus Dani nomen contemptaque Pa-
Poſteritas vitio raptos tranſcribet honores. (trum
At ſi Majorum dignus Virtutibus ardor
Opponat generoſum animum, Pax prodiga noſtro
Rumpitur illa bono, jam, quas amiſimus urbes,
Quod liceat juſto velut ante requirere Marte,
Damnoſi fecit violator fœderis hoſtis.
Sed neque, ne ſimili coaleſcat fœdere rurſus
Noxia pax, aliud quam prælia ſpirat, & arma
Hoſtis atrox nulla promiſit lege paciſci,
Sceptra petit, gemini pendet ſpes integra ſceptri
A veſtra virtute, viri, vos illa Parentum
Gloria, quoſque olim Cimbrorum ſceptra tuentes
Per ſeriem numeratis, avi, vos Regia pubes
Danaque poſteritas, ne tantum veſtra relinquant
Dedecus arma, rogant, ne libera colla nefandum
Servitii patiantur onus, magnoque Parentum
Nomine progenies infelix excidat hæres.
Et virtus hoc Dana poteſt: circumdata vallo
Urbs fragili, putribus vix propugnacula glebis
Exigua munita manu quod ſpernere tantas
Suſtineat vires, fors digna videbitur hoſti
Riſu materies. ſed enim quid parvula poſſit
Fida manus, quid nixa Deo fiducia, cives
Exemplo monſtrate mei. munimina nulla
Exceptura patent profugos, ne Scandia muris

Nos caperet tuitura ſuis pax illa dabatur;
Haffnia quæ petitur ſupereſt, pro mœnibus illam
Veſtra fides animique tegant, quin jungite dextras
Et Martem ſpirate animis, pugnabit Olympi
Pro cauſa meliore favor, prius ardua nobis
Sidera, nunc ſceleri contraria ſentiet hoſtis.
Nec tamen humanis, niſi ſpes eſt vana, caremus
Subſidiis, abiit Batavas Legatus in oras,
Ante ſemel ſolitum quàm Cynthia compleat Or-
Auxiliatrices preſſis ſubmittere claſſes (bem,
Pollicitus, totum violatæ injuria pacis
Horrendumque nefas in Suecum moverit orbem
Hæc eadem veritum, neque ſi, (ſed ſidera nolint
Suecus ut has arces) frænos & vincula Cimbro
Quæ cupit injiciat ſua ſe diſcrimina gentes
Sperarint aliæ & faſtus fugiſſe Suecos,
Imperitare volet, toti dare jura profundo
Et circum late populis, cogetur & Albis
Fræna pati, Rhenuſque jugo ſuccumbet eidem,
Plorabitque novas lacerata Polonia clades.
Prævenient, non illa ſinet non ipſe Boruſſus
Non Tameſis præcauta ſuo diſcrimine muros (bi
Suecus ut hos habeat, brevis eſt mora millibus ur-
Terra virũ, ratibus placidum famulabitur æquor,
Exiguas perſtate moras, parvuſque ſaluti
Militet & Muris libertatique paternæ
Totque ſimul populis una labor, impete primo
Arctous conſtabit apex & gloria Cimbri.

His inflammarat civilia pectora dictis,
Et mox ſigna cani, vocitari ad mœnia quotquot
Tractandis habiles armis facit uſus & ætas,
Imperat, ad muros properant hinc inde repletis
Turba viis numeriſque locos ingentibus arctant.
Gnara ignara venit bellorum turba ſed acris

Plena animi, claudit lucro ceſſante tabernas
Devotaſque ſibi dextras Cyllenius armis
Induit ac patrio Comites ſinit ire Gradivo,
Nec regni minus urit amor, quibus omnis in urbe
Vita opus eſt, alii mutantur Marte labores,
Nec ſolito calet igne faber; quod condidit, uti
Gaudet opus, forti nullus ſeſe ordo labori
Eximit aut properata ruit poſtremus in arma.
Ipſe etiam certis armatus Apollo ſagittis
Abjecta rapit arma lyra, doctæque Minervâ
Ad muros alia properant ducente cohortes;
Nec cathedris vox docta ſtrepit, mutefcit & alte
Stoa filet vocemque premit, bellum undiq; bellum
Claſſica rauca tonant. tum ſe per mœnia vulgus
Diffundit, primuſque fuit munimine vallum
Inſtruxiſſe labos, & quod defendere poſſent
Advexiſſe ſolum, ſudibuſque educere colles
Ingens fervet opus, jamque ipſa ſuburbia flammas
Suffectura locum terrendo cominus hoſti
Accipiunt. ſic humanos cum peſtifer artus
Cancer corripuit, ne pars ſincera trahatur
In vitium commune mali, pars ægra recidi
Aut flammis aut ære ſolet. fiducia creſcit
Civilis, dum creſcit opus, ſi mœnia tentet
Hoſtis ovans, ſtat mente mori vel vincere fixum.
Venerat hæc inter preſſæ vicinior urbi
Spe tumidus totamque vorans vibrantior Arcton
CAROLUS, arſuramq; novo diademate frontem
Lætatus ſceptriſque manus, jamque obvia Cives
Agmina, qui dignâ peterent ad mœnia pompâ
Infererentque Suecæ Borealia ſceptra tiaræ,
Exſpectabat ovans: ſed enim, dum ſingula verſat
Ut nunc Parrhaſii foret una colonia regni
Unus ager Sueci quicquid circumflua Thetys
Arctois diſtinguit aquis, nunc illa tributi

Copia, nunc locuples Codanis faucibus aurum
Vectigale ſubit, præſertim ſplendida tanti
Gloria delectat facti, tantique Monarchæ
Imperii obverſatur honos, peccaſſe videtur
Turpe minus Regi, nec fracti fœderis ultra
Jam piget, injuſtis faveat cum Jupiter actis.
Ecce procul latis fumare incendia campis
Haffniacos propter muros, alteque rubenti
Scintillas inter miſceri nubila fumo
Vidit, & excandens, quæ tanta audacia noſtras
Incendiſſe domos, ait, an ſententia mentem
Fallit? an opponit Marti ſe *Portus* noſtro?
Incauta! armatumne volet, cum poſſit inermem,
Infenſum, & poterat placidum; ſed ſentiet hoſtes
Sentiet inſtructas, ſiquidem jubet arma capeſſi
Ad ſua fata manus, adeone inſania gentem
Circumagit miſeram, tali ſe excludere muro
Nos ut poſſe putet, nec ſigna minantia contra
Fatorum cœlique videt, non ceſſerat omnis
Obſequiis Natura meis? tam ſæpe furentes
Frigore vel medio, dureſcere vidimus undas,
Frigidior ſolito Boreas, quæ noſtra morari
Agmina debuerant, ſtravit ſuper æquora pontes.
Polonos ego per populos urbeſque cucurri,
Nunc Galeis iterum victricibus haurio Balthum
Codanoſque ſinus, eſt ultima meta laborum
Haſnia ſola ſuper, neque ſe, qua vicimus arte
Quicquid in hoc noſtrum eſt regno, qua cœpimus
Nobile Fridrici dictum de nomine caſtrum, (illud
Poſſe capi veſana putat, ſe muniat altis
Mœnibus Urbs, rapidoque tumeſcant flumine foſ-
(Sed ſatius rupta ne creſcant aggere valli (ſæ,
Approperaſſe mora) cedet, niſi ceſſerit armis,
Inſidiis, poteritque arti ſuccumbere Suecæ.
Talia jactanti ſententia triſtis eadem

Mar-

Marte manuque ſedet perrumpere mœnia nocte,
Nec niſi pro capto ferrum deponere ſceptro.
Et ſi fata quidem (fatis ſua nempe ſecundis
Jactat bella geri) ſi mens non læva fuiſſet,
Contigerat facili vel tum molimine vallum
Conſcendi, neque jam, vereor, fortiſſima ſtarent
Portus, nec Dominum Borealia ſceptra manerent.
Conſilium ſuperi vertunt, dilapſus ab alto
Terror adeſt, ſævumque jubet miteſcere pectus
Et ſegnes traxiſſe moras, jam pergit ad urbem
Occultis à colle viis, qui proximus Arvis
Imminet Haffnienſis, flexis ibi gramina ſulcis
Scindit, & occultos Mavortia cura meatus
Egeſta molitur humo, denſiſque volentes
Aggeribus prohibent diverſim e mœnibus ictus.
His, velut ingentes circumdat Delia ſilvas
Caſſibus, Haffniacæ cinguntur cominus arces,
Et propius propiuſque ruunt, aliæque priores
Defendunt operas operæ. Nec civibus inde
Ingentes cecidere animi, ſtat Martia ferro
Cincta manus crebriſque hoſtem metuenda fatigat
Fulminibus, ſacras ætas imbellior aras,
Haffniacæque nurus, pueri, inuptæque puellæ
Rite petunt, funduntq; preces, pacemque per aras
Sollicitant, calidiſque expugnant æthera votis.
Nec minor arma inter pietas, nec fervore ſacris
Valla minus ſtudiis, hinc votis, viribus inde
Cernere erat pugnare viros, & Claſſica Martis
Nunc quoque ſacra notant, muris hinc inde ſub
Confluit & fuſo nunc rumpit carmine nubes(ipſis
Nunc agitat pia vota cohors, jam templa videri
Mœnia & arma preces poſſunt, ſua veſpere ſero
Vota, ſuas medio dum ſol calet altior orbe
Continuant & mane preces, cœlumque fatigant.

Audiit & nitidi ſummo de vertice cœli
Deſpexit rerum Genitor, violata nefando
Crimine nequicquam jurati fœdera Sueci
Vidit, & obſeſſam tot bellatoribus Urbem
Immerito,& fragiles circum procumbere muros
Perfaciles aditus hoſti, cui mœnia longas
Vix facerent: vel ſtructa moras, licet arma retundi
Spes foret, in longum ſpes non erat arma retundi.
Reſtabat ſubeunda fames: plus omnibus iſta
Hoſtibus & ſolido metuenda potentior ære,
Illa vel invicto turres adamante rigentes
Contiguaſque polo turres Thebæaque victrix
Mœnia prodiderit, non hanc Babylonica vincent
Atria, coctilibus quæ fertur molibus olim
Fœmineus cinxiſſe labor, perrumpet & armis
Diruet invictas Martique potentior arces.
Ergo tot innocuæ lacrimæ & ſuſpiria pubis
Tot gemitus & vota Senum fletuſque preceſque,
Et medios inter lituique tubæque tumultus.
Exaudita virum ſuſpiria denique motum
In partes traxere Deum, ſuccurrere preſſæ
Conſtituit fidei & juſtæ ſe jungere cauſæ.

Sunt Genii humana jam prima ab origine mundi
Gente prius ſummo rerum a Genitore creati
Sancti agiles, vel ſtare Dei famulantibus altum (do
Ante tronum ordinibus ſoliti & glomerare canen-
Agmina inexhauſto ter ſanctum Carmine Numen,
Vel ſummi mandata Patris juſſuſque ſecuti
Obſervaſſe pios hominum, juncto agmine, cœtus,
Nec pudor eſt, ſed amant, triſteſq; avertere caſus.
Ni faciant nullo ſecurus vivere nutu
Poſſet homo, plus mille malis, plus mille pateret
Aut hominum aut ſtygii conſtructis fraude Ty-
Inſidiis, facilique ſubirent Tartara lapſu. (ranni
Sed

Sed Pater omnipotens ideo cuſtodibus eſſe
Juſſit,& ingentes, quibus agmina mille virorum
Si ſit opus, quivis poſſit proſternere, vires
Addidit ardentique hominum ſuccendit amore.
Ergo ubi ſiderei panduntur limina Templi
Divina cælata manu, cœleſtis in alto
Rex rutilat ſublime throno, circum agmina denſis
Splendida ſe ordinibus glomerant, turbæque mi-
Aligerique chori rutilum plaudentibus alis(niſtræ
Circumeunt agiles ſolium, pudibundaque tecti
Ora verecundis claudunt abſtruſa ſub alis,
Perpetuiſque canunt æternum vocibus hymnum,
Pars manet imperium, jam juſſus ut ergo ſupremi
Grex ſacer acciperet Patris mandata, parabat.
(ſignis
Tum Dominus: Suecicis quæ nunc, ait, Hafnia
Pœne oppreſſa gemit, quam, ni mea cura reſiſtat,
Jam flammæ tulerint & perfidus hauſerit enſis,
Nos precibus, tantum lubeat ne denique pœnas
Sumere, debuerant quas tot mihi crimina, movit:
Ite, licet, nudos vigilans cuſtodia muros
Cingite, neve dolis aut vi ſit præda cavete.
Dixerat,& propero cœleſtis turba volatu
Certatim ſtudioſa ruit, perque aëra magnum
Remigio cadit alarum, jamque aſtat & urbem
Igne micans acies & lucidus ordo coronat.
Tum quoque,ne pateat qua mœnia parte labaſcant
Quæ magis apta capi, denſa caligine muros
Sepit & adverſis prætendit nubila caſtris.
Alma FIDES ſimul, ipſa ſimul CONCORDIA
cœlo
Et nullas pertæſa moras CONSTANTIA longi
Temporis & Labor, & gaudens PATIENTIA
Et VIRTUS animi invictiMavortia murum(duris
Ceu tutelares veniunt defendere Divæ.

At magis inde furens animi crudelia verſat
Succeſſu caritura ſuo, jamque agmina noſtris
Carolus exitio adduci jubet omnia portis,
Quæque altis late jaciunt incendia tectis,
Et totum Mavortis opus, jam mœnia circum
Ducuntur foſſæ, ſurgunt munimina vallo,
Exiguiſque labor noctu uni temporis ingens
Condit opus ſpatiis, obſeſſoremque videri
Obſeſſor meruiſſe poteſt, ſic aggere valli,
Sic undis, ſic lata metus circumdat acuto
Caſtra palo, & dubio turbantur tramite foſſæ.

Cingite vos fluviis, perjuri, attollite contra
Aerias operas, vaſtas apponite ſilvas,
Non tectum ſceleri dabitis, vos veſtra manebit
Apta pœna loco; non his quos fraudiſque doliſque
Et ſcelerum parat vobis ſolertia longum
Incoluiſſe ſpecus ultrix meruendo malorum
Permittetq; Nemeſis, ſed nec fugiſſe licebit
Pluribus, in propriis ſtructis munimine glebis
Pars animam dabitis, miſtumque palude cruorem
In nece collapſi pronoq; ſorbebitis ore.
At quos ante necem ſupremaque funera plures
Ad pœnas ultura cupit Vindicta, pudenda
Erupiſſe fuga cogat, tamen arma repellent
Nulla, ſed armorum poterit diſpergere terror,
Implebitque virum multarum fama phalangum.
Hoc minus, ut cauſa nixam & cœleſtibus urbem
Subſidiis plenamque animis, quam provida Regis
Cura tegit, vigilique juvat prudentia *Schackii*,
Obſervatque *Leo*, liceat vel fraude vel armis
Obruere, eſt valido ſeſe munire labore
Eſt docilis pugnare manus, non illa vel aſtus
Vel veſtras generoſa minas viroſque paveſcit:
Credite poſteritas vacuam bellantibus urbem

Mœ-

Mœnibus aut nullis aut procumbentibus atque
Nullo munitis foſſarum flumine cinctam
Spernere fulminei late venientia Sueci
Agmina, & horriſonas furibundi eludere Regis
Suſtinuiſſe minas, & tum, mirabile factu!
Tum prius, ingenti cum jam circumdedit urbem
Hoſtis ovans acie, muros ſtruxiſſe, prioreſque
Eduxiſſe operas, & quod defenderet armis
Accumulaſſe ſolum, tum primum obſtacula jun-
Oppoſuiſſe palos ſpectanti comminus hoſti. (ctos
Præſertim ante alios magnum vigilantia Regem
Exercet, non Phœbus eum, non Cynthia vidit
Somno indulgentem, per mœnia ſæpe citato
Raptus equo, ſeu Phœbus erat ſeu Delia cœlo,
Viſus, & ingentem exemplo facundus & ore
Civibus inſpirare animum, nec tempora circum
Incuſſere metum diri volitantia plumbi
Pondera, nec chalybis graviori excuſſa metallo:
Ad latus hinc fortis ſemper vigilantia *Schacki*,
Hinc ſubit *aurati* virtus Generoſa *Leonis*,
Et regni capita alta, cohors Mavortia qualis
Ductor Achæmeniis Macedo dum vincit in oris
Parmenioque Clytuſque comes, fortiſq; Craterus,
Quoque magis nemo dilectus Hephæſtion omni
Proxima turba loco, vel quæ prudentia ſuadet
Conſiliis firmare Ducem, vel in agmina junctis
Ad ſibi vincendum famulari viribus orbem.
Cura tenet vigiles Mavortia, quaque labantes
Indigeant opera muri, qua figere junctos
Parte palos, hoſtique moras ſtellata minaci
Cuſpide & ærato ſociata trabalia nexu
Objicere, & cæcos deceat prætendere flexus,
Qua juvet aggeſtis muri trans flumina glebis
Aſpera terreſtres ſinuare in cornua Lunas,
Si qua furens hoſtis tentaret mœnia, primam

Obtuſura aciem ac iras fractura priores,
Unius ſunt cura viri; jam mœnibus ingens
Prætendit Mavortis opus, munimina denſis
Conſerit excubiis, & crebro fulminat ictu.
Non caviſſe ſatis, jam non avertere muris
Infeſtas contenta minas, jam latius ira
Nobilis ultrices meditatur in hoſtica vires.
Ah! quoties ſtructi nuper de ceſpite collis (agris
Fervere dum latis hoſtem FREDERICUS in
Proſpectat, nunc ipſe manu, nunc viribus ardet
Irruere, & medias primus turbare phalanges?
Conſiliis pugnat, juvenes ingentibus aptos
Cœptis mille legit, caſtriſque hoſtilibus arma
Inferri properata jubet, ruit acta juventus,
Qualiter ablatis fure auſugiente revertens
Inda Tigris catulis rabido inflammata furore
It ruptâ fremebunda morâ, celeremque ſecuta
Raptorem (ſobolis ſtimulant pereuntis amores)
Fertur anhelanti per & invia & avia curſu;
Non tunc acta cohors aliter, perque aſpera ſaxa,
Cœnoſaſque vias, cinereſque, & rudera, colles,
Per tumulos foſſaſque ruunt, nulloque morante,
Qua via nulla, vias faciunt, ſecuraque Sueci
Terribiles quatiunt inopino caſtra pavore,
Pars, quibus excuſſit manibus formido ligones
Dum poſita adverſum, certi pugnare, requirunt
Arma, cadunt, pars una fugam dum conſulit, ipſo
Impliciti proprio ſtructo molimine flexu
Hærent, & turpi cæduntur vulnere tergum,
Cernere erat medias inter nunc corpora glebas
Tota virum, nunc, parte ſolo latitante, videres
Semiviros, ſupraque caput, dum ſtringitur, enſem
Nunc Galeas tantum & galearum in vertice plu-
mas,
Jam nullum jam tota ſimul ſeſe agmina glebis
Ex-

Exſerere & labi rurſus, poteratque Draconis
Quæ ſata Cadmæi fertur de dente, videri
Progenies, niſi quod victrix pars una maneret,
Et ſtrages non pugna foret, cæduntur & , enſis
Cui parcet, veniam ſupplex expoſcit & ultro
Captivas in vincla manus, ne concidat, offert.
Talibus inſignis lætantem cædibus urbem
Turba redit, multoque fluens ſudore triumphi
Ingreditur portas inſtar, pars una bipennes
Hoſtili in cerebro fractas, pars ſquallida jactat
Spicula, dentatæ rubefacta cuſpide clavæ
Sanguineum teſtantur opus potioraque prædis
Funera, & exuviis prælatum cædis amorem.
His ſimul his iterum cœptis iterumque favere
Felici Deus eventu, terraque ſecundas
Et pelago præbere vias, certamque ſalutis
Spem dare ferventeſque animos, ne ſera morentur
Dummodo ſubſidia, & preſſæ ſe ſubtrahat urbi
Expectata diu Batavorum claſſis ab oris.
Fama volat ſolviſſe rates altumque ſecare
Cimbrica mox plenis ſubituras oſtia velis
Auxilio incluſis, jam Portua perſonat omnis
Lætitia, properæque fovet ſpem certa ſalutis,
Exoptat placidas æquor ſulcantibus undas,
Et faciles velis Zephyros, oratque vovetque
Et ſupplex fert thura focis. jam ſingula claſſem
Lux ſe poſſe putat jam quævis hora videre
Senſit, & auxilium ſubita prævertere tentans
Clade Suecus, qua ſe pugna propiore potiri
Deſperat lacerare parat; jam mœnia noſtra
Machina fulmineo circumtonat horrida bombo,
Et cladem late ſpargit, tota æneus ignis
Urbe volat, plateaſque cadens infeſtat & ædes;
Atque aliquis media nunc dum ſecurus oberrat
Forte via, nunc dum tecto ſtetit, ictus eodem

Vixit & effudit vitam cum ſanguine motu
Membra lacer, tremulis fractus præcordia fibris,
Palpantique inter multum pulmone cruorem
Horrorem fletumque movens, nec viſcere ſparſo
Sanguineam potuit conquiri totus in urnam.
Inde alia qui forte micant per mœnia turres
Parte ruunt, alibi celſi faſtigia tecti
Dejicit horriſono ferri vis dura fragore,
Et lateres & ſaxa forat, ſed jam neque Divum
Vitavere domus labem, venit undique dira
Peſtis, ubique volat, tota qui præſtet aſylum(des:
Vix datur urbe locus, metus undiq; & undiq; cla-
Ah quoties cum ſpiſſa ſuis involveret umbris
Nox tectæ faciem terræ, Lunæque nitorem
Sidereamque atra tegeret caligine lucem,
Aëraque inſolitis ſquallerent denſa tenebris,
Ilicet illuxit, refugaque per æthera nocte
Longa repercuſſis patuerunt compita flammis.
Mox, velut æthereus prænuncia fulgura motus,
Horrendum inſequitur tonitru, flammaq; petitam
Percutit oſtendente domum. Danoque Suecoque
Perſonat Æthereus fulmen vibrantibus axis.
Atque aliqua e ſummo dum proſpicit incola tecto,
Flammatoque procul quaſſari diſſita crebro
Pondere tecta ſtupet, dant propria fulcra fragorem.
Pone latus, premit illa pedem & labat, irruit ecce
Alter, & in mediis ſeſe rotat ædibus ignis.

Jamq; alio in ſtragem Suecus ingenioſior urbem
Telorum genere oppugnat; rotat amplus in unum
Immaniſſe mole globus, cui ferrea ventrem
Tela replens totidemque neces & vulnera, plumbi
Pondera Sulphureis ambagibus occuliit error.
Hunc ubi flammivomæ ſurſum furor exſpuit ollæ
Aëra, jam rupit, ſupremaque lumine complet

Nu-

Nubila, ſcintillans ſignat veſtigia ſtridor;
Cum neque jam quo pergat habet, latiſſima circum
Se cœli convexa rotat, mox fulmen ab alto
Labitur, interiuſque ruens ſcintilla tremendo
Diſcutit in mortes totidem quot fruſta fragore
Æneaque exonerat flammato viſcere partu.
Triſtior haud illâ clades, nec ſævior unquam
Sternendis inventa lues tectiſque viriſque
Patre Erebo prognata Stygis ſeſe extulit undis,
Nam ſimul ac medio dilapſum ex aëre pondus
Tecta quatit, tabulata ruunt, fractæque ſoluta
Diſſiliunt compage trabes, diſploſaque circum
Saxa volant, laterumque pluit velut imbre, ſaloris.
Aut trepidis ſpes nulla fugæ, ſed flebile viſu!
Ipſa ferit tumulatque domum Dominumq; ruina.
(das,

Eſt locus Haffniacas dextrum porrectus in un-
Inſula, fœtus ager, dum pax primæva manebat:
Hic tua, curarum, ſi quas dabat otia moles,
Fallere Dano ſtudiis FRIDERICE ſolebas,
Hactenus hanc lævo circumfluus æquore Nereus
Hoſtiles contra furias triſteſque rapinas
Sepſerat, & Suecicis tutam ſecluſerat armis:
Tum ferus, incolumes videat ne libera partes
Haffniæ & infeſtis aliqua ſtet nuda maniplis, (ſtum
Hac quoque parte ferit, levibuſq; per æquora ve-
Puppibus exponit Martem, fumantibus armis
Ipſus adeſt Ductor Carolus, multiſque ſuorum
Ingreditur ferale ſolum, non omine magno
Defuerant præſaga mali, quater impete ſaſto
Mugiit inſolitum Boreas, totieſque ſtrepentes
Invitæ lugubre tubæ ferale ſecutæ
Stragis & inſolitæ ſignum fecere ruinæ;
Ille tamen pergit, rudis armaque ſeque tueri
Neſcia & ignivomi perterrita fulmine nimbi

Agro-

Agrorum tutela fugit. vacuataque victor
Nullius tenet arva Suecus, cædeſque rapinis
Miſcet, & aggeſtis cingens tentoria glebis
Exſultat tumidus latoque vagatur in arvo.
Vidit & incaluit FRIDERICUS, & ocius arma
Arma jubet capere, ultriceſque inferre phalanges,
Exemploque præit, dignum moturus in hoſtem
Ferro ardens tegitur, criſtato vertice caſſis
Auguſtum tuitura caput, ſolemque refulgens
Munit corda chalybs, jamque impavidiſſimus ardet
In medias ſe ferre acies, jamque agmina portis
Extrahit, & tanto demit Ductore timorem
Treicio ſublimis equo, Boreamque Notumque
Antevolans, turmas equitum peditumque catervas
Pone ciet, ferro, pulchrum! ſublime micanti
Prælucet monſtratque vias, mox agmina campo
Stare jubet. jam ſigna movet contraria Suecus,
Nec mora, terrifico litui ſtrepuere tumultu
Et juſſæ cecinere tubæ, concurritur, ingens
Fit cruor, excuſſa ſeſe pars glande tuetur,
Pars ruit in medias ſtricto & furit enſe catervas
Letho inhians, hinc ille, Danam qui ſpreverat iram,
Carolus inflammare ſuos, hinc robore denſo
Urgere & primo FRIDERICUS in agmine dextra
Exemploque præire ſuis, ceu Maura Leones
In prædam ſtimulat genetrix, quos compulit alvi
In rabiem maleſuada fames. brevis inſula mundi
Arctoi tenet una Duces, diverſaque partum
Judicat & tantæ præbet ſpectacula pugnæ.
Nec longum ambiguis hæſit victoria nodis;
Sulphurea fœdata lue ferroque Suecorum (tem
Reprimitur non tota phalanx, pars magna ruben-
Mordet humum, at fruſtra cumulata cadavera
planum
Victori remorantur iter, calcantur, & armis
San-

Sanguineam dant cæſa viam, per funera plures
Quæruntur denſata neces, vitamque petentum
Clamor & in medio liquentum murmure vitam
Auditur late gemitus. exordia fecit
Ipſe fuga CAROLUS, capite inclinante catervæ
Sultzbachio fugiunt Duce, quo non promptior alter
Igni abolere domos urbeſque evertere flammis,
Illum *Vrangelius*, Sueco venerabile Marti
Nomen, perſequitur; poterantque ignava videri
Pectora, ni dignus neque Regi, credo, pudendus
Contigerat victor, nomenque & maſcula virtus
Danigenum vetet eſſe novum vel turpe fugari;
Hôc clades, *Guſtave*, tuas cœdeſque tuorum
Victus & ingentis ſoleris tanta ruinæ
Damna, nec à tali pudeat virtute repulſum
Terga dediſſe fugæ, non te modò Sarmata, non te
Xerxis opes numerumque trahens in prælia Moſchus
Nec Schytà ſub rigidi ſuperavit ſidere cœli,
Felix clade tua, non tantæ nomina pugnæ
Dejectique tui titulos ignobilis hoſtis
Sed *Fridericus* habet, ſuperat *Fridericus*, & acris
Vos *Leo* jam trepidos premit, & fugientibus inſtat.
Hinc Ducis *Urenii* labor, hinc *Aleſeldia* virtus
Non minus elapſos, quam pugnavere, ſequuntur
Fortiter, erumpunt hinc inde patentibus arvis
Turba fugax, ſequiturque Duces ceu Creſſa Leonem
Vel fugit inſtantes rabidorum territa morſus
Cerva canum ferrumq; nocens. Vix denique terra
Nereus ejectos recipit, ſe *Carolus* undis
Debuit & trepidam conchæque fugæque ſalutem.
O fati rerumque vices! ô quantula regnum
Inter & exilium ſtat ſemita? quantula ſortem
Di-

Dividit ad quosvis cumulantem proſpera nutus
Terribilemque mora, & lugubria plauſibus addit?
Talis erat Medus populorum ille horror Eoi
Orbis, Achæmeniæ ultrix dum Græca vires
Fregit, & Arſacido facit de robore funus;
Hei mihi cui nec humo non tèrre nuper & undis
Suffecit natura ſuis, anguſta trementem
Cymba capit, laceræ puppes fractæque triremes
Turrigeræque rates natitant & carbaſa ponto,
Qui nuper pons unus erat, gravis illa virorum
Formidanda ſolo moles, quas viva nequibant
Geſta triumphantes Grajum complevit Amyclas
Jam Domino vitata ſuo. Fortuna natantem
Riſit, & hoc toto votum metirier orbe
Eſt, ait, ac fluidam loris compeſcere Tethyn.

Aſpice læta tuum, fortiſſima Portua, Regem,
Aſpice quo funeſtus pro te, miſeranda, labore
Fortuna comitante redit, victoria criſtas
Læta ſupervolitat, dextram tenet invida virtus
Majorum, atque alias facit evileſcere lauros.
Non modo Chriſtophori tibi victoreſque Canuti
Nec Stenonum virtus aut Waldemaria laudum
Argumenta dabunt, præſentem cerne triumphum;
Dux redit an miles dicas? teſtantur utrumque
Hunc tibi fumanti rorantes ſanguine Criſtæ
Ereptæque aquilæ & victorum munera prædæ
Quæque ſuas captiva ferunt examina prædas,
Inde ſalutari victoria parta ferentis
Conſilio, & fractæ prudenti robore turmæ,
Arvaque tot nuper ſpoliantum infeſta maniplis
Oſtendunt vacuata Ducem, non ille ſuorum
Prodigus illuſtres multo emit ſanguine lauros;
Proſpice qua pugnæ lati per jugera campi
Delegit Mars ipſe locum, quam paucula juſtâ
Cor-

Corpora pro cauſâ jaceant, venere reverſi
Incolumes, niſi quos nimius ſine vulnere fregit
Ardor & hoſtili feſſos ſub ſanguine merſit.

Quam Superis *Friderice* placeat parteſne tuetur
Te cœlum famulante ſuas? Te vindice Divum
Cauſa viget, preſſæque redit vigor inclytus urbi
Juſtitiæque ſuus, tibi, ne qua hoſtile feriret
Fulmen & injuſſi raperet violentia fati,
Vidimus in muris & aperti tramite campi
Tela dediſſe viam, curvoque inflexa volatu
Sacratum vitaſſe caput, quin ſæpe lacertis
Inſidiata tuis taciti cuſtodia fati
Spicula tantiſper repulit grandemque redemit
Vilia ſubſtituens aliorum funera, vitam.
Quo ſteteras cecidere loco, nunc blandior æther
Subdidit hoſtiles Dana pro cæde catervas,
Quaſque tibi ſtrages gens perfidioſa pararat
Authores manſere ſuos, en libera Sueco
Arva vacant, niſi qua ſe parte cadavera tollunt
In collem & ſquallent madefacti ſanguine campi.

Macte novis iterum Rex inclyte macte trophæis.
Hinc tibi vindictæ ſeſe ingerit ordo: quid icti
Fœderis atque ſacri ſit frangere vincula pacti
Virtuteſque tuas iramque laceſſere, Suecus
Clade ſua didicit, diſcatque ô pluribus illud
Et toties dubiæ magno in diſcrimine ſortis
Spectatæ virtutis honos ſperare Deoque
Cauſa ſuo ſubnixa jubet, fortunæque ſemper
Auguſtum comitata latus, nec perfida cœptis
Hactenus, hoc altum læto ſuper æthera plauſu
Læta ſalutatis quæ funditur obvia ſignis
Turba vovet, Patriæ vocitat pars altera Patrem,
Pars Cimbri columen generis, pars Martis amorem

Et

Et Superum, lætas variant nova gaudia voces,
Votaque confundunt hic tali vindice noſtras:
O! ait o tandem recreet pax aurea ſedes
Et miſeras abigat clades, ut Patria dempto
Exſultet ſecura jugo, faciemque ſerena
Altius e mediis ſurgat rediviva ruinis.
At cui digna animis & pectore nobilis alto
Ira ſedet, Patriæque movet ſqualentis imago,
Inſolitumqve nefas ruptæque injuria pacis
Extimulant animos, Regni ſecurus & urbis
Jam Süecicas ardet Duce Te perrumpere cautes,
Infeſtaſque inferre aquilas, alibique cadentem
Ulciſci patriam & perjuras ſumere pœnas,
Hoc vovet, hoc ſperat, cœptis ingentibus alter
Applaudit, pars vota facit, confundimus omnes
Verba reſurgentis Patriæ, quin noſter Apollo
Auſpicio addicit dextro, cœptiſque faventem
Veridico canit ore Deum, pluresque triumphos
Spondet & innumeras cumulant præſagia lauros.
Fallor? an applaudens magnis conatibus æther
Argumenta procul dedit, obſcuroque fragore
Intonuit lævum? certe quoque nubibus alte
Sulphureis ſubvecta venit, qualique fremore
Intonuiſſe ſolet diſploſo machina ferro,
Tali Fama ſono victrices credere puppes
Eſſe prope & Batavæ cogit ſolatia claſſis.
O Superi ne falſa ferat, ne gaudia tanta
Altera deluſis corrumpat nuncia vanæ
Fama ſpei, & reduci redeat diſcrimine major
Lætitia fruſtrante dolor, ſatis eſſe laborum
Creditis? an Dana minus eſt virtute periclum,
Quam quater impleto vacuo quater aſpicit orbe
Cynthia bellantem & longas per mœnia ſtantem
Excubias, non illa tamen ſe Marte levari
Deſidioſa petit (ſedet ira ac nobilis acres

Vindicta exſtimulat) ne Martius impetus olim
Deficiat nimioque labet ſub pondere cervix,
Subſidium gemit & vires crudelia contra
Jura famis, non turris eam non mœnia mille
Excludant munita feris, plus illa timoris
Quam Suecicus Mavors & circum mœnia fuſæ
Injiciunt acies, noctesque dieſque tonando
Mulciber attonitis ſpargens incendia tectis.
O bene non longo nos ſpes utrobique labantes
Suſpendit permixta metu, jam clara ſonorâ
Fama tubâ trepidam perfundit plauſibus urbem,
Victriceſque ſimul Codano in littore claſſes
Nunciat oſtenditque manu, lætoque relaxans
Ora ſono caſus victorum atque ardua bella,
Et, quo conſtiterit tantus ſudore triumphus,
Exponit memorans atque ordine ſingula fatur.

Diſpulerat tenebras undis emerſus Eois
Cynthius, & roſeo ſolito ſplendentior ortu
Claſſis inaurabat turgentia vela Batavæ
Jam cupidæ armorum, jam dira parantis in hoſtem
Fulmina, ſtat clauſas anguſtæ littore faucis
Vi terebrare vias, ferroque ignique minaces
Rumpere Codani cuſtodes littoris alnos;
Cum Dea laurifera frontem redimita corona
Et palmis decorata manus, centumque trophæis
Virgineum ſuccincta latus, Victoria, juſtas
Certa ſequi partes, ſibi ne non omnia ſternant
Prona viam & poſitis famulentur fluctibus undæ,
Officioque juvet vaſti Rex Æolus antri,
Accingit ſe grata viæ & pernicibus alis
Æoliam ſubvecta petit, tantuſque volantis
Impetus eſt, quanto nunquam Boreaſq; Notuſq;,
Cum licet & laxas Rector patefecit hiatus,
Iſſe queant, acies oculorum lubrica fallet

Si volet, & ſolem cum tu petiiſſe cadentem
Credideris, petitque retro conſiſtet in ortu.
Jam loca contigerat, clauſos ubi carcere nimbos
Comprimit Hippodates, tempeſtateſque ſonoras
Flaminaque æratis reprimit luctantia clauſtris,
Ipſe ſedet celſa Pater & moderator ab arce
Nimborum fremitus ſceptroq; potente gubernat:
Cui Dea, ventorum, pars o tu maxima noſtri,
Rector, ait, quonam tantus rigor uſque favorem
Officiumque negat, tantæque exordia pugnæ
Et pulchrum ſuſpendit opus, quod quarta Batavas
Luna videt vario jactatas turbine claſſes,
Ambiguaſque vias vix per ſæviſſima nuper
Littoris Arctoi diſcrimina denique pugnæ
Inveniſſe locos vetitiſque meatibus hoſtem.
Sit ſatis, hic poſito demum manſueſce rigore,
Et genti placare meæ, ſatis eſſe pericli
Credo, nec indigno noſtri ſudore triumphi
Conſtiterint, alias armis Mavortia rumpent
Agmina Termopylas, borealis nomina ponti
Mutat ibi anguſto ſinuans ſe tramite Nereus,
Jamque Sueco dat colla jugo, dat terra recluſum
Utraq;, compedibus vinctum tenet utraq;, celſas
Hinc Scanus hinc celſas præfert Sælandia rupes
Ignivomaſque domos, quas circum Suecica ſeſe
Robora tranſverſis lunant in cornua proris.
Hac mea tranſgreſſum parat, hæc diſcrimine tanto
Quæſiit arma cohors, tanti ſervare putavit
Illa fidem & ſociis conjunctam nexibus Arcton;
Tu modo felici cœptis ingentibus aura
Aſpires, ſolidi reprimantur carceris antro
Luctificuſque Notus, nobiſque adverſa tepentis
Vis Zephyri, Caruſq; fremens, creberq; tumultu
Africus, et noſtris Boreas qui ſerviat aliis.
Aſpicis ut placidam præbet conatibus omnis

Se rerum natura meis, ut Cynthius ortu
Irradiet meliore diem, paſſimque reſultans
Lux modo venturis præludat Eoa trophæis.
Cymothoe placidis palpans vada cærula plantis
Me mulcet veniente truces & leviget undas
Ne quid adhuc deſit cumulatis ſemita fiat
Pronior officiis, jam te mandante (ſed omnis
Noxia nempe mora eſt) properantem optata, quid
obſtas?
Ad mihi dilectas comitentur flamina claſſes.
(tur

Dixerat. Hippodates properam ne longa moræ
Vox, ait, auxiliis, en ſum tuus, utere noſtris.
Et ſimul emiſſum patefacto cardine clauſtri
Flare jubet Boream, volat irrevocabilis ille,
Non tamen aut quali Schyticis immurmurat arvis
Impetu, vel Lybici pugnæ contrarius Auſtri
Sicaniæ attollit aquas, ſed cuncta ſtringens
Æquora contiguo permiſtus provolat Euro.
Jamque tenet claſſem, jam vela tumentia complet,
Agminaque ignivomas hortatur in hoſtica proras.
Ductor ubi optatos ſpirare in carbaſa flatus
Et cæli tranquilla videt, jam ſplendida læto
Præſumens animo ſperatæ præmia lauri,
Gens, ait, ægelidum mecum tolerare per undas
Sueta Jovem, Caurique inter Boreæque tumultus
Et rapidos tranquilla Notis turbantibus æſtus
Excubitûs ſervare vices, ſortemque per omnes
Quærere Mavortem caſus, en denique votis
Lux fulget ſperata meis pretiumque laborum
Allatura nitet, non jam contrariis paſſis
Littora vel quartæ ſubeant diſcrimina lunæ.
Nil erit æquoreaſque moras aut flebre Notorum
Hoc pretio violenta pati, ſi maxima conſtat
Partum, ſi Batavis ſervatur claſſibus Arctos;

Hæc

Hæc nobis, juſtæ tanta eſt fiducia cauſæ,
Lux præſens, gaudere, dabit, qua ſentiet hoſtis
Quid ſimulare fidem fictaque abſcondere pace
Bella ſit, & lubricis fraudes involvere pactis,
Indignumque gemet ſcelus & fruſtrata nefandæ
Præmia perfidiæ, ſi toti Suecia mundo
Criminis horrendi ſpretæ fideique Deique
Argumenta dedit, toti quoque Suecia mundo
Quam nihil inſidiis tutum, quam nulla nefandis
Aſtibus & Pœnâ ſecura licentia fraude
Exemplum punita dabit, totumque docebit
Seſe orbem innocuæ ſtudiis adjungere cauſæ,
Vel, reliquus juſtas ſi partes deſerat orbis,
Hanc Batavum præſtare fidem, quæ cauſa nocendi
Quæritis? ulciſci properamus crimina ruptæ
Pacis, & exitium ſocii prævertere ſceptri:
Hoc Pietas, hoc ſancta Fides, hoc juſta popoſcit
Cauſa patrocinium, ſpe noſtræ maxima tantum
Portua conſtat opis, quartumque pericula menſem
Circumceſſa tulit, ſed nunc prope feſſa Batavam
Illacrymans implorat opem, penituſque negatis
Frugibus extremo fruſtra Mavorte repugnans
Exſuperanda fame, ſociæ promiſſa gemiſcens
Inclamat fidei & Batavorum in littore claſſes.
Non minus ardenti, miles generoſe, vigore
Te pugnis accinge novis, quàm cura tuendæ
Cum juſſit Patriæ libertatiſque Cupido
Et Superum ſuaſiſſet amor, certamina nobis
Ille parat, ſociam temerato fœdere gentem
Qui premit, & quiſquis liberrima pectora Cimbros
Servitioque jugoque petit belloque laceſſit,
Provocat & Batavos, ſed enim, quod littore Nereus
Anguſtet coeunte vias, adverſaque circum
Roſtratæ Sueonum puppes caſtella coronent,
Creditis, ut trepident Batavorum pectora, dignum?

Nem-

Nempe nihil veteri parti virtute triumphi,
Totque ſimul terra ductæ & famulantibus undis
Victrices ſubeant aquilæ? fregiſtis Iberum,
Et Tarteſſiacæ Majeſtas tanta coronæ
Saucia deceſſit non uno vulnere Belgis:
Nempe magis *Caroli* quàm formidanda *Philippi*
Vis erit, innumeris quem toto claſſibus orbe
Exuimus, nunc teſte Thola, nunc teſtibus Indis,
Nunc Britonum ſpeculis, cum viribuſq; minores
Merſimus Heſperias in Hyberno littore claſſes.
Singula quàm memorem referens prius ipſe loquentem
Deficiet cum ſole dies, nunc grandius urgens
Inſtat opus, poſcitque viros fortesque Batavâ
Inſtructas virtute manus. *Opdammius* Heros
Dixerat. ardentes Martem cum claſſica dulci
Excivere rates fremitu, longumque morari
Eſt viſum, tunc fila gemunt laxata rudentum,
Totaque diſpanſis obnubit littora velis
Claſſis, & æquoreas ſe promovet alba per undas.

Inde ubi de vetito coeuntis littore faucis
Hoſtica lunato patuerunt carbaſa flexu,
Tunc flammæ micuere ſimul, ſimul impete diro
Machina detonuit, ſeſe acta per æquora nubes
Alba rotat, ſonat horrendum balliſta, ſuiſque
Ordinibus diſploſa tonat longeque laceſſit
Hoſtiles iterata rates, interque tonandum
Accelerant ſeſe & Borea comitante propinquant.
Primus ibi ante omnes celſa ſe puppe ferebat
Wittinius, primos fracturus fulmine motus
Et vetitum rupturus iter, ſimul omnia pugna
Miſceri, laterique furit latus acre, tonitru
Fulmineque immodico fumantibus excitus undis
Nereus, & cœli tremefactus inhorruit axis,

Et magis atque magis gravis increbeſcere magno
Machina cum fremitu, ſed nec minus ipſe furoris
Succus alit, diro reboat catapulta fragore
Horribile, innumeriſque vomunt incendia portis.
Tum totæ coiere acies, tunc impete magno
Utraque colliſas tremuerunt littora claſſes,
Et mare Sulphureis atque atris nubibus æther
Delituit, tum volvunt ſe nubila ponto
Eripiuntque ratem oculis, rariſſima tantum
Carbaſa & ex ipſis veluti pendentia cœlis
Vela parent, crebro prodit ſe fulmine puppis
Inferior, rutiliſque latens micat ignibus alvus.
Non alio potius Batavorum tempore virtus;
Non alio Suecûm ſeſe furor horridus orbi
Prodidit, accipiunt redduntque minacibus ictus
Ordinibus, piceis ſeſe glans horrida coſtis
Ingerit & triſti terebrat tabulata fragore.
Antennaſque viroſque rapit, tabulaſque volantes
Avulſaſque trabes Dominorum in vulnera laxat.
Nec mora cum propius juncto diſcrimine pugnæ
Incumbit ratis una rati, quem pugnet in hoſtem
Deſignat ſibi quiſque ſuum, tunc denſius acta
Tela globiq; nocent, tunc cominus horridus uncus
Implicat æratis vicinas nexibus alnos:
Utraque contiguas pars expugnare carinas,
Utraque tutari proprias, tunc ſanguine Tethys
Erubuit, pictaſque fluit profuſus in undas
Perque foros puppeſque cruor, laceratque diris
Ictibus aſperſo deſtillant corpora tabo;
Per facies centum ſævus diſcrimina Mavors
Prodigit ingentes animos: huic ferrea rumpit
Glans caput, hunc media ſpargentem viſcera puppi
Excutit, emiſſum dum circumfuſa reſorbent
Æquora ſanguinei complent exordia fati
Semineoſque rotant moles & grandia volvunt
Cor-

Corpora, & ambuſtos undis jactantibus artus;
Par puppes fortuna manet, dumque hoſtis in alnos
Eruptura fovent incendia, ſeque perire
Perſuaſæ, hoſtili properant impendere fato,
Sulphureos cineres & ſtuppea vincla picemque
Vulcano rapiente micant, diſruptaque puppis
Flagrat & in medio cumulans nova funera ponto;
Stat Ponto diverſa lues, pars ſaucia centum
Admittit ſua fata viis, fluctuſque ruentes
Perniciem bibit ipſa ſuam, medioque rotata
Gurgite in æquoreum fertur (lacrimabile!) fun-
Hei mihi non iſtas virtutem maxime clades (dum.
Witteni vitaſſe tuam? Debere nefando
Te quoque perniciem pelago! proh irrita virtus
Martia, & injuſti major violentia fati!
Te quoque deſtituit crebris impulſibus alnus
Rectorem lacerata ſuum, ſpoliumque profundo
Mergitur, at damnis partum gravioribus hoſtis
Grande cadaver habet. Nec te fortiſſime texit
Aſſiduus *Florene* labor, dum juſſa per altum
Diſtribuis, dum cuique ſuas prudentia partes
Suggerit, & fortes monitis exſuſcitat iras,
Nec minus exemplo ſtimulat, pila ferrea venit
Tuque jaces, duplex medium per corpus eunti
Facta via eſt animæ, tunc ingemuiſſe Gradivus
Creditur, & gemino pectus licet ære revincta
Gradivi Bellona Soror proſtrata duorum
Funera conſperſo lacrymis fleviſſe Galero.
Ipſa quoque occultos ſenſit perterrita motus
Battavia, & rigidæ vix dum bene conſcia pugnæ
Horruit & dubio trepidavit *Portua* luctu.
Illuſtres animæ: ſeu jam nova ſidera Marti
Additis, Herculei ſeu vos amplexa Leonis
Aſtra tenent, ſeu Gnoſſiacæ dat flamma coronæ
Hac dignum virtute locum, ſeu, luce retuſa

Tyndaridum patriis mutatis ſidera nautis,
Vos æterna manent præconia. ſi quid ovantes
Aonidum valuere chori, viuetis, &, orbem
Quà rotat immenſi circa ſpatia utraque mundi
Cynthius, æternam ventura in ſecula famam
Pierius præſtabit apex, vos tempora quondam
Sera ferent noſtro vitam impendiſſe labori,
Inque ſuis olim leget immortalia faſtis
Nomina poſteritas Danæ permiſta ſaluti.

Tunc vero indignans certis Victoria pennis
Plena venit, tunc tela rates ultricia magnâ
Dilacerant rabie, prorisque ac puppe cruorem
Præcipitant, grandeſque, ira frendente, duobus
Inferias mactant: ducibus, non altera tantum
Sanguinis aut crudi volverunt littora tabi.
Vix movet abſtruſas cumulatis Nereus undas
Corporibus, tabulata fluunt, diſperſa crematæ
Membra ratis tepidum fumant exſtincta per æ-
Nec modo disjecti claſſis lacerata Suëci (quor,
Victrices tolerare manus, jam littore toto
Fit fuga, velorum ventos fruſtrantur hiatus,
Textaque ruptorum puppes diſcerpta rudentum
Pone trahunt, ſummo ſeſe pars aëre jactant
Deficiuntque manus, ſupra quæ infraque ruentes
Excutiunt proprio permiſtos ſanguine fluctus.
Inſtat ovans trepidis victor, pelagoque volentes
Ejicit, ambiguo nutantia roſtra volatu
Vix Batavo demum Marti & victricibus iris
Subtrahit ac fido recipit *Landſcronia* portu.
Tunc verſæ ſubiere rates, partiſque laborum
Haud levium ſudore viis vacuoque potitæ
Æquore frugiferas ſecuro limite puppes
Tranſmittunt, velis ſubeunt plaudentibus illæ
Oſtia & invictæ produnt ſeſe eminus urbi.

Si

Si mihi centenis reſeraret vocibus ora
Delius, & ſacræ ſinerent Aganippides amnes
Phocidis, atque omnes Helicon deſtillet in undas,
His tamen aggrederer vano conamine voces
Lætitiis afferre pares, quibus exſilit omnis
Portua & aſſidui ſolatur damna laboris,
Utque juvant inopina magis mœſtoſque relaxant
Gaudia plus animos, urbs infremit excita, nullo
Lætitiam capiente modo, ſimul omnis ad æquor
Turba ſalutandis effunditur obvia velis,
Concelebrantque fidem, certatim ad ſidera junctis
Ingeminant plauſus manibus, fructuſque laborum
Et fidæ virtutis habent, jam tempora nulli
Dinumerare libet, duras quibus Haffnia turbas
Mœnibus arcuerit, queis frigoribuſque Jovique &
Hoſtibus expoſitus vigiles per mœnia ſtando
Egerit excubias, veterum vis læta laborum
Occupat immemores, jam curis obſtrepit altus
Tecta per & plateas per & aëra & æthera plauſus;
Lætaque præteritos abolent oblivia luctus.
Sed fugit, & celeres in Iberum Cynthius æquor
Urget equos properans potioraque gaudia curſus
Dividit unius ſpatio, non creditur omni
Lætitiæ lux una ſatis, ſua cuique diei
Diſtincturus abit, lætoque immergitur undis
Omine; ter viſus radio meliore coruſcus
Exſultare fuit, ter ſubmerſiſſe quadrigas
Creditus e mediis rutilans apparuit undis.

Quid modo disjectum miremur viribus hoſtem,
Cum ſolo terrore ruat, cum mille virorum
Perficiat timor unus opus. Prænuncia Phœbi
Altera prodierat ſed adhuc dubitabilis Eos,
Cum muris nova fama volans nova fama per ur-
Labitur, & lætis implet rumoribus aures, (bem

Infelix primum fidei, non optima quamvis
Lætaque gaudenti fata exſpectantibus urbi
Credita, res ſomno ſimilis lepidoque videri
Ficta joco, atq; aliquis: falſa ſub imagine Morpheus
Num miſeros fruſtratur, ait, mentitaque ſeſe
Ultra fallaces extendunt gaudia ſomnos?
Iſſe Suecum? Mox vera fides, iterataque rerum
Nuncia funeſtis averſum mœnibus hoſtem,
Caſtra fugâ deſerta canit, vacuataque circum
Arva cruentatas Suecorum neſcire phalanges.
Qualiter Iliacis olim exſultaſſe triumphis
Græcia cognatæque queunt plauſiſſe Mycænæ,
Tum cum Victori reparatum pignus Atridæ,
Trojaque funeſto Marti & pugnacibus annis
Impoſuit fumans finem, vel qualibus arces
Auſoniæ fremuere modis, Tarpejaque rupes
Exſiluit Latio refugis a limite Gallis;
Talibus æthereos attingit plauſibus axes
Haffnia ovans, quodcunq; prior lux triſte reliquit
Aufugiens ſecum hoſtis habet, jam fronte ſerena
Ceu victrix non victa fremit, longoque reſolvens
Corda metu ſperare novis ſucceſſibus Arctos
Incipit optatam cum libertate ſalutem.
Quid modo Trojugenas geminati tempore luſtri
Credimus Argolicos magnum toleraſſe furores?
Cogeret ipſe licet grandes Gradivus in unum
Europæque Aſiæque minas, & robur Achivum
Velivolaſque acies Ultrix tranſmitteret Argos,
Atque Agamemnonius terras & littora terror
Compleret, premeretq; fugam, plus æquora mille
Claudebant cognata rates, inde agmine denſo
Cinxerat Argivus turres ac Mœnia Mavors
Pergamidum, crebroque inſtabat machina pulſu
Nequicquam, quid enim, ſi vis humana Deorum
Debellaſſe operas nequeat, miremur? at horum
Re-

Rector ſtruxit aquæ ſociato mœnia Phœbo,
Aëriaſque alto turres eduxit Olympo,
Ut quantum ſummo tolluntur ſe culmine in auras
Æthereas, tantum retro demerſa ſub imo
Fundamenta ſolo latis ſecura laterent.
Sed quid in Hafniaci firmum munimine muri?
Mœnia quæ primum, quæ propugnacula noſtras
Diſtinxere hoſtemque domos? te *Petrus* bina
Illuſtrat virtutis honos, laudemque ſtruentis
Et tutantis habes, duplicis tibi gloria palmæ
Competit, & gemini debetur fama triumphi.

Tum vacuos vidiſſe locos fumantiaque arva
Ire juvat, populis vici, murique teguntur
Matribus, e portis omnis ſe proripit ætas
Et ſexus, tantis nunquam concurſibus Elis
Pulverulenta ſtetit, celeres cum Græcia denſe
Confluerет mirata rotas, omneſve relictis
Sedibus Iſthmiadum peterent ſpectacla Mycenæ.
Omnibus idem ardor, circum exſpatiata per agros
Funditur, & vacuis fertur gens libera campis,
Eductos ſpeculans tumulos, ſinuoſa profundo
Caſtra ſolo & variis in ſe redeuntia ſpiris
Antra ſtupent, qualis Phrygiis Mæander in undis
Ambiguum perturbat iter, nunc littora verſus
Urget aquas, refluus ſed nunc ambage retorquet
In fontem, nunc pone ſequi, nunc vortice rotari
Cogit & incertis miſcet ſibi fluctibus undas.
Talibus hic ſeſe curvans erroribus acti
Per terras cumuloſque ſpecus.
Hic erat a muris locus erumpentibus olim
Commodus, hic pugnæ ſolitus, ſeſe eminus illic
Ænea Sulphureis librabat machina nimbis.
Sed ferè ſola oculos rapiunt munimina nullis
Expugnanda virum manibus, quæ vimine denſo

...uxitaquæ ſociato mœnia Phœbo,
...alto turres eduxit Olympo,
...m ſummo tollunt ſe culmine in au...
...antum retro demerſa ſub imo
...ſolo labis ſecura laterent.
...ci firmum munimine muri...
...quæ Propugnacula noſtr...
...domos? te *Portua* binæ
...laudemque ſtruentis
...is tibi gloria palmæ
...etur fama triumphi.

...os fumantiaque arva
...rique teguntur
...ſe proripit ætas
...n concurſibus Elis
...s cum Græcia denſe
...omneſve relictis
...ent ſpectacla Mycenæ.
...um exſpatiata per agros
...gens libera campis,
...s, ſinuoſa profundo
...edeuntia ſpiris
...ygiis Mæander in undis
...nunc littora verſus
...c ambage retorquet
...i, nunc ante rotari
...i fluctibus undas.
...roribus acti
...cus.
...mpentibus olim
...litus, ſeſe eminus illic
...machina nimbis.
...t munimina nullis
...s, quæ vimine denſo
M-

Miſcuit & multâ circum prærupta palude
Mira laboriferi ſolertia fecerat hoſtis
Aſpectu trepidanda viris, prope pulſa recurſat
Formido, mirumque minus metuiſſe videtur
Et tantis pugnaſſe animis, tum denique rurſus
Exſultare juvat ſubit à diſcrimine major
Lætitia, & refugi facies inopina pericli
Gaudia ludenti miſcet majora timore.
Gratia cœlitibus! nunc libertatis & urbis
Aſſertæ per Templa Deum per mœnia plauſus
Argumenta ſonant, deſueto ainnula rurſus.
Æra Deum clangore canunt. nunc, ite, licebit
Ite quibus cœlum ſupremaque Numina curæ
Exorare fuit ſæviſque obſiſtere fatis,
Ite, tulit lætus reſponſa petentibus æther,
Et votis majora tulit. quin tu quoque tandem,
Quæ velut everſa nuper miſerabilis urbe
Luridaque & nigris ſuccincta pavoribus alas
Terrueras late populos, nunc lætius exi
Verior, & Rheno dic & cum plauſibus Albi,
Dic Tameſi, dic, Fama, Tago: ſervavimus urbem.
Tuque age, ſi quando Divum clementia votis
Aſſenſit miſerata tuis, hunc, Dania, feſtum.
Hunc album tibi crede diem, qua liber iniquis
Nexibus excuſſo gaudet Septentrio fræno
Indignum poſuiſſe jugum; niteat illa ſalutis
Natalis lux, Dane, tuæ, quin Cimbrica quondam
Progenies, ſeris quam ſpondent tempora ſeclis,
Hunc celebra plauſura diem, quo maſculus ardor
Majorum Socii juncta virtute Batavi
Ad tua continuat Pruavorum tempora faſces.
Quin ubi manſuris Mavortia nomina faſtis
Legeris & tantis defunctas cladibus arces,
Fer grates Batavo memor, hic infanda timentem
Et vix extrema arcentem virtute ruinas
Aſſe-

Aſſeruit victor pelago, vetitique recludens
Ora ſinus patriis avertit mœnibus hoſtem.

Macte novis Cimber ſtudiis quàm parta tenere
Laus fuerit quæſiſſe minor, tibi cura tuendi
Prima fuit, vindex illi ſucceſſerit ardor;
Ipſe nec his orbis ſtudiis nec diſſidet æther
Quin magis in juſti ſuperos commercia belli
Europæque trahis vires, dum Rhenus Ibero
Jungitur atque Aquilis gliſcunt ultricibus iræ,
Sarmataque invicti commiſtus Marte Boruſſi
Communi fervent odio. licet hactenus armis
Invia vitata ſe paupertate tuetur
Suecia, denſatas tamen effervеſcere turmas
Et rigidas video perrumpi milite cautes,
Cui nec honos operum nec merces ulla laborum
Præda, ſed ingentes acuit vindicta furores
Infandos ultura dolos, patriamque petitam
Fraudibus & Pœno deluſum fœdere Regem.
Aſpicis ambiguo dum pacem fœdere ſolvit
Teque dolis *Friderice* petit, quam ſidere lævo
Indignis vetitæ ſuccedant fraudibus artes
Deteriore via, ſeu jam *Rensburga* jubetur
Sive peti fauſto *felices* nomine *turres*,
Seu ferro ſuccinctus adeſt poſitoque pudore
Non reditura tuis circumſerit agmina portis,
Codanaſque jugo tenet haud ſua littora fauces,
Undique pulſus abit, dubium gravioribus ipſum
Cladibus afficiat mare, majorine pudore
Terra notet; ſævis pugnat fallacia fatis,
Cumque dolis ſimili bellant diſcrimine vires.
At tibi pro juſtis quatienti partibus arma
Omne favet cœlum, cumulatis fauſta geruntur
Prælia divorum ſtudiis, Tibi Marſpiter enſem
Exacuit, rutila pro Te Tritonia pugnat

Cuſpide, & obverſis ulciſcitur ora colubris
Inſidiata Tibi; Doctis a Phocide turbis (tum
Phœbus & Aonidum venit agmine, noſque juvan-
Pars aliquanta, ſumus. Felix, ſtudiumque faventis
Sis cœli, FRIDERICE, diu, gentiſque ſuperſtes
Eſſe Pater dignare tuæ, nec Martius ardor
Occupet Aonidum natas ad commoda vires.
Sic tibi, ſanguineum cum propulſaſſe Gradivum
His, quibus afflavit bellorum incendia, terris,
Perdomitoque datum frænos obtrudere Sueco,
Pacis amans & jam præclaris fœta triumphis
Gloria tranquillæ reparet placidiſſima vitæ
Tempora, perpetuos fortunatura Nepotes.
Tum ſimul emerita dignam virtute tiaram
Aſtra ferent, noſtræque olim Sol aureus oræ
Heſperiis occumbet aquis, rediviva tenebras
Lux fuget, & Phœbum referens CHRISTIANUS Eoum
Nos patria virtute regat, ſpectataque Cimbri
Creſcat Hyperboreis pietas addicta tiaris.

FINIS.

AD DOMINUM
PETRUM COMITEM
DE GRIFFENFELD.

Panegyricus 1675.

Ergone Pierios dudum deſueta furores
Pectora, Muſa, novo gaudes animare calore?
Hoc mea tam ſubito ſaliunt præcordia motu? (nas
Hæc mentem nova flamma agitat? properare nove-
Ex Helicone Deas, ipſumque accedere Phœbum,
Cortinam mugire Dei, delubra patere,
Credimus? an vana turbantur imagine ſenſus?
Ipſe venis, Thymbræe, venis & ſponte ruenti
Addere amas ſtimulos, cupidamq; incendere men-
tem
Igne ſupervacuo: dum GRIFFENFELDIUS or-
Pervolat & nullo definit limite famam, (bem
Difficile eſt laudes non ſcribere. Cantet Achillem
Mœoniæ vox alta tubæ, quem Troja ſatigena
Unica, non virtute virûm, ſed fraude Pelaſga
Obruta, vix gemino didicit ſuccumbere luſtro;
Exulis acta Ducis divini Muſa Maronis
Laudibus extollat fictis, & ſecula turbet;
Statius ignavi commendet Cæſaris arma;
Et Peluſiacæ tumeant Stilicone Camœnæ;
Nos veri manifeſtus amor jam nota referre
Impulit, & pulchri dedit argumenta laboris
Quæ ſuperent quoque viſa fidem. Sua præmia
quamvis
Ipſa ſibi tribuat Virtus, neque creſcere Vatum
Ingeniis, Clariove queat ſplendeſcere cultu;
Hoc tamen audaces campo tentare quadrigas

Nobilis ambitio ſtimulat, pigrumque pavorem
Degenereſque metus ſublimis gloria cœpti
Diſſipat, arenteſque replet ſpes maſcula venas.
Tandem igitur nobis toties conſuete vocari
Phœbe vale; radios veteres ſolitumque favorem
Deprecor: Aonias longe diſcedere Divas
Atque Aganippæos patiar requieſcere fontes:
Nil puto nos Cirrha, nil Phocide poſſe juvari,
Vi graviore opus eſt, præcordia major Apollo
Impleat, Icarii ſi non fortuna volatus
Et Phaetontæi placeant veſtigia currus.
 Quem canimus, VIR MAGNE, fave; nos blanda favoris
Aura Tui avulſos terris ſuper æthera Tecum
Evehet & ſpatio non inferiore locabit,
Quam quo Mæoniæ felix audacia pennæ
Alaque Dircæi potuit contendere Cygni.
 Vos mihi ſublimes animæ cognataque cœlo
Pectora, divinæ qui lumine mentis in ipſis
Sideribus noſtræ legitis myſteria vitæ,
Queis Babyloniaca ſubductus calculus arte
Fatorum ſecreta, minas, promiſſaque prodit,
Clauſaque inacceſſi penetralia pandit Olympi:
Dicite, quo cœli Decus immortale Danorum
Ediderit natura ſitu; cunctæne ſereno
Obtutu luxere faces? pulchroque micantes
Ordine perſpicuo conſpiravere favore
In Puerum, extremo quem Virtus edere niſu
Ipſaque propitium vellet Fortuna mereri?
 Primus ibi illuſtri venerandus lumine vires
Exeruit Sol ipſe ſuas, qui præmia magnis
Digna animis ſperare jubet; ſe Jupiter illi
Jungit, & excelſæ dat mentis munere ſummis
Terrarum placuiſſe Diis, fulcire tiaras
Conſiliis, fatumque ſuum diſponere Regnis,

Mercurius neſcire nihil, das creſcere ſemper
Cynthia, fœcundos promittit Falciger agros,
Mars animum & pulchros generoſi pectoris ignes,
Se Venus & Veneres omnes omneſque lepores
Et Decus & nullis ſpectanda impune Deabus
Lumina dat; nulli parco licet eſſe Deorum,
Nec ſegnis Lucina fuit: cumulata tot uno
Pectore dona Deûm producere gaudet, & Orbem
Demeruiſſe ſibi; tandem Lux ergo Trionum
Naſcitur. O Magna felices Prole Parentes!
Felicem Patriam! cui non mortalis honorum
Acceſſit cumulus. Jovis incunabula Cretam
Nobilitant, nato celebratur Apolline Delos,
Ogygiæque ſuo felices Hercule Thebæ.
Nec piguit jactare Viros: Cicerone ſuperbit
Arpinas, mundoque caput Stagira Sophorum
Imputat, Annæos Hiſpania, Sparta Lycurgos
Prædicat, in ſeptem diſcedens Græcia partes
Litigat & geniti titulum defendit Homeri.
At tibi major honos, & certior, Haffnia, conſtat
Gloria, ni metuis: dubiam tibi reddere palmam
Nec Salamin nec Smyrna poteſt. Si Roma Catones,
Ingeniumque ſui memorant Solonis Athenæ,
Tu quoque jam priſcæ ſupra præconia famæ
Quo celebreris habes. Nuper virtutis avitæ
Materiem fortuna dedit, cum ſtaret in armis
Bellator Boreas, ſpectantem cominus hoſtem
Mœnibus arcebas ſubitis, laudemque ſtruentis
Et tutantis habes; non ferreus ignis, & ipſe
Mulciber attonitis ſpargens nova fulmina tectis
Virtutes fregere tuas; invicta ſtetiſti
Et varios dextro meruiſti Marte triumphos;
Sed tamen hæc bello, nunc Pax tibi publica quan-
Debeat oſtendis, gemino tibi nomine fama (tum
Creſcit & illa tuis accedit adorea lauris.

Eſt Dea ſtelligeri ſoboles auguſta Parentis, (gum,
Arbitra terrarum & Rectrix PRUDENTIA Re-
Cui Pater Omnipotens, quicquid male docta vetu-
In plures partita colit, dedit omnia ſoli, (ſtas
Et moderaturas orbem commiſit habenas.
Illa animos tanto dignos oſtendit honore,
Fœto amplexa ſinu quicquid Virtutis & artis
Tot potuit feciſſe Deos. Nil gnava moratur
Otia, doctrinæ latebras umbratilis odit,
Conſpicuos actus & quo clareſcere poſſit
Lumen amat, nutu fortunam ducere, fortes
Ingenio ſuperare manus, moderamine cauto
Vires ferre ſuas, recte virtutibus uti,
Et præclara nocens in Pharmaca vertere virus
Officii putat eſſe ſui. Centum artibus illa
Et juvat & punit, ſpretoque incognita vulgo
Imperiis arcana probat, palatia tantum
Incolit & ſummis gaudet conſueſcere ſceptris.
Hæc, VIR MAGNE, tuis aſſedit proxima cunis,
Et puerum complexa ſinu, felicibus, inquit,
Auſpiciis ordire diem, qui nobilis olim
Lux eris, & patrio ſidus rutilabis in axe.
Te quamvis Phœbusque velit doctæque ſorores
Eſſe ſuum, paribusque petant tot Numina votis,
Noſter eris, fatis ea ſtat ſententia, tantum
Ingenium ſolæ nequeunt implere Camœnæ,
Thesbiadumque lacus & quicquid tempore priſco
Tot potuit clarare Sophos, quos luminis expers
Pavit in umbriferis Sapientia Graja Lyceis.
Te majora manent Patriæque Orbique videndum
Protrahet oſtenderque dies, privata faceſſat
Hinc doctrina procul, luci deberis & aulæ.
Felicem! cui Regis amor patriæque theatrum
Hac dignum virtute dabit, cui ducere ſummis
Devotam ſceptris animam, cui nomine magno
Cre-

Creſcere, præclarè tota de gente mereri,
Ingeniis dare fata, polos intrare licebit
Laudibus & toto famam diſpergere cœlo.
O quam magnus ades Vatum labor! omnia Cirrhæ
Flumina laxatis cumulabunt fontibus undas,
Teq; unum cantare novis Polyhymnia plectris
Geſtiet & digno tandem inclareſcere cantu.
Dixerat & Charitum manibus digreſſa reliquit
Delicium Patriæ, nec ſegnius inde ſorores
Officium fecere Deæ, ſed pollice largo
Aurea perpetuis neverunt ſtamina fuſis.
Quid tam præcipiti feſtinant tempora curſu?
Quo pede tam celeri menſes abiiſtis & anni?
Si pueri dotes & pectore quicquid in iſto
Condiderunt ſuperi properatis prodere mundo,
Parcite, non opus eſt hæc feſtinatio: jam ſe
Vivida vis animi, jam ſe miracula pandunt
Ingenii ſolitas non exſpectantia luces.
Sic quoque Virtutis fertur documenta futuræ
Pelleus monſtraſſe Puer, ſeu Patris honores
Audiit illacrumans, ſociis ſeu currere tantum
Regibus & dignis pugnam rivalibus optat,
Seu teneros inter comites dum prælia parvus
Fingere Ductor amat, toto jam pectore Martem
Spirat, Achæmenio minitari vincla Tyranno
Viſus & indomiti fatis prætudere Pori.
Nec tantum ſpes magna placet; virtute virili
Anticipat Juvenem puer & quo tempore pauci
Incipiunt ſperare ſapit, magnaque ſtupendus
Indole multorum jam vicis vota Parentum.
Diſcere nil illi labor eſt; audiſſe tenere eſt;
Denique non diſcit, reminiſcitur omnia, qualis
Mens cognata Diis proprio cum libera cœlo
Nondum corporei pateretur carcer is umbras.
Jam Latium puero, jam tota innotuit Hellas,
Jam

Jam Clarias exhauſit aquas imberbis, & ipſum
Aonidum aſcendit, Phœbo mirante, cacumen.
Quomodo quidq; loqui deceat, quid geſſerit orbis
Et quibus ingeniis ſignarint ſecula faſti,
Quid ſibi præſidii ratio promittat ab arte,
Quidq; Syracuſiis radiis ſignarit arenis,
Prætextata tenet doctéq; ediſſerit ætas.
Ire per annales Patrum, Virtutis avitæ
Mirari monumenta, omnes accedere gentes
Qua licet, & pictos ſe circumferre per orbes,
Nominibus ſpatiiſque locos diſtinguere, cœli
Ardua, naturæ mores, ſortiſque frequentes
Regnorumque vicos, rerum cognoſcere cauſſas
Tractandique modos tanta putat indole dignum.
Nec ſuá Religio juvenem myſteria celat,
Sed fati præſaga ſui, florebimus, inquit,
Hoc Duce, qua ſpaciis ſeſe melioribus Arctos
Porrigit, hoc ſtabiles ſperamus vindice ſedes,
Auſaque tartarei nil formidabimus orci.
Diva Themis dignos olim meritura favores
Totam ſub magni ſe pectore condit Alumni,
Nec credit docuiſſe ſatis, ſed fœdere firmo
Recti notitiam rectique infundit amorem.
Talibus impletum donis meritiſque Deorum
Sedibus avellit patriis pulcherrimus ardor.
Scilicet ille animos ignis ſublime tuentes
Cognataſque polo mentes incendit, ut aſtris
Debita pars cœli ſervet ſolenne, moveri,
Nec ſemper coluiſſe Lares. Quandoq; juvabunt
Exilia, & laudem poterit contemta mereri
Patria, da veniam Pietas! peccamus amando;
Non tanti natale ſolum maternaque ſedes
Eſto viris, nec amicitiæ nec ſanguinis ardor,
Ut ſolitis caluiſſe focis fundiſque paternis
Nulli præterea cupiant noteſcere Soli.

Vos, quibus è pigro, cura torpente Promethêi,
Pectora ficta luto mentem ad conſortia flectunt
Pulveris, & nullus circum præcordia ſanguis
Effervet, propriis affixi vivite glebis
Civibus ignoti: nec famæ nobilis ardor
Nec generoſa humiles accendit gloria mentes.
At neque Sol uni præbet ſua lumina terræ,
Nec virtus uno contenta eſt maſcula Sole;
Totam noſſe domum, quam nobis optima mater
Communem natura dedit, ſua credere cuncta,
Et transferre ſuos quicquid tenet orbis in uſus
Magnificum pulchrumque putat; tranſcendere laudes
Ipſe ſuas curſumque ſuæ prævertere famæ
Vellet & aſpectu plauſum propiore mereri.
Jamque moras exoſus abit; memorabile nomen
Prævia fama canit, magno jam cognitus orbi
Nondum viſus adeſt, nequit hoc complectier Arctos
Sola jubar: latè radios diſpergit, amoremq;
Excitat Europæ, nec enim rudis atque ſciendi
Indiga ſimplicitas, virtuſque obſcura decoris
Incrementa ſui peregrinaque præmia quærit:
Talis abit patria, quales potuiſſe reverti
Laus aliis anguſta foret; mare, ſidera, tellus,
Abdita naturæ, longævi tempora mundi,
Et quodcunque fuit magnis vel ſcire voluptas
Vel labor ingeniis, abit hoc in pectore. Talem
Vidit & imberbem ſtupuit Germania Phœbum
Arctois prodiſſe plagis; ſtupet Itala tellus,
Romaque victores agnoſcit poſthuma Cimbros,
Illa ferox quondam terrarumque inclyta mater
Bellandi fandique potens jam diſcit ab hoſte
Eloquium linguamque ſuam. Jam ſemen avitum
Agnoſcit tantaque Hiſpania ſtirpe ſuperbit.
Gallia Richelium Danis præſagit; at Anglus
Hunc vellet creviſſe ſibi, quicunque Tyranni
Exo-

Exoſus furias, mitiſſima nomina Reges
Suſpirat, placidoque trui moderamine gaudet.
Qui poſt Dardaniæ fatum lacrymabile Trojæ
Dum fugit innumeris erroribus actus Ulyſſes
Naufragii ſecurus ovat, ſociisque ſuperſtes
Omnibus optatas Ithacæ grandævus arenas
Penelopenque reviſit anum, quam longa Poëtis
Argumenta dedit laudum? moviſſe lacertos
Et mare difficili iratum evaſiſſe naratu,
(Cum lucis ſuaderet amor, lethiq; juberet
Iſta trucis facies) famam ſufficit ad iſtam,
Qua toties magno legitur celebratus Homero.
At magis HEROI fuerat laudabile noſtro
Propitiis iviſſe Diis, comitantia fata
Virtutemque habuiſſe Ducem, nec dulcia loti
Fercula, nec luſci dentes timuiſſe Cyclopis;
Nec male conſulta latus inclinaſſe carina,
Hic ubi ſub ſcopulis Sirenes dulce minantur;
Nec Siculi duo monſtra freti, nec pocula Circes
Imbelli luſiſſe dolo, ſed pectore forti
Illecebras, queiscunque ſolet pugnare voluptas,
Viciſſe & nullo feſſum ceſſiſſe labore.
Sed neq; terrarum tractus contentus & urbes
Aſpectu luſtraſſe vago cupidiſq; notaſſe
Luminibus quæcunque novos ſpecioſa morantur
Obtutus; plus mente vides VIR MAGNE, quid ur-
Fecerit è tenui quondam fundamine magnas, (bes
Quid malè florentes deſtruxerit, unde ſuperbis
Cauſſa metus miſeriſque ſpei, quæ forma regendi
Parendique modus, quæ ſit concordia regnis,
Qua vigeant, qua parte labent, quę fœdera jungant,
Quid paret ambitio, nova quas in prælia gentes
Armet & infeſtis jubeat concurrere ſignis,
Te dignum didiciſſe putas. Dignoſcere terras
Imperiis ſtudiisque juvat: Virtutis avitæ

Ger-

Germanus fideique tenax laudatur, at illud
Diſplicet innumeris, quod ſe gens Martia ſcindat.
Partibus, atque ipſi diſcordia militet hoſti:
Italus ingenio famam quàm Marte tueri
Doctior, antiquos Romæ dediſcit honores;
Jamque nihil jactat nec duras cuſpidis artes.
Nec ſuffecturos ad Cimbrica gæſa lacertos.
Urbs orbis Regina tamen, cui fortior armis
Relligio antiquæ reparat diſpendia famæ.
O quam dulce fuit famoſas Tibridis arces,
Quam juvit toties auditas cernere laudes,
Inque nova veteris veſtigia quærere Roma?
Te non illa tamen potuerunt ſola morari,
Quæ vulgus prope ſola ſtupet: Palatia, Circi,
Porticus, Amphitheatra ſuis effoſſa ruinis,
Limina rapta Diis, ſanctis data; fana, Coloſſi
Et ſtatuæ & tempus ſpernentia Mauſolæa, (ſtra,
Splendor honorque Patrum, quos gloria veſtiit
Vel quos tergemino cingit diademate frontem
Seu Virtus, ſeu Gentis honos, ſeu gratia Regum,
Seu vitæ modus & certi vicinia fati.
Te, quodcunque ſui ſapientia priſca reliquit,
Vel nova præteritis pulchri ſuperaddidit ætas,
Præcipue luſtraſſe juvat; Te condita Muſis
Limina, Te veteri celebratus Apolline vertex
Et Vaticani rapiunt ſpectacula collis.
Hic animas inter doctas transſcriptaque cælo
Nomina Te dignis impendis tempora curis.
Cum ceſſare juvat lætaque hilareſcere fronte,
Aſpicis & rides magnæ ludibria Romæ:
Quas luxus populetur opes, quantoque voluptas
Regnet in Imperio, quanti mala gaudia conſtent,
Quo pretio venalis honos, quid pallida ſperet
Vel tremat ambitio, qua concilientur amores,
Et qua purpurei diteſcant arte Nepotes.

Sic placeant cum multa Tibi, plus diſplicet, & jam
Fata ſeneſcentis venientia proſpicis urbis.

Cum Bæti mutare Tibrin Soliſque cubile
Et Tarteſſiacas placuit percurrere gentes,
Tam vaſtam atque uno nexam diademate molem
Imperii & late Dominos miraris Iberos;
Magnanimamque fidem, rectique tenacia laudas
Pectora, dumque Virûm fortes ad prælia dextras
Dum vim conſilii, lateque patentia regna,
Conſpicuum ſemper Phœbum, miſſaſque ſubacto
Veſpere divitias prudenti pectore libras,
Non temere tanto ſuffultos robore credis
Terrarum imperium ſibi promiſiſſe Philippos.
At vero Hiſpanum cum ſpe dejecerit ampla
Seu gravis ira Deum ſævique injuria fati,
Seu male conſultus fervor, dignuſque tremenda
Relligione rigor, ſeu fortior agmine juncto
Hoſtis & Europæ metuentis vincula virtus;
Deſperare jubes meditantem plurima Gallum.
Quæ fruſtra tentavit Iber, nec fidere ſortis
Blanditiis hoſteſque ſibi promittere Perſas,
Ut ſit Alexander, vegetoque auguſtus in ore
Mars habitet dignus cujus geniumque manumque
Thracicus horreſcat Chriſtjanus diligat orbis.

Infelix fractoque gemens ſua vincula ſceptro
Albion & magnis contraria Regibus aſtra
Quos tibi moverunt gemitus? qua mente Tyran-
Spectaſti? cum jura daret qui juris & æqui (num
Neſcius immanis jactabat præmia dextræ
Infames titulos & de virtute triumphos.
At genii vis illa tui, dum mobile vulgus,
Nec duraturos in poſteritate furores,
Nec ſucceſſorem tam dextro Marte Parenti
Ingeniove parem ſpectat, ſuſpiria preſſi
Solatur populi, nomenque decuſque vetuſtum

Re-

Regis & ereptos Carolo, promittit honores.
In Batavis parvæ miraris maxima gentis
Robora, queis Dominos nuper proſcripſit Iberos
Libertatis amor; centum decorata trophæis
Oppida, millenas, caſtella natantia, puppes,
Et ſimiles cum ſole vias, Indoſque clientes
Atque orbem commune forum. Jam cuncta ti-
Invidiæ matura vides, nexaſque ſagittas (mendax
Et quodcunque ſoli concordia junxit & auxit
Orbis in horrorem & famulantis vincula ponti,
Dilabi quoque poſſe putas, ſi gliſcere partes,
Si male Naſſoviæ decreſcere ſtirpis honores
Libertas ingrata ſinat, ſi turgida faſtu
Oceani fines & utrumvis vendicet axem
Ambitio, ſemperque fames increſcat habendi,
Et pereat ſummis reverentia debita ſceptris.
Nempe nihil potuit tantum fortuna creare,
In quod fortunæ liceat nihil: ire deorſum
Summa ſolent, moderata manent, lapſuraque ſcan-
Accelerantque ſuos nimium ſublimia caſus. (dunt,
Anxia jam decimam numerabat DANIA meſſem
Delicio viduata ſuo, cum denique tanto
Jam deſiderio tantiſque doloribus impar
Surgit & optatis talem ſe vultibus offert.
Qualis, cum gemini coierunt limina Jani,
Roma cruentatos damnavit pace triumphos;
Pallidior facies, at non dejecta, ſed ipſo
Lætus in ore vigor, generoſi luce ſerena
Scintillant oculi, permiſtaque laurus olivæ
Circuit auguſtam, poſita jam caſſide, frontem.
Palla loco chlamydis ſurgentis imagine ſplendet
Æquoris & fluidi præbet ſpectacula Balthi.
Turrigeras utrinque rates Codanumq; rubentem
Fionias acies muroſque in ſyrmate monſtrat
Haffniacos, ſceptrumque novo fulgore coruſcum
Vi-

Vibrat & ex ipſo ſurgentem pondere palmam.
Tum ſic orſa loqui: quâ Te cariſſime rerum
Invidiâ mihi fata negant? tantine paternis
Eſſe putas caruiſſe bonis, propriiſque latere
Civibus, externis ut ſis mirabilis oris?
Nec patriæ Te cura tuæ, nec publica quicquam
Vota movent? Noſtros talem formavit in uſûs
Vis manifeſta Deûm, noſtris ſolatia debes
Rebus & ingenium magno tam grande theatro.
Te mihi difficilis tandem poſt tædia belli;
Te reduci cum pace volo. Si condidit enſem
Mars meus, & plures prohibet decerpere lauros,
Pax etiam quod donet habet: plus annus inermis
Et toga Tulliadæ potuit conferre decoris,
Quàm Mario Syllæque hiemes ſub pellibus actæ,
Totaque ſub galeæ quæ pondere canuit ætas.
Huic animo nunquam deerit celeberrima laudum
Materies, patriam ne dedignare, novuſque
Invidiam fac Tycho mihi. Jam calculus ater
Nullus Ariſtidem noſtra proſcribit ab urbe
Immodica virtute reum; damnamus Athenas
Queis aliqui nimis eſſe boni factiſque celebres
Exilium ſola potuerunt laude mereri.
Nos pretium famamque damus virtutibus, æquus
Conſtat honos meritis: nemo hoc mihi tempore gratis
Profuit & nullo juvit mea commoda fructu.
Atque adeo nuper cum baccharetur iniquus
Marſpiter & ſocii pugnaret robore cœli,
Marmore cum ſolido Balthum vinciret & uſum
Eriperet virtutis hiems, cum rumperet ignis
Non bene ſopitos cineres, & Marte reſumto
Improviſa meis hærerent agmina portis;
Oppreſſæ lux ille plagæ FRIDERICUS & orbis
Stator hyperborei ſeſe jam pene ruenti
Op-

Oppoſuit cœlo, triſteſque minantia caſus
Fata ſtitit vitamque dedit: quod ſanguinis iſtis
In venis reſtare vides, quodcunque ſalutis
Quodque ſpei ſupereſt uni debemus, at æquo
Cum pretio pietas meritis onerata careret,
Nos dedimus, Regumque ſumus patrimonia Dani.
Et jam Parrhaſii ſpernunt ſuffragia faſces
Et ſoli debere Deo dignantur, honores
Hos capit in primis infantia Regia cunis,
Binaque geſturus diademata naſcitur hæres
Perpetuus, liber vinclis & lege ſolutus.
Quare age, dum totus FRIDERICO plaudit Olympus,
Dum duraturos orbis gratatur honores,
Et pia victricem tot lambunt oſcula dextram,
Ultimus eſſe cave; poſt tot mihi nubila lætis
Exorere auſpiciis, alterque renaſcere Cimbris
Abſalon, ingeniumque refer, quo ſceptra juvante
Gallica compoſitis jam florent lilia bellis.
His monitis magno reditum perſuaſit alumno
Deductumque manu Regi ſtitit; ille decorus
Hinc oculos, hinc ingenii miratus acumen,
Et quibus ipſa loqui vellet Prudentia voces,
Deprendit mortale nihil, tacitaque refectus
Lætitia vultu prudens agnovit in illo
Fata renaſcentis patriæ, nec paſſus inertes
Ingenii ſublimis opes, ad publica natum
Commoda non uno mactavit munere pectus,
Conatuſque diu eſt humeris imponere tantis
Par onus; egregii ſemper vicere lacerti,
Et poſt biſſenos petiit ſibi plura labores
Immodicus meriti terræque ad commoda miſſus
Amphitruoniades, armamentaria doctæ
Pallados & noſtro ſurgentia limine Phœbo
Solerti rexiſſe manu, clariſque ſacratam

In-

Ingeniis compleſſe domum, quot priſca tulere
Secula, vel præſens priſcis opponeret ætas.
Ille rudimentum hoc tantum virtutis haberi
Poſtulat & grandis præludia parva theatri.
Nec magis arcanis ſecreta latentia chartis
Palladiumque ſacrum geminæ ſervaſſe coronæ
Huic animo labor eſſe poteſt. Velut æthere in alto
Corpora perpetuo gaudent cœleſtia motu,
Sic labor Heroas animas ſudore focillat,
Et reficit non frangit opus; gravioribus inſtat
Ponderibus creſcitque ſuis induſtria curis.
Ergo Palatinis majora negotia chartis
Atque Aulæ ſecreta vocant, jam munere juncto
Vox populi Regiſque manus pro ſupplice gaudet
Cive loqui. Nunquam prudens facundia juſtas
Incaſſum tulit ire preces, hoc ore moveri
Rex amat, hac vinci facilis clementia ſuada
Nil negat, aut trepidis dubitat ſubſcribere votis.
Sed jam tempus adeſt illud, quo denique tanto
Ornetur fortuna Viro, nec lumine caſſa
Egregios recreet digna mercede labores.
Jam ſua virtuti non accerſita ſed ultro
Dona parabat HONOS, ſubitis cum nubibus aſtra
Eripuere diem pullataque ſqualluit Arctos.
Nam velut inſolito latitans caligine Phœbus
Cum negat officium mundo, populoſque coëgit
Deſperare diem, terrore videtur Olympus
Et rerum Natura quati, ſic nempe retuſus
Attonituſque ſuam luxit Septentrio noctem
Funere in auguſto; ſed enim ne Dania poſſit
Flere diu, CHRISTIANE facis; Tu luce recenti
Ferales abigis tenebras, rectumque piumque
Moribus ut titulo præfers, totumque parentem
Cum geminis conjungis Avis, exempla daturus
Votorumque modos aliis, quos arbitra cœli

Cura

Cura gubernando Rectores præficit orbi.
Felix auſpicium Regni! Quæ cernere fato
Non potuit properante Parens, felicior Hæres
Exequitur tantumque novi moderamina Regni
Exorſus perfecit opus. Caput erige VIRTUS
Erige, nec validos pigeat moviſſe lacertos:
Quod ſperes, Te præter, habes, non unica merces
Ipſa futura Tui, Juſtiſſimus ecce Brabeutes
Splendorem, titulos, inſignia, nomina, faſces
Oſtentat, trabeam, lauros clavumque curulemque
Et ſuperaturos tumulum promittit honores.
Macte HEROS ingens meritis, cui deſtinat æ-
Quicquid patritiis potuit ſuperaddere cunis (ther
Non cœcâ fortuna manu. Te blanda procatur
Compenſatque moram cumulo: non ſufficit una
Nobilitas ſeros illuſtratura nepotes,
Baronem Comitemque creat cunctiſq; Danorum
Inſerit ordinibus, queis perfectiſſima virtus
Regali radiare poteſt erecta favore.
Jam tuus iſte Elephas ſedem rutilantis Olympi
Deſpicit inque tuo mavult ſplendeſcere cœlo
Indubius voti, quamvis tot in æthere ſpectet
Nomina quadrupedum: patitur fulgere Leonem
Sideribus miſtum primis, non urſa caperve,
Non ferus Europæ vector, non portitor Helles
Invidiam tantæque creant faſtidia ſortis.
Quid quod & ipſa polo venerunt aſtra relicto
Ad laudes, VIR MAGNE, Tuas, ipſoq; decorus
Æthere ſideream circumfers pectore lucem?
Quid, pia ſigna, cruces noſtrique ancilia regni
Commemorem lætas patriæ ſpondentia lauros,
Vincula barbariæ, quoties requieſcere claris
Pectoribus dignoque tholo pendere licebit?
Deficit & ſi quid meritis æquale ſuperſit
Circumſpectat HONOS; ſed enim debere fatetur

Virtuti nomenque manet. Si Dania jam nunc
Roma vetuſta foret, templis poſuiſſet & aris
Nomen adorandum populis; Paros ipſa veniret
In vultus abitura tuos ſtatuiſque trecentis
Ornatura forum; digno colerere metallo,
Nec rutilo ſolus fulgeret Olympicus auro
Jupiter & reliqui quos fecit Numina Virtus.
Deſpicis hæc neq; tam te præmia magna laborum
Quam labor ipſe juvat: promtus ſuccurris Atlanti
Alcides pondusque humeris ingentibus aptum
Suſcipis impavidus. Salve nova Gloria Regni,
Salve Parrhaſii nove CANCELLARIE Sceptri.
Te cupidis pridem ſperarunt ſecula votis,
Te Daniæ natum fato ſua gaudia Virtus
Et fortuna vocant, Tu noſtræ commoda gentis
Ingenio ſtudioque juvas, Te publica floret
Conſultore ſalus, magnæque innixa columnæ
Regia partitis reſpirant pectora curis.
Addite Diis FRIDERICE Pater, quacunq; receptus
Cœlorum regione micas & luce recenti
Sidereos auges cœtus; jam lumine læto
Ad Danos deſcende tuos, oculiſque beatis
Aſpice Te nato felices Principe terras,
Aſpice prudenti felicem Neſtore Regem,
Judicio lætare tuo, quo tanta favente
Emicuit primum Virtus & clara futuri
Argumenta dedit: datus eſt Hephæſtion iſto
Dignus Alexandro, non quem temeraria cæcum
Efferet ambitio, ſæviſque tumultibus orbem
Involviſſe juvet; qui nil niſi prælia ſpiret,
Humani exitium generis laurumque ſuorum
Funeribus bene credat emi; nos Rege beati
Incolumeſque ſumus, qui mitis amator olivæ
Præferat innumeris cives ſervaſſe triumphis,
Fluctibus Europæ in mediis feralis Enyo
Dum

Dum furit & toto pax exulat aurea mundo.
Quique adeo, ſi vis extorqueat arma, furentem
Armata virtute domet, ſeu terra paratam
Seu poſcat Neptunus opem, quo vindice floret
Cum Pietate Themis, cœloque Academia ſurgens
Infantes queritur digna ad præconia Muſas,
Cujus ad Eoos famam Cyllenius Indos
Occiduoſque tulit, cui Cormandelia regnum
Condit & auroræ ſpondet commercia Mogul.
Vivis adhuc, FRIDERICE Parens, alioque ſuperſtes
In Phœnice viges, eadem Clementia gratis
Nos regit imperiis, ab eodem oracula Phœbo
Incorrupta fluunt; ſic dum certatur utrinque
Hinc meritis hinc muneribus, plaudente Deorum
Concilio, demum ſe tollit ad æthera Virtus
Summaque ſe digni faſtigia ſcandit Honoris.
At tu, Livor iners, non formidabile Magnis
Sed ſolitum gratumque malum: jam denique virus
Vipereum & triſtes dentis compeſce furores.
Nam licet alta petas, hic te tamen altior HEROS
Contemnitque tuos dedignaturque labores.
Parce tibi, tua nec rodendo viſcera perge
Atterere & rabido genuinum frangere morſu.
Aut ſi adeo tibi grandis Honos iterataque merces
Diſplicet, è toto da qui ſit dignior orbe
Si potes, antiquum retro te confer in ævum;
Collige quicquid habent vel cuncti laudis & unum
Da ſimilem, da cui vel plus indulſerit ignis
Ætherei natura parens, vel fœnore largo
Ediderit plures felix induſtria fructus.
Cui quodcunque legi meruit quodcunque videri
Et lectum & viſum eſt, oculos Prudentia centum
Addidit & totidem tribuit Facundia linguas
Quot loquitur mundi pars optima, cujus in ore
Ipſe amor & Veneres & juncta modeſtia comi

Cum gravitate ſedet, qui non niſi Rege Deoque
Et ſe digna facit, culmen columenque bonorum
Fortunæque Decus, cujus cum maximus orbis
Dotibus obſtupeat, nemo miratur Honores.
Perge Salus patriæ faſtos implere, diuque
Indefeſſus adeſto tuis: præclara mereri,
Reddere felices, miti prodeſſe favore
Et fatum mutare hominum, natura Deorum eſt.
Quod ſi impar meritis noſter defecerit orbis
De cœlo dubitare nefas: Jam gratus honores
Promeritos cœlumque novum meditatur Apollo,
Fictaque monſtra, feras, toto proſcribet Olympo,
Purgabitque polum, quem, gens nimis impia, Vates
Criminibus pinxere Jovis: non Lumina Tauri
Non Capros fulgere ſinet, cum Caſtore Pollux
Migrabit, vacuaſque domos Heroibus iſtis
Rellinquet, queis mente datum moderarier or-
Conſiliiſque graves Regum fulcire tiaras. (bem,
Hac divina ſuos Prudentia parte locabit
Richelios, alia celeberrima Mazarinos
Nomina, deleto Chironis honore, reponet,
Dania præſtantum genitrix fœcunda Virorum
Magnos Friſiadas & nomina ſacra Thomæos
Addet ovans aſtris; cum GRIFFENFELDIUS orbem
Tranſcendet meritis humanaque præmia vincet,
Sedibus Urſa tuis ſerus ſuccedet, ad illud
Sidus hyperboreæ flectent ſua vela carinæ.

CANUM CUM CATIS
CERTAMEN
CARMINE COMPOSITUM
CURRENTE CALAMO

C. CATULLI CANINII.

Auctor eſt Henricus Harderus.

CAttorum canimus certamina clara canumque
Calliope concede chelyn; clariæque Camœnæ
Condite cum cytharis celſo condigna cothurno
Carmina: certantes canibus committite cattos,
Commemorate canum caſus caſuſque catorum,
Cumprimis cauſas certamina cuncta creantes.
Currentem cupidi cruda cum carne catellum
Conſpexere cati captique cupidine cœnæ
Comprendunt catulum, capiunt coguntque carere
Carne, canis clamor complebat compita, cuncti
Confluxere canes; conamina cruda catorum
Conqueritur catulus, captas carneſque ciboſque
Commemorat; cunctis cum cognita cauſa catellis,
Concilium cogunt, canus calvuſque culinæ
Cuſtos Caſtrutio cathedram conſcendere celſam
Cœpit, cumque canum conſedit concio, cauſa
Communis, *clamat*, comites, commune ciebat
Conſilium: coeunt crudelia corpora catti
Contrectantq; canum carnes complentq; culinam.
Contemnunt catulos; contemnunt? cedere cogunt,
Corpora corripiunt, conteſtaturque cicatrix
Cæcilii catuli conamina cruda catorum.
Conniveat cauſaque cadat careatque culina
Clara caterva canum? citius contendere curſu
Cum cervo cancer cupiet citiuſque canorus
Cogetur creperis Cygnus ceſſiſſe cicadis.
Cur catuli cur ceſſamus? conjungite caſtra,
Conveniant campo catti, certamine claro
Contendant cui conveniat cenſura culinæ.
Collaudare canes cani cœpere cerebri
Conſilium, Ceneus cum Caſtilione creatur
Centurio. Cernunt catti crudele cieri
Certamen, coeunt cauti conflantque cohortes.
Callimedonta caput campi columenque Catorum
Con-

Conſilium commune creat, curamque capeſſit.
Cumque coëgiſſent catuli cattique catervas,
Certamen campeſtre catis campeſtre catellis
Complacuit, currêre citi curſuque citato
Convenere canes, cum conſpexere catellos
Cattorum cuneata cohors, concurrere cœpit
Candida canenti cum Caſtilione Camauce,
Conculcata cadit clarumque cruore colorem
Corrumpit. coeunt certamine Caſca Colaxque
Caſca colorato, candenti corpore Colax,
Caſca Colaxque cadunt. carus Condoq; Coquoq;
Captaneus claram cupiens convellere Callam
Conficitur. Catilina cadit, capiturque Ceraſtus
Cumque Capo Canaus celebris commilito claudi
Cromvelli. cum cœpiſſet contingere caſtra
Crantor corruerat cunctoque cruore carebat
Confectus curſu. confligit Claudia cæco
Cum Cephalo, curvam Clebuli Caronia caudam
Convellit. Cum cattorum coeunte caterva
Colligeret cunctas Canape Chionæa cohortes,
(Clara canis Canape campo Cuſtoſque cubilis
Callimachi) cœpitque canum convertere curſus
Corbulo conſuetis contritus colla catenis;
Certatur, cæſis colles campoſque eruentant
Corporibus. colluctantur caudis cubitiſque
Cattorumq; canumq; cohors, celeberrima Cauce
Cum cedens campo claudo cum crure cucurrit
Cœpiſſentque canes cattorum cingere cornu;
Currite, clamabat Caronia, currite catti,
Conficimur capimurque, canes cœpere cruenti
Clauſo certantes cuneo circumdare cattos.
Cernite conſtrato cumulata cadavera campo,
Cernite calcantes cattorum colla catellos:
Cedamus campum canibus, cauſaque cadamus.
Continuo catti cedunt curſuque citato

Condita conantur celeres contingere caſtra,
Cum conſternari cattos, cum corde carere
Conſpexere canes, conclamavere citoque
Conglomerata cohors certat contendere curſu
Cum Cattis, capiunt cattorum caſtra catoſque
Complures, captos cœnoſo carcere claudunt,
Connexis cruciant caudis cumulantque catenis.
Centeni cecidere cati, ceſſere cruenti
Centeni, claudit centum cuſtodia captos:
Concinno comitum celebrantes carmine cladem
Complaudunt catuliſque canes, canibuſq; catelli;
Conſtituunt certas captivis conditiones:
Cum canibus coeat Cattis Concordia: cœnis
Captivi careant catti, cedantque culina
Cum coquitur, cineres captent, caleantq; camino
Cernere contenti completos carne catellos.
Captivi canibus cito conſenſere, caneſque
Carcere confracto cum cattis conciliantur.
Colle cavo comitum congeſta cadavera condunt
Cattorumq; canumq; cohors curantq; cruentos.
Complexi catulos catti cattoſque catelli
Civili certant cauda, cubitiſque cohærent.
Cantatur, crudam claudunt convivia cædem,
Cunctaque compoſito ceſſat certamine clades.

FINIS.

OLAI
BORRICHII

Regis in Cancellaria Danica Conſiliarii, in ſupremo Tribunali & Conſiſtorio Aſſeſſoris, nec non in Regia Academia Hafnienſi Medici & Philologi longè Celeberrimi

CARMINA.

Q

VITA BORRICHII.

Vitam ſuam ipſe OLAUS BORRICHIUS brevi antequam decederet literis conſignavit: quam ex ipſius autographo deſcriptam, & à Viro Nobiliſſimo Paulo Vindingio, Regis in ſummo Tribunali Iuſtitiæ Aſſeſſore digniſſimo & in Academia Haffnienſi Profeſſore celeberrimo, data publicandi licentia, nobiſcum communicatam ſi heic inſerimus, rem benigno Lectori haud ingratam fore exiſtimamus.

OLAUS BORRICHIUS lucem hanc mortalem aſpicere primum cœpit anno a nato Salvatore MDCXXVI, ipſo die Soteriorum, patre Dn. OLAO CLAUDII parœciarum Borch, in Ripenſi Cimbrorum Diœceſi ſacerdote, matre MARGARETA LAURENTIA. Mox optimorum Parentum ductu & auſpiciis vineæ Chriſti inſitus, & quamprimum ferebat ætas, initiatus Muſis, partim cura domeſtica, partim Magiſtrorum in ludo literario Coldingenſi, Ripenſique ita profecit, ut anno labentis ſeculi XLIV. maturus æſtimaretur Academiæ. Quem ergo id temporis è palæſtra ſua

Ripenſi emiſit Vir Clariſſ: M. *JOHANNES MEJERUS*, eum protinus benevolo ſinu amplexa eſt ſtudiorum liberalium mater Academia Hafnienſis (Rectore D. *NICOLAO PAULI SCANDORPHIO*, Decano Mag. *JOHANNE CHRISTOPHORI*) detinuitque inter Muſas varii generis ad annum uſque MDCL. Interea inter cæteros ſapientiam literariam profeſſos præcipue coluit Dn. *OLAUM WORMIUM* Medicinæ & Antiquitatis Patriæ ſtatorem, Dn. *THOMAM BARTHOLINUM*, Anatomicorum principem & polyhiſtorem, Dn. *SIMONEM PAULI*, Archiatrum Regium & Floræ delitium; quorum placitis ita conſtanter inſuevit, ut divelli ſe poſtea a ſtudio Medico non pateretur, cui tamen amor Philoſophiæ, Poëſeos, & Philologiæ acceſſit. In eo dum erat, ne quam diu Hafniæ inter excitatos docendi artifices verſabatur, publico uſum ſui, ſi qua in didacticis arte valeret, videretur ſubtrahere, evocatus ad erudiendam in ſexta claſſe ſcholæ metropolitanæ juventutem a viro nobiliſſ: & celeberrimo M. *GEORGIO HILARIO* ejuſdem ludi Rectore paruit, & quid multa? ob infatigabilem diligentiam vitæ innocentia comitatam placuit; dilectus hoc nomine optimo cuique ſtudiorum juvenilium cenſori, & in iis Viro conſummatiſſimi judicii Dn. *CASPARO BROCHMANNO*, Selandiæ Epiſcopo, acerrimo ſtudiorum ſcholaſticorum exactori, atque per eum generoſiſſ: Cancellario Regio, Dn. *CHRISTIANO THOMÆO*; quo effectum eſt ut in uberiora ſtudiorum incrementa a providentiſſimo Regum *FRIDERICO III*, Canonicatu Lundenſi præter exſpectationem omnem locupletaretur. Poſtquam autem in illo docendi ſtadio quadriennium exegiſſet, invitatus a generoſiſſ:

Viro

Viro *GEORGIO ROSEKRANTZIO* ad regendam ſcholam illuſtrem Herlovianam, modeſta excuſatione ſpartam oblatam declinavit, quod videret hac via interpellari ſtudium, cui ſe devoverat, Medicum & peregrinandi deſideria: licet Urbs regnatrix peſtilenti ea tempeſtate contagio tantum non ſuccumberet, cadentibus paucos intra menſes novem millibus hominum & quod excedit, in qualue tot funeribus atroci prima Medicæ praxeos tentamenta auſpicatus eſt,. & quid pharmaca humana poſſent adverſus tam violentum hoſtem didicit experimentis. Quieſcente tandem malo, poſtquam annum adhuc unum diſcipulis ad pietatem & bonas artes formandis impendiſſet, deſtinato ad exteros itineri accinctus, in Aulam illuſtriſſ: Viri Dn. *JOACHIMI GERSTORFFII*, primarii tum miniſtri Regii ex improviſo accerſitur ad regendos generoſiſſimorum filiorum annos: hic, licet proſequi decretum iter maluiſſet, prompte obtemperat, haud ignarus in ſancta illa domo & ſtudiis ſuis privatis relinqui locum, & domino ipſo nihil reperiri eruditius, humanius, ſapientius. Quinqennium tenuit aulica illa vivendi ratio, nec pœnituit interea vel illuſtriſſimum *GERSTORFFIUM* electi ad hoc munus *BORRICHII*, vel *BORRICHIUM* officioſiſſimi ſui obſequii. Verum quia iter ei continuo in oculis, in deſideriis, ſoluta demum obſidione Haffnienſi, *BORRICHIUS* a ſacra Regia Majeſtate Profeſſioni Philologiæ, Poëſeos, Chemiæ & Botanices in Academia Haffnienſi deſtinatur, factoque mox in publica pro cathedra digne tuenda diſſertatione periculo; atque impetrata paulo poſt ad exteros proficiſcendi venia a Domino ſuo inter optata vota (quibus annectebatur illud: *Cæpiſti apud me, Borrichi, vir-*

tatibus tuis excitare fortunam quam ego redeunti fabricabor) dimiſſus patria excedit circa feſtum D. Martino ſacrum Anno Chriſti MDCLX. Et primus quidem in Belgium ferebat impetus, niſi quod Hamburgi tantillum ſubſiſteret *SCHUPPII* & celebrium Medicorum, *CASSII*, atque *MICH. KIRSTENII* humaniſſima inductus converſatione. In Belgio præter florentiſſima ubivis oppida, multitudo Eruditorum oculos animumque invitabat; quos inter familiaris illi ultra biennium conſuetudo cum *LINDENIO, SYLVIO, van HORNE, HORNIO, GRONOVIO, VOSSIO, VORSTIO, COCCEO, RUMPHIO, BLASIO, BARBETTIO; ORIGANO, KEKELIO, MARCGRAVIO*, aliis; unde non potuit non ad diſciplinas, ſcientiaſque Apollineas experrectior, paratiorque diſcedere. Interea funeſto perculſus nuncio de obitu magni ſui *GERSTORFFII* Patroni exſpectatiſſimi ſero recognovit quam vitreæ ſint res mortalium, quam caduca vota & quam in rebus humanis ſecurum nihil. Collegit ſe tamen & advenientes non ita multo poſt in Belgium *GERSTORPHIOS* filios jam utroque Parente orbos, rogatu amicorum in contubernium ſuum recepit; viam qua ad virtutem, honeſtatem eruditionemque eundum, admonitione fideli aperuit; nihilque reliquit intentatum eorum omnium, quæ legitime ad honores graſſantibus curæ eſſe ſolent. Inde exacto inter ſtudia cum ipſis familiaria anno, comitantibus iiſdem per Flandriam, Brabantiamque viſenda ſpeculatus Londini ſiſtitur menſe Junio, anno reparatæ ſalutis MDCLXIII, & mox *GERSTORPHIIS* ſuis per illuſtrem *SUANIUM* aditum patefacit in Regiam, ſibi per frequentia allo-

alloquia in amicitiam Dn. Cancellarii Regiæ Matris KENELMI DIGBÆI, ROBERTI BOYLÆI, CHARLETONI, MOSELERI, POLEMANNI, aliorum. Oxonii quoque familiariter uſus D. WILLISIO, WALLISIO, EDMUNDO DICHINSOHNO, & ROBERTO SHARROCHIO. Inde digreſſus per ameniora Provinciæ Gloceſtriam, Briſtolium, Welliſum, Sarisburiam, Cantuarium, & quicquid in itinere illo vel ars commendabat, vel arcanior naturæ genius, attente inſpexit, tandemque adulto jam Auguſto menſe in Galliam ſeſe cum GERSTORPHIIS ſuis transtulit, Dieppum in tranſitu, Rothomagumque perluſtrans, Pariſiis ſedem conſtantiorem elegit, ut in qua urbe hominum exemplorumque feraciſſima nobilis illa GERSTOPHIORUM triga ad virtutes, ſpectato tot honorum præmio accenderentur, a vitiis abhorrere diſceret tot malignorum ſupplicio. Et ne ipſe ſibi interea deeſſet, toto, quod ibi tranſegit, biennio, doctis, curioſis, rerum expertis ſe ſe adjungens plane ex animi ſententia vixit, inter profuturas cum illuſtribus viris doctiſque hominibus converſationes, quos inter ex infinitis pauci enumerantur; D. HABERTUS MORMORD, libellorum ſupplicum in Regia Magiſter, D. GOBELINIUS Parlamenti Pariſienſis Præſes, D. BOURDELOTIUS, THEVENOTIUS, PATINUS, AUZOTIUS, JUSTELLUS, BOUCAUDIUS, MARTELLUS, DE L' OBERIÆ, BORELLUS, TAMPONETLIUS, ut innumeri alii prætereantur. Cumque tandem in Daniam ad Curatores ſuos ob rationes rei familiaris evocarentur GERSTORPHII, jam tanto curis alienis ſolutior BORRICHIUS inſtituto ſuo alacriter inſtitit, &

ſpe-

ſpectatis cum cura ad Ligerim urbibus, Aureliæ, Bleſis, Richiliade, Thuronio, Salmurio, Andegavi inter Medentum cathedras varie tentatus ſupremis demum in arte Medica honoribus auctus eſt, Brabeuta *TOURNESIO*. Inde per Flexiam Cenomanoſque Lutetiam reverſus, poſt brevem moram Italico accingitur itineri: Et Lugduni quidem ad Araris Rhodanique fluenta nonnihil commoratus eſt, amicitiæ D. *L'AMONIERE*, *BERTETTI*, *BUSINASII*, *SCHALÆI*, *VILETTII* illigatus: mox Gratianopoli a Præſide rationum Parlamenti D. *BOESSIO SALVAGNIO*, & *VISANCURTIO* humaniſſime exceptus, per grande illud Carthuſianorum in Alpibus monaſterium, per caſtellum Sabaudiæ Mommelianum, per Aneſſium conſecratione Franciſci de Sales tum celebre Genevam perrexit, & non ita multo poſt ſecundo Rhodano Viennam Allobrogum, Avenionem (ubi colloquium illi cum BARONE DE VILLENEUF, ex familia antiqui illius ARNOLDI VILLANOVANI adhuc ſuperſtite, & rerum Chemicarum non imperito) Taraſconem Nemauſum (in qua urbe cum Dn. GUIRAM Conſiliario Regio & antiquitatum Romanarum ſcientiſſimo fructuoſa illi converſatio) adiit Monſpelium contendens, vetus illud Medicinæ domicilium, ne nunc quidem Machaonum gloria deſtitutum, ubi præter cæteros affecit nobiliſſ. Dni BEAUXHOSTES prolixa humanitas & ſacratioris Philoſophiæ cognitio. Inſpectis deinde quæ fama commendabat, oppidis, Arelate, Aquis Sextiis, Maſſilia per Alpes maritimas Herculi olim tritas, vallemque Pragealam Valdenſibus habitatam Pignarolum intravit, & mox in Italico ſolo Auguſtam Taurino-

norum, ubi a MARCHIONE PIANEZZA, primario Ducis Sabaudi miniſtro ſplendide exceptus, & cum Archiatro TORRINO de vera cordis fabrica inventiſque recens vaſis ſalivaribus amice diſceptans toti mox Aulæ innotuit, ad familiare colloquium poſtea admiſſus a MARCHIONE DE CARAGLIE, MARCHIONE DE S. AMIAN, aliiſque, oſtenſumque quicquid in tota urbe ſpectatius, in primis vaſtum illud opus Pyrrhi Ligorii, & Iſiaca tabula Pignorio tantopere æſtimata. Mediolani nihil tam acceptum, quam Viri optimi MANFREDI SEPTALII ſumma urbanitas & ſcientiarum artiumque reconditarum notitia; ut taceam delitias illuſtris Bibliothecæ Ambroſianæ, humanitatem Dn. TERZAGI, Dominique De LERMA, Generalis militiæ præfecti Hiſpanici. Ticini antiquam illam Regum Longobardorum ſedem contemplatus admirari non deſiit fabricam urbis præſertim autem turrium, quæ ibi plurimæ, adhuc conſtanter olere ſeptentrionem. Bononiæ auditi doctores Academici in primis vero inſtituta cum BAPTISTA RICCIOLIO ut inſigni Mathematico, ita Poeta non pœnitendo colloquia. In reliquis Italiæ oppidis vix quicquam ſpectatum Florentia vel florentius, vel urbanius, ubi ipſe MAGNUS DUX alter tum Apollo & magnus literatorum ſtator, quin & germanus frater Principis LEOPOLDUS, poſtea CARDINALIS MEDICEUS, redivivus itidem Mecænas humaniſſime advenam excepit. Familiariter dilexere LAURENTIUS MAGALLOTTI, FRANCISCUS RHEDI, CARLO DATI, repræſentata ad uſum exoptatum bibliotheca Medicea exquiſitis MSStis referta. Inde poſtquam abiiſſet

Piſto-

Piſtojam, Lucam, Piſas, Sienam, tandem in urbe Roma ſedem deligit anno MDCLXV. menſe Octobri, ibique inter eruditorum & bibliothecarum frequentiam medius, hyemem ex voto tranſigit, una tantum excurſione Neapolim facta, ut Veſuvium tum flammantem & alia naturæ miracula oculis liquido uſurparet, atque adeo THOMÆ CORNELII CONSENTINI, clariſſimi per id tempus Medici Neapolitani frueretur conſuetudine. Romæ autem familiarius utebatur LEONE ALLATIO, ABBATE GRADIO, FALCONERIO, MICHAEL-ANGELO, RICCIO, CAROLO PUTEANO, FRANCISCO CORVINO, ATHANASIO KIRCHERO, LAURENTIO SCYTHIO, adhibitus & quandoque colloquiis CARDINALIS PALLAVICINI, & ſæpe accerſitus ad diſſerendum cum REGINA CHRISTINA de arcanioris Chemiæ ſtudio, veritate, experimentis, quibus tum ſacris ſe Palladia virago devoverat. Sub exitum Martii Anno MDCLXVI. Roma egreditur, ſed pœne invitus, nec niſi vacantis in patria officii ſtimulatus admonitu factoque per medium Apenninum itinere ædem Lauretanam, Anconam, Ariminum, Piſaurum, Ferrariam contemplatus Venetias ſalutat, Patavium conſulit, ibique poſtquam amicius innotuiſſet *FERRARIO*, *MARCHETTIS*, *PETRUCCIO*, OFFREDO, COMITI ZABARELLÆ, Venetias repetit, ſatiatuſque colloquiis LUDOVICI DE COMITIBUS, TACKENII, BUSTRONI, aliorum, memor inornatæ in Patria ſpartæ in Germaniam paulatim contendit, & Tridento, Monachio, Auguſta Vindelicorum, Tubinga, Argentorato, Heidelberga, Francofurto, Colonia Ubiorum in Belgium, ſecundo quidem Rheno,

no, ſed inter adverſa omnia (quod lues peſtifera agros urbeſque late popularetur) defertur, &, redintegrata ibidem cum doctis, quibus Libitina pepercerat, amicitia, Franequera, Groninga, Embda, Hamburgo, Lubeca, Chilonio, Hafniam redit menſe Novembri, tranſacto inter peregrinandum Sexennio integro.

A reditu mox officio ſuo adminiſtrando ſe accinxit, & licet hinc praxeos Medicæ curis in urbe diſtrictus, illinc, ex quo inter Medicos Regios numeratus, in Aula juſſus apparere, partibus officii in Academia adeo non defuit, ut docendo diſputando ſcribendoque plena opera ſarcire laborarit, ſi quid peregrinando neglectum: imo ſe publico non intermiſſa viginti annorum diligentia uſque eo probavit, ut nec neceſſe habuerit unquam vel conſcientiæ ſuæ teſtimonium vel Magiſtratus Collegarumve, vel denique civium Academicorum formidare judicia. Docuit autem interea varii generis diſciplinas, partim officii ratione inductus, partim voluntario impetu, ut eſſet in quo diverſe genium ſuum periclitaretur juventus, ſtudiis liberalibus addictior. Et quidem *IN PHILOLOGICIS* prolixe commentatus eſt *de ſcriptoribus antiquis Latinis*, cujus induſtriæ ſpecimen minutum prodiit in lucem, inſcriptumque eſt: *Conſpectus præſtantiorum Scriptorum Linguæ Latinæ*, ipſum opus adhuc plutei aſſervant; Quin & adjecit *Cogitationes* ſuas *de variis linguæ Latinæ ætatibus*, *& ſcripto G. I. Voſſii de vitiis ſermonis*, atque non ita multo poſt *Analecta Philologica*, & *judicium de Lexicis Latinis Græciſque* hactenus editis. Poſtea ut tyrones ex ipſis veluti fontibus haurirent limpidius, *Antiquæ Romæ imaginem* ſex diſputationibus ita oculis expoſuit, ut res Romanæ

næ, mores, inſtituta multum inde lucis claritatiſque aucupentur. Cumque non ſine nauſea adverteret imperitum vulgus pharmacopœorum, imo nonnunquam Medentum negligentiores in enunciandis juſta mora pharmacis inque ſanandi inſtrumentis varie ſibi excidere, *Linguam Pharmacopæorum* formavit huic malo obviam euntem. *IN POëSI* quid præſtiterit, vel ex eo liquet, quod & frequenter ipſe, occaſione invitante, carmen pepigerit, præſertim Epici generis, & jam olim juvenis cum Smetii errores diverſos notaſſet, de ſyllabarum quantitate evulgarit compendium, cui titulum fecit: *Parnaſſus in nuce.* Sed & annis provectior juſtum opus, licet ſuccinctum *de Poetis Græcis Latiniſque* inde ab initio natæ artis, ad uſque noſtra tempora ſcripſit, Sofiiſque imprimendum permiſit, in quo ſimul vernaculi Poetæ erectioris genii, Itali, Galli, Hiſpani, Luſitani, Angli, Scoti, Belgæ, Boruſſi, Dani attinguntur, ſubjecta de plerorumque vena & felicitate judicii cenſura, non illa quidem ad Phidiæ ſtatuas ubique comparanda, ſed tamen deſiderantibus in hoc ſtudio proficere haud dubie profutura. *IN CHEMICIS* prodromum initio concinnavit *De Ortu & progreſſu Chemiæ*, & paucis poſt annis impulſus mordaci H. Conringii dicacitate plenum opus *De Hermetis, Ægyptiorum & Chemicorum ſapientia.* Sed & bis in publico elementa Chemiæ univerſæ a capite ad calcem percenſuit, noviſque ex diſciplina obſervationibus locupletavit, ſcriptum in privato larario adhuc cuſtoditum. Quin &, ut civibus in metalliferas regiones ituris evidenter prodeſſet brevi & facili compendio modum aperuit examinandi omnes ubique venas metallicas, ſaxa, arenas, aquas, argillas, ut de earundem præſtantia liqui-

quido conſtet, cui opuſculo nomen impoſuit; *Docimaſtice metallica*, tranſiitque ſcriptum illud poſteà non modo in linguam Germanicam, ſed & hodie in Vernaculam. Sparſit & Chemica *quædam* hinc inde *in Actis Medicis Hafnienſibus*, ut & Botanica atque Medica, quæ publico jam innotuere. In *BOTANICIS* id egit potiſſimum, ut tyronibus neceſſaria notiora evaderent, quam nimia. Hinc de Afris, Indiſque plantis non ita ſollicitus, vernis æſtiviſque in ſuburbana excurſionibus juventuti vernaculas herbas præcipue monſtravit, & quod caput rei eſt, uſum earundem ex quotidianis in praxi Medica experimentis ſecure tradidit, identidem admonens, eſſe in patria noſtra tot diverſi generis plantas, ut ſi exoticis omnibus deſtitueremur, non ideo apud nos deficeret vera & conveniens medendi ratio. Qua imbuti apud nos cognitione cives, ubi ubi eos tandem conſtituit fortuna poſſunt inemptis germinibus & de ſua familia & de egentioribus ubique bene mereri. Utque tenacius hærerent quæ ſylvas & prata hinc inde perambulando diſcipulis in hoc genere inculcarat, ea omnia in Lyceo explicatius dictavit methodumque utendi, fruendi intelligenter expoſuit. Edidit & ſcriptum *De uſu indigenarum plantarum in Medicina*. In *RE MEDICA* iterum iterumque non inſtitutiones duntaxat artis ſaluberrimæ auditoribus interpretatus eſt, ſed & univerſam praxin inde ab exordio ad finem docendo proſecutus multum quidem antecedentium ſcriptorum tribuit placitis, ſed & plurimum ad lectos ægrorum diſci experiundo notavit. Sæpe fabricam oſſium in corpore humano oculis diſcipulorum ſubjecit, uſum deſignavit & varia chirurgorum filiis ſalutaria adſperſit. Sunt & alia varii argumenti de

qui-

quibus, quoties vocabat opportunitas, diſſeruit, in quibus exſtat tractatus ejuſdem *De ſomno & ſomniferis. De Cabala Characterali. De cauſis diverſitatis linguarum. Memoria Dn. Oligeri Vindii. Oratio jubilea Evangelica.* Taceo *Orationes* ejuſdem in promotionibus Academicis natas, ſed nondum prælo commiſſas: *De variis modis excitandi ignis, atque de Phoſphoro. De natura ſanguinis & transfuſione ejus. De oraculis Antiquorum. De contagio non ſolum morborum, ſed & vitiorum. De furore Poetico. De vero uſu Logices. De Lixivio & acido atque utriuſque pugna. De experimentis Botanicis. De veris ſuccini natalibus. De qualitatibus occultis. De uſu ſtudiorum Academicorum, etiam in re militari. De forma ſerpentis, qui Evam decepit. De natura dulcedinis. De ſomno animalium ad plures menſes continuato. De ſtudio pure loquendi Latine. De menſtruis Chemicorum.* In Decanatu Philoſophico, quem Magiſtratum Dn. Collegis ita volentibus, integris annis XII impigre adminiſtravit, poſt examinum ſolennia MDCCXXVI creavit Academiæ cives, CLXII. Magiſtros, DXLII Baccalaureos. Quibus adjiciendi merito aliquot Medicinæ Doctores ab eo ſummis in ea arte honoribus inſigniti. Rectoratum Academiæ bis geſſit, & primum quidem eo inter purpuratos Regios ordine, quem primæ ſanctiones Academicæ huic officio attribuunt. Anno ſeculi labentis LXXXVI inter Aſſeſſores juſtitiæ in ſummo Tribunali ab Auguſt. Rege CHRISTIANO V conſidere juſſus eſt, prorſus ex inopinato. A conjugio tota vita abſtinuit, ut eo philoſopharetur expeditius. Diſceptatis in ſuprema juſtitiæ curia cauſis Anno 1687 Candidatos Medicinæ in praxi Medica exercuit, plantarum

uſum

uſum Medicum ſolennibus in agrum Hafnienſem excurſibus edocuit, & privato collegio Docimaſticen metallicam cum celebrioribus operationibus Chemicis non voce tantum, ſed & ipſo opere auditoribus demonſtravit. Anno 1689. novis, ita volente ſacra Reg. Majeſtate, auctus eſt honoribus, titulo ſc: Conſiliarii in Cancellaria Regia, ſed & ita volente ſacratiſſ: Divina Majeſtate, novo in veſica arroſa genere tormenti; cui Chriſtiana patientia occurrit, donec. . . . . . .

Et hic ſubſtitit incomparabilis hujus viri manus, quæ tam divina exaravit ingenii BORRICHIANI *monumenta, ut univerſo orbi innotuerit, & tam liberaliter dedit, ut Patriam ſibi æternum devinxerit. Sed & quæ de ipſius legatis & quæ de obitu ſcire humaniſſimus Lector optaret, ex Programmate Academiæ Hafnienſis, (quod à Nobiliſſimo* JOHANNE MULENIO *Medicinæ Licentiato & Profeſſore celeberrimo Academiæque Secretario fideliſſimo compoſitum ſub nomine & auſpiciis Rectoris Magnifici Excellentiſſimi* OLIGERI JACOBÆI *ante biennium, & ipſo quidem die quo Manibus beati* BORRICHII *juſta fierent prodiit,) huc apponam.*

Sed adhuc clarius (*proxime præceſſerant de virtutibus & Pietate Borrichii*) pateſcit amor Cœleſtium; quas enim, benedicente Deo Opt. Maximo, labore atque induſtria ſua collegerat opes & facultates, eaſdem in honorem ipſius, non ut inde ſibi famam aut nominis immortalitatem auctuparetur, larga manu iterum erogavit. Inſtituit namque, ut & ſufficeret juventuti Academicæ neceſſariis deſtitutæ adminiculis præſidium aliquod in uberiora Studiorum incrementa, & famelicis afflictiſque ſolamen obtingeret: Illis quippe

pe domum plane lateritiam magnificentiſſimæ ſtructuræ reliquit, ubi omnia cernuntur ſplendide apparata, cubicula octo cum ſuis Conclaviis, ſedecim deſtinata Studioſis, modeſtia, virtute, ac doctrina conſpicuis; amplum Auditorium varie exornatum, ut in hac palæſtra commodius lacertos moveant Juniores Sacris Apollineis devoti; Supellex libraria exquiſitæ elegantiæ diverſo ſtudiorum generi inſerviens, cui adhærent manuſcripta rariora; cernitur ibi quoque Laboratorium Chemicum Medicinam excolentibus profuturum; cernitur hortus floribus arboribuſque conſitus, oculis recreandis, animo paſcendo dicatus. Hoc tam ſumtuoſæ ſtructuræ domicilium vocari maluit COLLEGIUM MEDICéUM, quam ut a ſuo Nomine appellationem traheret; nihil enim arrogantiæ, nihil faſtuoſi oſtentabat toto vitæ curſu, ſed fortuna ac felicitate ſua ſumma uſus eſt modeſtia. Utriſque, tum hujus Collegii incolis, tum aliis egeſtate, ærumnis, & imbecilli valetudine oppreſſis, nec non alumnis Scholæ Ripenſis ingentem pecuniæ ſummam attribuit, quæ, reſignatis poſt obitum teſtamenti tabulis, in Collegio Conſiſtoriali annuo ſpatio reſervatis, explevit numerum viginti ſex mille & trecentorum Joachimicorum. Plura adhuc in laudem & perpetuam commendationem Eminentiſſimi Viri merito adducenda eſſent, ſed cum anguſtioris pagellæ ſpatio nequaquam omnia includantur lacunam hanc juſtis explebit præconiis Nobiliſſimus & Ampliſſ: Collega PAULUS VINDINGIUS, Aſſeſſor in Summo Tribunali Juſtitiæ, Colleg. Conſiſtoriali &c. Oratione Parentali Beato noſtro ſupremum perſoluturus honorem proxima die lunæ hor. 2 pomeridiana.

Bien-

Biennium eſt, ex quo valetudinem, virili ætate ſatis firmam, niſi quod cum angina ſubinde colluctaretur, ſenſit non nihil labefactari, oborto ex inſidiis hoſte, quem calculum veſicæ nominamus; cui ſelectiſſimis quidem occurſum pharmacis, ſed creſcente in dies malo retrahere ſe a negotiis publicis coactus fuit, cum nec curru vehi, nec expedite obambulare permiſerit calculus jam grandior factus. Tandem incaſſum omnia tentari atrociores indicabant dolores, ante ſex invaleſcentes ſeptimanas, qui ſenſim enervare corpus, frangere vires, ſomnum interpellare, inducias dare nullas cœperunt: itaque cum aliud non ſupereſſet remedium niſi quod Chirurgia ſubminiſtrare ſolet & acerrimi urgerent cruciatus, ſerio quotidie ſecum penſitabat, ſatiuſne eſſet omnia prius experiri, quam acerbiſſimis ſuccumbere doloribus: tandem re diu multumque agitata cum optimis ac fideliſſimis amicorum ſtatuit ferro ſubmittere ſeſe, haud equidem ignarus in hac operatione unicam ferè valetudinis ſpem eſſe repoſitam niſi provectior ætas, & vires debilitatæ diſſuaderent. Antequam vero hanc medicandi ſortem in ſe admitteret, cum anceps ac dubius appareret eventus, mature ſaluti animæ proſpectum voluit per Virum admodum Reverendum & Graviſſimum Mag: JOHANNEM ADOLPH. BORNEMANN, Aſſeſſorem in Collegio Conſiſt: ac Præpoſitum Sockelundenſem &c Refocillatus jam corpore ac Sanguine Servatoris Chriſti paucis poſt diebus XIII. nempe Septemb. (*hora undecima ante meridiem*) peritiſſimi Artificis dexteritati imperterrito animo ſe commiſit, præſentibus Nobiliſſimis atque Experientiſſimis D. HENRICO à MÖNICHEN Sacræ Regiæ Majeſtatis

Archiatro ut & D. MARCO HERFORT Medico Aulico meritiſſimo, aliiſque Chirurgis Exercitatiſſimis. Cæterum magnitudo & durities calculi optatum eluſit ſucceſſum, commode enim per inciſuram neque extrahi, neque inſtrumentis diſtringi abſque præſentiſſimo vitæ periculo poterat. Nihil tamen inde commotus, ſed plena in Deum fiducia, & certiſſima ſpe æterni gaudii firmatus, ſymtomata graviora, & dolores per intervalla affligentes incredibili pertulit patientia, donec tanta moleſtia, tot inſomnes noctes, tot indomabiles cruciatus noviſſime III. Octobris (*hora matutina ſeptima*) in mortem terminarentur placidiſſimam. Ita conſpectui noſtro ſubduxit ſe fulgentiſſimum illud totius literarii Orbis lumen, cujus tamen ſplendor nitidiſſime in ævum collucebit ſempiternum. Veſtrum erit, Cives Academici, quorum proſperitati & commodis tantopere invigilavit, providere, ne apud vos unquam BORRICHII Nomen obſoleſcat, veneramini cineres Apollinis Veſtri. Condiendos ſolenni hodie pompa meridiano tempore inferendos, quibus auguſtus in templo Divæ Virginis paratus eſt locus, ubi Sepulchrum ejus conſpicitur, ſibi, amicis, Collegiique Medicéi habitatoribus exſtructum, ut corpus a doloribus calculi jam ſecurum quiete conſequatur, dum fama Excellentiſſimi Viri per Orbem volitat, & Gloria in ſermone ac memoria omnium latius vagatur, cujus apud nos exſtabunt Virtutis, doctrinæ, prudentiæ, pietatis, ad omnem æternitatem impreſſa veſtigia. Hafn. die XXX. Octob. Anno M DC. XC.

Nec invidebimus benigno Lectori geminam ſupra laudati Vindingii inſcriptionem, alteram Effigiei, alteram tumulo Borrichii dicatam: (1)

(1)

Æra Corinthiaco nil conceſſura metallo,
Queis ſculptor tanti condidit ora Viri! (tos
Cerne tuum heic, Medicina, ævum, mirare lacer-
Et decus, & Genium, Lingua Latina, tuum.
Cujus in obſequium conſurrexere Camœnæ,
Et numeros flexit promptus Apollo ſuos.
BORRICHII æternos ſe fama ſacravit in annos,
Dum ſaxa Arctoo ſtant Medicéa ſolo.

(2)

Quicquid ex æterno Naturæ reſcripto communem mortalitatis ſententiam deprecari non potuit, poſt longam cum interno hoſte luctam & dolores humana fere conſtantia majores, in melioris vitæ exſpectationem, & deſideratæ quietis fructum hoc in loculo reliquit vir incomparabilis OLAUS BORRICHIUS *Sacræ Regiæ* Majeſt. Conſiliarius Cancellariæ, Aſſeſſor in ſupremo Tribunali Juſtitiæ, & Collegio Conſiſtoriali, Medicinæ & Philologiæ Profeſſor. Cætera Orbi tradidit, Immortalem nominis ſui memoriam, & famam cum æternitate certaturam. Vixit cœlebs, ſed ex Muſarum filiis tot adoptavit liberos, quot in Collegio a ſe pie fundato Pietatis & Virtutis exercitiis tanto Parente dignos ſe oſtenderint. Natus eſt Anno M DC XXVI, die ſeptimo Aprilis. Denatus Anno M DC XC. Quieſcat in Pace.

OLAI BORRICHII CARMINA VARIA.

I.

Infeliciſſimæ Ἀποςασίας

CHRISTIANI WILHELMI

Adminiſtratoris quondam Magdenburgici levis adumbratio ;

Ad Virorum maximum

D.D. CASPARUM BROCHMANNUM

Sialandiæ Epiſcopum.

Viderat horrendas Dux Magdenburgicus artes,
Erroreſque graves, quos paſſim ſparſerat ille
Mentitus Petri nomen ; deriſerat auſus
Tanti lenonis ; Cum demum Cæſaris ira
Surgit & armato proſternit milite Trojam ,
Auſpiciis, Papenheime, tuis : Wilhelmus inermi
Quid faceret dextra ? multis cuſtodibus arcte
Servandus trahitur : ruit hinc conſtantia magni
Principis, indigno mox ſollicitata furore
Pontificis ; ſævus Phalaris namque imperat ut ſit
Impius, oſtenſo dictans perjuria Tauro.
Spemq; metumq; inter ſanctam dediſcere mentem
Incipit infelix, atque evileſcere paſſus
Dogmata ſcripturæ, medicatum melle venenum
Caniſio dictante bibit : mox perfidus alter
Cum conjuratis cœlum reſcindere monſtris
Inflammare Ducem cupiens in viſcera ſanæ

Doctrinæ vertit dextram; nec vana Quirites
Bellua, ſed Joſaphat, Conſtantinumque ſuosmet
Induere in laqueos ſatagit; dum Maximus orbis
Arctoi Rector petitur; dum ſpicula torquet
In Regem, ſperans debellare Leonem
Somnia magnanimum, & vani commenta cerebri.
Argumenta vibrans, faciunt mendacia promptum,
Facundum ſine mente ſonus; maleſana propinat
Dogmata lectoro, ſpecioſaque nomina facto
Imponit, noſtrique ſuas ſcu vendidit inani tegmen
Lingua, Alemanne, tua, quæ magnum promptius
Pertrahat in caſum, denteſque in voce relinquat.
Occurrit magnus BROCHMAND, numeroſa retundit
Spicula Divinos ſimulatè imitantia cultus
Afflatus propiore Deo; nam jactibus iiſdem
Interitum, vitamque parat, dum perfidus hoſtis
Sternitur & veris firmantur dogmata templis.
Audacem pugna cauſa facit, promptamq; Minerva,
Invictum Codex ſacer, & mirabile acumen.
Hic cadit ingenti ſparſum molimine falſum, ſcens
BROCHMANNO larvam tollente, hic debile lu-
Obſcurat ſpeculum LYCHNUS; SPECULARIA noctu
Caligant, ſplendet LYCHNUS; Sic tempore lethi
Romanum ſordet ſpeculum, lychnusq; triumphat.
Scilicet oſtendit quo poſſis tramite Olympum
Scandere LYCHNUS ovans, ſed quo deſcendere poſſis
In cœlum, tibi monſtrat iter vegrande SPECILLUM.
I nunc & magnis gaudens lætare triumphis,
Exuvias numera Sartor; quin ſtigmata primum
Quæ tibi conflictus peperit, quæ vulnera pectus
Averſum geſtat, prius hæc narrare memento.
Sed velut in bello miles ſibi conſcius alti

Vul-

Vulneris, extremas moriens ardeſcit in iras,
Attollitque manum, & ferro labente minatur :
Sic exarmatus, ſic immedicabile corde
Vulnus alens monſtrum moriturus colligit æſtus,
Ridendaſque minas, & verba cadentia tollit
Dentibus infrendens; Criſpini ſcrinia lippi
Compilat, Patreſque oculo fugiente perverſans
Inſtaurare parat nugas, & crimina falſi
Committit manifeſta, citatque interrita charta
Quæ nunquam ſcripſere Patres; mendacia quódvis
Oſtentat folium; cumulatur crimine crimen.
Quo moriture ruis, majoraque viribus audes
Deplorate nimis? tantos a crimine ſumis
Infelix animos? ſed cornua ſecta reſurgant,
Cur ſpolieris erunt, non cur metuaris ab hoſte.
Sic quas poſtremo Divinæ offundere luci
Nubes tentaſti, pellit, mirabile, tanta
Dexteritate ſua Præſul, vetuſque Dialis
Flamen ut æterno perſtet fundamine nixa
Relligio, nullis poſt convellenda ſagittis.
Macte tua virtute Pater, tali itur ad aſtra
Limite, ſic omnes nomen revireſcit in annos
Brochmanni & toto florens cantabitur orbe.
An dubium eſt habitare Deum ſub pectore tanti
Præſulis? & Chriſtum Divino Numine totum
Diſpenſare virum? cum quævis linea magni
Authoris ſacros non diſſimulare Calores
Flaminis ætherei valeat, quod ſcripta loquuntur
Aurea Divinis paſſim ſplendentia verbis.
Sive docere placet, ſeu confutare rebelles
Adverſoſque Deo, diri ſeu conſcia facti
Pectora ſolari, dubioſque evolvere caſus,
Qui miſerum torquent animum, menteſque fati-
Sed quo devolvor? vires & copia fandi (gant.
Nulla mihi, dignumque nihil mens flumine tanto

Repperit ingenii; vox omnis & omnia verba
Laudibus inferiora tuis, queis ſecula nunquam
Poſtera victuris præſint, nec lingua nocebit.
Hîc Libitina nihil ſibi vendicat, alter Apelles
Se calamo pinxit nullo delebilis ævo.

(2) Ad 27. lectiſſimos Juvenes primum in Philoſophia gradum Anno 1648 ambientes.

Arma canant alii, faſces, ſtrictaſque ſecures
Et Martem in validis ructantem ſæva carinis
Bella, paludatos Reges, monumenta, tiaras,
Quos ad majores ſoccum transferre cothurnos
Calliope voluit; graciles ſufferre recuſant
Pondera tanta humeri, nec mens Mavortia ſpirat
Tympana, ſed placidæ gaudet dictata Minervæ
Induere in carmen, meritis & florida lauris
Tempora, queis certum meditatur Pallas hono-
Cantare, Aoniæ dum læta altaria Divæ (rem
Thure calent, Phœboq; ſacris cadit hoſtia templis.
Viderat Hafniadum mœſtas incedere gentes,
Et Danas lugere Domos, lugere Clientem
Præſidium demptum, pullo diadema colore
Squalens & triſti latrantia pectora luctu
Palladiæ gentis; ſolitas nec tempora lauros
Cingere, nec virides hederas, ſed lambere taxum.
Pieriaſque ſimul Muſas ſingultibus ultro
Mœrentes tragicum moliri gutture carmen,
Cum ſic Phœbus ait: nigris ſemperne cucullis
Gens immerſa ſedet? tepido num ſemper ocello
Funereas dolet ire faces? quin porrige frontem,
Sic voluere Dii; magnus qui fulmina vibrat
Jupiter Heroi rurſus tranſcripſit habenas

Ma-

Magnanimo Cimbrûm; nova mixta levamina luctum
Excludent veterem, condemnabuntque tenebris.
Sed mihi non ſatis hoc; rurſum Phœbéa loquentur
Pulpita & Aoniam velabit adorea gentem.
Ipſe ego tergemini qui fungor munere Divi
Hîc inhonorus eam? tripodemne palatia noſtrum
Spernant & nullo mactentur honore Camœnæ?
Quin vigilate viri, dulces haurite liquores,
Pectus ab inſipido dirimit queis nobile vulgo
Noſter amor, Clarii veneranda volumina Phœbi
Volvite non ſegnes, mea nam pulcherrima Daphne
Provocat ingenuos animos, animatque calores.
Dixerat. Aſcræi monitis immota tenebant
Lumina Caſtalii juvenes, quos Pallas ab annis
Nutrivit teneris, & caſtigavit ad unguem;
Quos nec amor vitii turpis, nec amica ſalaci
Ebria planta Deæ, nec imperioſa Megæra
Pigrities unquam excuſſit tramite honeſti.
Sirenum voces inter, caſſeſque latentes
Præteriere vafros occluſis auribus hymnos.
Menſque manuſq; vigil, ſapiens & maſcula virtus
Imbuit hos Juvenes, hos cunctis plena Camœnis
Porticus, & magnus Stagiræ finxit Alumnus.
I nunc & ſtantes in curribus Æmilianos
Dimidiaſque Curî ſtatuas oſtende, Cleanthe
Miſſo, cui pulchrum eſt alienæ incumbere famæ;
Stultitiam! nec enim quicquam juvat undiq; ceris
Atria dedecorare Patrum, ſi vivida virtus
Exulat & turpi ſordet farragine lingua.
O dilecta cohors propriis innixa lacertis
Pectora circumfers, propriis virtutibus ultro
Lauriferam Sophiæ meruiſti ferre coronam.
Ecquid Scyllæam rabiem, Cyclopiaque arma
Miramur domuiſſe Patres? quid ſanguine paſtos

Humano Diomedis equos, taurique ferocis
Cornua, Tartareumq; canem, Lernæq; venenum?
Herculeum ſane: ſed & id magis Hercule dignum
Commotos proprii compeſcere pectoris æſtus.
Scilicet hoc voluit Pallas, cum laude dediſtis
Effectum id Juvenes, nec enim juvenile peruſſit
Pectore veſtra malum, vitiis qui bella paraſtis.
Jamque ſavere viri, Clarius Deus ora reſolvit:
Macti animo Juvenes! veſter Dominatur Apollo,
Vos o difficiles aditus, vos frigora brumæ,
Iras, inſidiaſque, catenatoſque labores
Muſarum in caſtris perpeſſi, plaudite, fructus,
Fructus adeſt; veſtros modo laurea vitta capillos
Implicet & circulum ſuperaddet ſplendida bacca.
Ars mea ſorderet, meritam niſi præmia laudem
Exciperent, paribuſque labos & gloria ſtarent
Auſpiciis; jam Flora redit, jam Maja recurſat
Fœta bonis, ſolitas revocat Philomela querelas;
Singula quid referam? Nereus, cœlumq; ſolumq;
Cuncta placent, meritis modo digna dediſſe placent
Præmia; jam ſertum de colle biverticæ Pindi (bis
Cum Muſis texunt Charites, Parnaſſia Dona.
Sed noſter legatus erit, ſubſellia ſcandet
FROMMIUS atq; meis laurum decernet alumnis.
Conticuit. Patres Cathedræ, Chariumque mani-
plus
Permeſſique chorus meritis & honoribus auctis
Applaudunt, geminat votivo corde Lyceum:
Sic prodeſt Phœbo, ſic ſic adoleſſe Deabus
Thura Novenſilibus; ſic confert inclyta Pallas
Nomina, nominibuſq; animos, animiſque favorem.

In Muſæum rariorum Naturæ (3) & Artis partuum WORMII.

Cedite Pyramides, Mauſoli cedite buſta,
Et Philadelphéi Bibliotheca Ducis.
Vos tot Myriadum vix congeſſere labores,
Plus hîc unius dextera ſancta viri.
Sive placet Superi miracula cernere mundi,
Sive quod in gremio dives abyſſus alit.
Omnia *Wormiaci* pandunt miranda penates,
Ipſe tamen magno pectore plura tenet.
Tartarus hic Borametz, videt hic gens Turcica
China tuas gazas, &, Calocutte, tuas. (Meſuch;
Quæ nondum efforetæ fundunt animalia nubes,
Ovaque fœmineo vera recluſa ſinu.
Quicquid in Arctoa convaſat ſemifer Hecla,
Ætnæo quicquid Mulciber ore vomit.
Altera Phœbeo veſtitum lumine ſaxum
Et lapidis greſſus altera ciſta notat.
Hæc Libani dotes, Paradiſiacaſque volucres
Aſt Hierichuntinas altera capſa roſas.
Tertia compactum cernit lapideſcere panem,
Encheladi coſtas proxima quarta ſtupet.
Explicat hîc furvas atrata ciconia veſtes,
Et confers niveam, maſcule rare, cutem.
Cerneret heic doctum Pyrrhus redivivus Ache-
Et Pluto mineras, & ſua mollis Arabs. (tem,
Nil opus ut tranſtris ſtudioſus circinet orbem,
Una domus *Wormi*, quæ tenet orbis, habet.

(4) In honores 24. primæ laureæ Philoſophicæ Candidatorum Anno 1650.

Diſtinguit natura vices, nec limite ſemper
Pignora conſueto, quamvis oculata, coercet.
Muneribus variata ſuis; hinc ſtagna reſidunt
Exſiccata, novo perſæpe repullulat ore
Flumen & incultis mutantur ſaltibus arva.
Scilicet Exemplis ſtamus, nec ſegnius illâ
Alternare locos, alioque volumine curſum
Vertere Phœbeæ ſpectamus lumina gentis.
Ante quidem helleboro vixit, laurumq; momordit
Græcia, ſed ſparſam ſepelivit neſcia famam
Barbarico corrupta ſago, fœtiſque triumphis
Dilaniata, lubens victas victoribus artes
Tradidit infelix, lauriſque libriſque relictis.
Poſt didicit migrare ſolo, poſt gloria Phœbi
Acceſſit propius, cum contemplata quietem
Sedit, & illuſtri poſuit ſe mente Catonum.
Hinc Italis aſſueta diu protendere fines
Arſit & egelidos non aſpernata Triones
Auroram liquit, Cimbroque renaſcitur orbe
Imperiis gaudens Danis; quæque alma per urbes
Servitium regnumque tulit, totieſque reverrit
Grajorum cineres mediis modo fulget Athenis
Hafniadûm, figitque lares, ubi totus in aure,
Totus in ore ſonat Phœbus vertigine feſſus
Tandem, Alemanne, tua: Dano ſic creſcere laurus
Aſparagi didicere ſolo, fructuſque quotannis
Promere vernantes, & inexſtirpata Minervæ
Germina manſuris ſobolem vincire corollis.
Hinc toties floret, totieſque maritat ad artem

Pan-

Panſophiæ mentes, ſtudiis queis pectus honeſtis
Excultum ſplendet, cœloque propinquior aura,
Unde animum moreſque trahunt; non naſcitur
Delphica Penelopes ſponſis, lapſoq; Catoni(arbor
De Cœlo, curviſque animis, ſomnique patronis.
Secum habitent Junonis aves, quas nulla redemit
A vitiis virtus, queis læva in parte mamillæ
Nil ſalit egregium: genio cœleſtium inani
Deſidiæque procis nullas ereximus aras.
Sed Phœbea cohors, merito tua diſcrepat illis
Et vox & ratio, divinorumque capaci
Pectore lauriferi conſcendis culmina Pindi.
Hinc decus Aonidum, Borealis gloria terræ
Inſtaurata micas, ex ſpectatæque palæſtræ
Gymnaſium præfers vultu; tibi laurea vitta
Artifici crevit ſtudio, vigiliſque Camœnæ
Conſcia Luna tuæ eſt; viderunt Pallada cultam
Ignibus in varias cœlum laqueantia formas
Sidera & exhauſtæ ſenſerunt frigora brumæ.
Aëra quid craſſum, nareſque Aquilonis obeſas
Inculcas, Suffene, Dano? quid frigora mentis
Tibridis & Rhodani potor, tuque accola Rheni,
Atq; Iber atque Brito? quid inexplorata remordes
Virgula Cenſorum? velut hic ſanctiſſima ventris
Majeſtas cenſenda foret, caſſumque Minervâ
Pectus & Auguſto recitantes menſe Poëtæ.
Errat Ariſtarchus, nec enim libare Prometheus
Æthereos ignes ſoli duntaxat Eoo,
Auſtriniſve dedit, Boreas quoque munere tanto
Lætatur, nebulaſque ſuas indagine mentis
Diſſipat optatâ ſolers, friguſque calore
Pectoris excludit, genioque illuminat Arcton.
Sic lapidi ſuus ignis ineſt, fulvoque metallo
Flamma, licet tactu gelido, ſobolique Trionum,
Nec ſunt rara adeo veſtigia, vel totidem quot

Thebarum portæ: ſimul & virtutibus obſtat
Sufflamen prægrande Danis; contracta ſupellex
Æris adeſt, ſiſtitque gradum, ſic flaccida bulga
Imperat & magnos cogit ſopirier auſus. (lum
Nonne hederam, Cenſor, præſente ſtatumine cœ-
Spectantem cernis; ſi deſponſata reſolvas
Brachia, reptabit, ſuetoſque ejuret honores.
Da Mæcenates mox inventure Marones,
Livide, faſtidit ſterilem, ſed laurea pingui
Luxuriare ſolet gleba, & cuſtodibus umbris.
Si tamen & noſtras lolium inter ſerpere Muſas
Contigerit, toto tribulorum fructus in orbe eſt,
Et Soli maculæ: non verrucoſa barathri
Turpat Ariſtotelem facies, non atria pulvis,
Hecla nec exactum terræ decircinat orbem.
Aſpice quot lauros verſo cum ſole reducit
Portua, Phœbeas inter numeranda Magiſtras
Prima, quot adducat venerandæ germina baccæ.
Hic nos, hic Juvenes, atque argumenta retentæ
Palladis, hic Muſas, cognataque nomina ſtellis
Siſtimus, & tripodi notos; his ora Minervæ
Induit ingenium, nec delaſſabile Muſis
Pectus, & ingenuis fœcundat munera linguis.
Inde vireſcenti crines ornabere lauru
Gloria Caſtalidum, meritoſque expendet honores
BANGIUS, & totam decorabit bacchare frontem,
Auſpiciis, THOMÆE, tuis, ne Zoilus ungue
Infeſtet ſcabro baccas: ſed ſæviat ille,
Efflet & in cœlum pelagus, morſuque fatiget
Pallada, contuſi crepitent ſine vulnere dentes.

Ad (5)

D. JOHANNEM RHODIUM
de venis lacteis diſſerentem.

Cedo tuam, devicte Chares, devicte, coronam,
Præconeſque tuos, nunc ſe jaculatur in auras,
Exarmatque tuam Rhodiana Coloſſica molem
Viribus, occultas dum pandit ſedula valvas
Naturæ, gremiumque chyli undique receſſus
Exigui; proſtrate Chares, tibi viſcus ahenum
Suffecit formaſſe tuo, vaſtumque Coloſſo
Corpus & immenſo lambentem ſydera truncum
Vertice; ſed minimo mirandam claudere pugno
Structuram, calamoque tibi tot commata priſcis
Incomperta ſequi, tot inexhauſtoſque canales
Purpureæque vias animæ, qui circinet artus
Hic Rhodus, hic *Rhodius* palmam lucratur, & omni
Suſpendenda tholo depromit munera ſolers
Naturæ, totamque ſagax ſpatiatur in artem.
Macte tua virtute, Rhodum ſic perge Coloſſis
Exornare tuis: hirqui tranſverſa tuentes (retro.
Non remorentur iter, tua nec, nove Mome, pha-
Dum *Rhodium* rodis, rhododendra aſperrima ro-
Zoile, rodentem corrodunt ſpicula linguam. (dis.

Ad (6)

D. PAULUM RESENIUM
de ſenſuum organis diſputantem

Organa parva quidem; ſed queis ſolertius un-
Effinxit natura nihil: ſic orbibus orbes (quam
Connectunt oculi: totum ſic parvula cœlum

Pu-

Pupula colluſtrat: Sic Lydius ille ſaporum
Formatus lapis eſt: geminæ ſic oſtia pandunt
Nares olfactus: ſinubus ſic atria cernis.
Detornata ſoni rumpantur ut ilia Momis.
Hanc dum pertractas ſtudiis exculte *Reſeni*
Exigui faciem mundi, ſenſuſque coloras
Inſtrumenta tuo genio, manifeſtius omnes
Igniculos Patrii ſplendoris cernimus, & mox
Flammam virtutis tantæ cernemus avitam.

---

(7) In nuptias

JANI LASSONII & MARGARETÆ LUNDIÆ.

Oratio Veneris ad Miſogamos & ſponſos.

Quid toties bellum dedignabare maritum?
 Quid tibi ſordebat, trux Atalanta, Venus?
Nempe tuas poteris vel adhuc numerare clientas.
 Militat in caſtris rara caterva tuis.
Quod ſi Veſtales, bellatricemque Dianam
 Objicis, & paucos, ſed ſine mente, viros;
Nos contra, vaſtum noſtris ſub faſcibus orbem
 Cernimus atque ipſum ſubdere colla Jovem.
Regnat ubique Venus, totaſque perambulat urbes
 Et modus eſt regni non habuiſſe modum.
Succubuere ſacri, mihi ſuccubuere profani,
 Quos habuit mundus, quos habiturus erit.
Non, licet ex toto facundia confluat orbe,
 Non, ſi Divinum Neſtora reddat humus,
Vincent Miſogami, nec enim mea lancea fallet,
 Quæ ſolet in juſſo ſtare parata loco.
Pulveris exigui jactu compreſſa ſileſcent,
 Quæ promit fortis garrulitate Bias.

Fal-

Fallor an hanc mentem febrilem querquera febris
Induit in doctum, non abitura, caput.
Non placet antiquæ monumenta accerſere famæ,
Aſpice quam prompta eſt Hafnia ferre jugum.
Cernis ut Idalias vibrat *Laſſonius* haſtas,
Cernis ut accenſo *Margaris* igne calet;
Ille Patris magnum decus, & non degener hæres,
Illa in virgineo gloria rara choro.
Virgo potens facie, ſed virgo potentior arte
Hic tuus eſt Helicon, hic tua Cyrrha ſalit.
Ut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram
Palles, ignotum jam ſubitura jugum?
Sponſa remitte metum, pia ſponſa remitte pudorem,
Non ſequitur pavidam bellua torva feram;
Serius ille timor non ſit, ſimulata recede;
Nec fuge, quo fugias, quo capiare, fuge.
Scilicet in vacuo furor eſt ſterileſcere lecto,
Et damnare ſacras, Ambroſiaſque dapes.
Lucra parit verſas Aquiloni oſtendere glebas,
Sed quas divitias terra inarata dabit?
Hæc in clavigeras, cum ſe demitteret ulnas,
Pectore luſtravit Deianira ſuo.
Hæc pia Penelope committens brachia Ulyſſi,
Brachia Sithonia candidiora nive.
Crede mihi Scythicas ſubito ſpectabis eremos,
Omniaque in purum, mox abitura nihil,
Illa Dionææ ſi deflagraret in orbe
Flamma, vel e mundo ſe removeret Amor.
Recte igitur pateris precibus manſueſcere pectus,
Candidaque ingenuo porrigis ora viro,
Quem dudum Charites enutrivere Magiſtræ,
Et Themis & Dani callida turba fori.
Ite per obliquos morborum examina mundos,
Hinc procul, Eoas ite, habitate plagas.

Nil horum meruere manus, non triſte bidental,
  Et ſacra polluto non tetigere pede.
Vos ſponſi, indomitis fremat orbis & orcus in ar-
  Seu pax ſanguineum pellat, agatq; Deum, {mis,
Incolumes ſeros vitam ducetis in annos,
  Horrebit veſtros mors temerare lares.
Non niſi formoſi cernetis prælia lecti,
  Non niſi quas inflat blanda cupido tubas.
Luſitet in patriis Æneas parvulus aulis,
  Et videat gemmas, gemmula clara ſuas.

(8) Ad

Dn. GREGORIUM CHRISTIANUM

Conrectorem Hafnienſem, cum Anno 1651. Philoſophiæ Magiſter crearetur.

Quamvis nativo virtus ſplendeſcat in auro,
Divitiis animoſa ſuis; nec faſcibus ullis
Altius aſſurgat; non inclareſcere vulgi
Plauſibus, aut celſas cupiat ſcandiſſe Curules:
Hanc tamen invitam laudum prolixa caterva
Inſequitur, Dominamque ſuam diademate fulgens
Ambit honor, gaudetque comis inſerpere laurus.
Sic tua jam dudum virtus, clariſſime Cimber,
Fortunæ ſecura ſtetit, ſplendore refulgens
Ipſa ſuo: pectus non inflexere labores
Sponte catenati: mens ſe diffundit in omnes
Palladis Articulos: nunquam tibi marcida luxu
Otia: vix ſomnos ſtudium permiſit inertes.
Interpellatæ donec ſufflamine longo
Devinxere tibi laudes caput, atque repertæ
Virtuti comes ire ſuæ fœcunda corollis

Glo-

Gloria, & invictos tentavit lambere crines.
Floreat iſta precor laurus tua tempora circum,
Et dilata diu totis jam germinet annis
Splendida, nec longo marceſcat adorea ſeclo.

In nuptias Herois generoſiſſimi (9)

Dn: ERICI KRAGII

Auguſto Danorum Regi a ſecretis intimis,
& Nobiliſſ: virginis

WIBICHIÆ ROSEN-KRANTZIÆ.

Anno 1653.

Siſtite hyperborei verſanda negotia regni,
Siſtite, dum grandes delenitura labores
Gaudia delibat *Kragius*; dum læta Diones
Bella triumphatis Heros exercet in arvis.
Sic mirabundo cum verſaretur in orbe
Amphitryoniades, quamvis in publica mundi
Commoda, belligeræ libraret verbera dextræ,
Succubuit Paphiæ telo, calathumque gubernans
Omphalees, paulum clavamque minaſque reliquit.
Intervalla placent, & ſpiramenta laborum
Diis magnis, parviſque ſimul; non Jupiter ipſe
Jura ſecuturo ſemper diſpenſat Olympo.
Nec ſemper Geticis Mavors Gradivus in armis
Fulmineo ruit enſe minax, dextramque cruentat,
Sæpe ſed Idalios amat inter ſpargere luſus.
Hic Heros noſter, ſacra dum veſtigia calcat
Tot pedibus ſignata Deûm. Jam publica mentem
Poſſedere viri longum: Si Martia ſpectas
Geſta, vides circum Trojanos Hectora muros

Agmi-

Agmina magnifico fundentem hoſtilia ferro,
Cum Patriæ ſic bella jubent: ſenſere Sueones
Pectus ad oppoſitas non exhorreſcere turmas.
Si pacata cupis, facundum cernis Ulyſſem
Munia prudenti diſponere cuncta cerebro;
Rectius haud Aſtræa poteſt, ſi quando reviſat
Danica pacifico famulantia regna Quirino.
Seu librare placet, quæ per tot ſedulus annos
Archivo ſpectante facit; ſeu publica regni
Munera vicinos inter ſat cognita Suecos;
Seu Jovis Arctoi, quæ nunc myſteria verſat.
Sed quo me ducis mea Muſa? quid incipis audax
Ægæum tenui pontum tranſmittere cymbâ?
Icarios vita curſus; quis præter Apellem
Fortis Alexandri ſat digne expreſſerit ora?
Id tantum mea plectra volunt, vicina Tonanti
Nomina curarum tantam excipientia molem
Non fruſtra in Paphiæ caſtris inquirere aſylum.
Salve igitur dilecta Cypris te tanta Diana
Diſpenſante venit, pro qua vel Jupiter ipſe
In pluvium decies ſeſe converteret aurum.
Attonitæ ſtupuere Deæ cum labra moventem
Aſpicerent, tandem clamant: ſpectate ſupremum
Naturæ conantis opus; jam Danica tellus
Progignit Divas; iſtis ſe noſter Olympus
Incaſſum jactat titulis; quæ forma genarum eſt?
Sydereæ quis frontis honos? quæ gratia linguæ?
Illa catenatas Domini dulceſcere curas,
Illa facit blandis ſalientia pectora dictis.
Non magis Ambroſii quondam pleniſſima mellis
Verba ſub Oebaliæ fluitantia gutture laſſum
Mulcerunt Paridem, cum poſt exhauſta reverſus
Prælia ſanguineos excuſſit corpore grumos.
Illuſtres animæ, Danorum lumina, fauſto
Omine ſecuros tandem miſcete calores.

Au-

Auſpiciis, Cytherea, tuis: ſine conjuge cœlebs
Sceptriger interea vivat, dum pronuba Juno
Inſternit thalamos magni paris; ilicet adſit,
Quicquid in Idaliis molitur gaudia lucis.
Mox teneræ ſurgant Veneres, & ludat in aula
Parvulus Æneas, qui per veſtigia Patris
Progreſſus, ſceptris affinia nomina geſtet.

Ad (10)

Dn: HIERONYMUM KOCKIUM,

Cum Roſtochii eodem die & ſummis in jure honoribus, & ſummæ inter virgines pulchritudinis, virtutiſque ſponſâ

CATHARINA RHANIA

bearetur.

Ante ſimul ternas vidiſtis Olympia lauros
  Diagoræ natis implicuiſſe caput;
Sic ſe luctator, ſic pancratiaſta rotavit,
  Sic pugil hoſtiles exiit arte dolos:
Nunc duplicem triplici, fato meliore, triumphum
  Varniades Grajis oppoſuere viris.
Nempe triumphantem bis ſcena inducit *Heroem*,
  Dum citus in medio ſol micat orbe ſemel:
Utraque Phœbeo victoria digna Magiſtro,
  Utraque pancratiis, major, Achive, tuis;
A Themide emeritam ſive aſpectare coronam,
  Seu libet à *Rhaniâ* capta trophæa domo.
Quantæ molis opus per tot digeſta cerebrum
  Frangere? tot vaſti codicis ire vias?

Quan-

Quantæ molis opus *Rhenia* evicisse Cythnum ?
Quæ Peitho ingenti sat fuit apta pati ?
Macte bipertita, *Cochi* clariſſime, laure !
Neſciat inviſum frons geminata ſitum.
Fauſte conveniant, fauſte una in ſede morentur
Et rigor Aſtrææ, Cyprigenæque calor.
Diagoræ tantum ſuperabis, ſponſe, trophæa,
Quantum adamas bullæ ſpumea labra ſolet,
Nam tua promiſſis manſura, Dieſpiter illa
Attulit una dies, abſtulit una dies.

(11) In obitum Generoſiſſimi Herois Dn:

HENRICI HWITFELDII,

Equitis Aurati & Arcis Coronienſis Præſidis, quondam, Graviſſimi, Ampliſſimi. Anno 1652.

Perpetuum ſub ſole nihil; vertigine nutat
Orbis, & immodice pervertit cuncta rotatrix
Atropos; hinc ſtantes in curribus Æmiliani
Sternuntur, Corydonq; pari diſcrimine; nullum
Præterit infauſtâ morsu Proſerpina falce.
Non aurum, non gemmæ necem, non marmora vi-
Interitum, ſentitq; ſuum pila ſaxea mortem. (tant
Quo moritura ruis tandem fera Mors? quid illæ
Hwitfeldi meruere manus? victura tonanti
Nomina, & in noſtris ſemper viventia faſtis
Quid vitæ ſpoliare paras? converte Pharetram,
Et ſi tanta tuas urget ſitis, improba, fauces,
Huc greſſus, huc ora refer, vilemque popellum,
Et quibus aſſuevit ſacrum crudeliter uti,
Dejice, nec magnos tangant diſpendia patres.
Sed quam dulce tibi eſt, & inexorabile verbum,
Naviget, excelſo feriat ſeu vertice ſtellas,

Seu

Seu colat obſcuri fumoſa mapalia Mauri.
Sed bene, quod Mortæ pars exiguiſſima tanti eſt
Herois; metuit duntaxat carnea moles
Imperium: domus eſt, non rector, quem tua figunt
Spicula, Parcarum tranſcendunt cætera leges.
Ceu cum villoſum Getula puerpera brutum
Audiit in ſylvis pallamque ſtolamque relinquit
Affixam ramo, ſe ſeque exercita condit;
Urſus adeſt, caſumq; videns pro corpore corpus
Sævit in exuvias, & quamvis murmura torvus
Crebra vomat, rabidos evadit fœmina dentes:
Sic tibi quantumvis ſævo undique & undiq; telo
Parca ruas, quamvis pontem indignetur Araxes,
Exuvias præter nil Diis immiſta relinquet
Umbra ſenis magni; mens excelſior urna
Neſcit & ex Superis mortalia deſpicit aſtris.
Quid me magnifici percurrere geſta [illegible]
Muſa jubet atque meum membris imbellibus iſthæc?
Materia ſuperante premor: ſua nomina faſtis
Linque, nec inſipida vileſcant grandia voce.
Namque hunc ſeu Tiberis potor, ſeu Celtiber ar-
Seu vidit Tameſis, nil non mirabile vidit, (dens,
Et grandi dignum calamo; non Gallia neſcit
Hwitfeldi pectus, non Heidelberga vigorem.
Quis, cum Cæſareas Mavors induceret haſtas
In Patriæ gremium, magis imperterritus illo
Obſtitit? aut propere quando improviſa Suecorum
Agmina fatali miſcerent omnia bello.
Scilicet hinc Elephas, ea Majeſtatis imago,
Aureus intrepidum properavit tangere pectus.
Et ſi cui laudes libet evolviſſe togatas,
Oceanum cernet, magni ſe circulus anni
Abſolvet citius, quàm vincet ſingula dictis.
Conſcia tantarum procede Coronia rerum,
Et Domini mores, & quæ reverentia legum

Sub

Sub Divo fuerit, veraci ediſſere lingua:
„ Jura vireſcebant: juſtum proſcripſerat omnes
„ Infandi ſceleris facies: fraus compede vincta
„ Mordebat proprias nimium vexata catenas:
„ Tutamen miſeris vixit: ſolamen egenis,
„ Pupilliſque pater: nec quicquam ſanctius illo
„ Vidit in Arctoo Phœbus nitidiſſimus orbe.

Incola celſe poli, tu nunc ſuper æthera vectus
Sub pedibus morbos, & lethi fulmina calcas
Liber ab inſidiis, vitamque à funere ſumens
Vivis in æterno nunquam moriture theatro.

(12) In Effigiem Ejuſdem Generoſiſſimi HWITFELDII.

Lumina ſic patrio ſapiens HWITFELDIUS orbi,
Abdita ſic mentis conſpicienda dedit;
Vir ſecli, Saturne, tui; vir nomine candor,
Et re Sithonias candidus ante nives.
Nec mirum: externa ſatis his præluſit in Aulâ;
Heidelberga, tui cura, decuſque Ducis;
Redditus hinc patriis, civem ſe præſtitit, oris
Dum ſaga, magnanimus, dum toga, plebis amor.
Suſpice, Dane, virum, qui murus aheneus hoſti
Oppoſitus, muro deficiente, fuit;
Dumque cruentatis Sueo promovet arma lacertis,
Ille coronanda rurſus ab arce pluit,
Imber erat mortes; ut ferreus excidit imber,
Deucalionea rejicit arte minas,
Conſilio ingentis Generi, defendere certus,
Aut ſubitam nitro fingere ad aſtra viam.
Illuſtret Cajum Mavors, Titiumque Tribunal,
Affinem jactes Æmiliane Jovem;

Sin-

Singula ſint aliis illuſtria; quantus at ille?
Quem ſimul illuſtrant & toga, bella, gener.

Ad (13)

CHRISTIANUM FOSSIUM

Medicum Experientiſſimum, cum ſibi

ELISAM SCAVENIAM

in ſocietatem tori aſſumeret.

Quid ſub ſole novi? rurſuſne in prælia, rurſus
In prius extinctam ſcandit Eliſa pyram?
Ardet Apollinei cineres poſt nempe Sichæi,
Ardet, & in toto pectore vulnus alit:
Perdius Æneas animo, pernoxque recurſat,
Huic, ait, huic ſoli dulce reſigno meum;
Hujus ad arbitrium fixam prius exuo mentem,
Hujus in hac noſtra ludet Iulus humo.
Hoc ſub Sole novum: jam mitius uritur illa,
Atque magis ſtabilem porrigit ille manum:
Alter in Italiam celeri rate fugit Eliſam,
Alter ab Italia, quo potiatur, adeſt.

In CompendiumGeographicum, Sphæricum, & computum Eccleſiaſticum (14)

D. M. GEORGII HILARII

Scholæ Hafn: Rectoris, & Prof: P.

Aſpice tantillo tot clauſa volumina pugno,
Deſcriptas terras ſydereumque polum:
Circinus ut certis producat legibus orbes,
Utque obeat partes regula docta ſuas.

Quomodo labentes Eccleſia ſupputet annos,
Cyclorumque rotas, Emboliſmaſque vices.
Maxima Petavii non ſic monimenta cerebri,
Aut quæ Scaligeri compoſuere manus.
Hic tibi ſe pandunt armillatæque figuræ,
Atque Colurorum non ſimulata via;
Quo vergat Cepheus; ubi laxat crura Bootes,
Cernis, Ephemeridum jam rota tota patet.
Quo mare Sarmaticum, quo ſe Caledonia vergat
Unda, fretum Davis, quo ruat orbe, vides.
Jactitet ignaros modo ſpiſſa volumina, lector,
Hic reperis nucleum, grande putamen ibi.

---

(15) Ad XX florentiſſimi ingenii viros Anno 1649, ſupremis in Philoſophia honoribus merito ſuo decoratos.

Apollo inducitur.

Exceſſit glacialis hyems, & ſtiria tecto
Dedidicit pendere ſuo: fœcunda reſurgunt
Gramina, purpureo tellurem flore coronat
Flora; Magiſtrales iterum revocate coronas,
Palladiâque ſacram lauro circumdate gentem
Theſpiades Muſæ; Danas florere Camœnas
Sic volumus, auſteris juvenes impalleſcere chartis.
Infauſtum Phlegetonta bibat, qui ſacra Vacunæ
Tractat, & immundo cupit indormire veterno.
De meliore luto noſtri finxere clientes
Pectora, & diverſa pergunt ad culmina laudum
Limine, nam veram totis quinquatribus optant
Virtutem; Pallas tales animavit in auſus
Caſtalium populum; cœpto fortuna labori
Annuit, & meritis jam diſpenſabit honores.
Scilicet innumeros cultam in Pallade Soles

Con-

Condidit, & ſtudiis, gravido cum Cynthia cornu
Surgeret, indulſit, Boreas nec, ſole remoto,
Impediit fixos, fama accedente, labores.
Non coluit Bromii latices; non Sardanapali
Quæſivit plumas; nec quas Pactolus arenas
Gurgite provolvit: cæcæ ludibria fortis
Hæc ſunt; hæc Crœſus, vel quos famoſâ ſagina
Fixit humi, quærant, & amatæ pondera terræ,
Aurituſque Midas: trahit in contraria mentem
Gens devota mihi, totumque explorat ad unguem
Facta ſua, & juſto trutinæ ſe examine librat.
Jam ſuper ora virûm, ſupraque cubilia Lunæ,
Et Solis thalamos, generoſos mittit ocellos,
Inquiritque Jovem, nec ſolâ fronte Deorum
Contentus manet, & cœlum ſpeculatur in alto,
Cognatumque ſequens corpus ſe quærit in aſtris.
Jam terræ rimatur opes, nec margine primo
Subſiſtit, gremium Veſtæ, Neptuniaque arva,
Abſtruſoſque ſinus ſolerti indagine quærit.
Vel veterum monumenta petens diademata mundi
Infantis numerat; vel quis prætextus inermi
Expreſſit populo bellum, Martemque novellis
Induxit primum terris; quis mœnia finxit,
Contiguaſque domos; triſti cur Pergama bello
Argolico cecidere; quid Hector & acer Achilles.
Quo Babylona modo circumdedit undique ſaxis
Fœmina coctilibus, mixtoque bitumine primum
Mœnia formavit: Phario nutantia ſaxo
Pondera, & induto moles geminata Coloſſo
Quid voluit, volvit; vel quæ miracula quondam
Oſtendit Memphis, memori trutinata cerebro
Excutit, aut Latias cupidus ſpatiatur in arces
Romuleaſque domos, & quicquid Martia tellus
Patravit, meminit: non impenetrabile quicquam
Objicit ingenio Pallas, ſeu nupera ſpectes

Dogmata ſeu veterum, callet præcepta Sophorum.
Ecce Peripati redivivus ſiſtitur Atlas,
Cecropiusque Plato mea gens eſt, plaudite Muſæ.
Hîc Suadam Cicero, hîc poterunt didiciſſe Marónes
Carmina, & antiquis ſaturari Græcia linguis.
Amphitryoniadem quondam ſacravit Olympo
Fabula, & æthereis permiſcuit Hectora Divis
Robur & Argivo maculatus ſanguine campus:
Diſplicet hæc methodus nobis, hoc tramite nun-
Graſſamur; tales Phœbi ſapientia palmas (quam
Negligit, hic grandes poterunt exeſſe lacerti.
Quid juvat immodico dextram temerare cruore,
Atque avidum geminis pectus ſatiaſſe triumphis,
Si mens Aoniæ marceſcat lumine caſſa
Palladis, & claros ſqualens obnubilet auſus
Farrago linguæ, medioque inſerpat honori
Caligo mentis; non hæc victoria cœlos
Scandit, non poſſunt victricia puncta mereri (arva
Brachia. Quid Cannas, Trebiam, Thraſymeniaq;
Objicis armorum genitor? tua laurea mortem
Spirat, & intrepidos ſerto vinxiſſe cruento
Ambroſia eſt, nectarque gulæ; mea laurea vitam
Promittit; Phœbi nunquam Libitina clientes
Hauriet, aut doctis meritos ſubducet honores.
Jamque Ego, qui tantum terrarum Regibus exſto,
Quantum aliis Reges, toto ſpectante Lyceo
Hafniadum, longos delenitura labores
Munera depromo, & decoranti germine lauros.
FINCHI, noſter amor, genti mea caſtra ſecutæ
Sufficito titulos, Clario applaudente ſenatu,
Atque Magiſtrali veſtito tempora mitrâ:
Præceſſit ſudor, livor, vigilantia, cura,
Sedulitas, moles; ſed jam glomerantur in unum
Præmia, cum titulis laus, laurus, fama, cathedra.

(16) In

(16)

In mortem D. D. CASPARI BROCHMANNI, Epiſcopi, ſcriptis eruditis, & inuſitata in pauperes omnes liberalitate illuſtriſſimi. 1652.

Ergo ubi terrarum magnos inſurgere motus,
Indomitique nimis floreſcere crimina mundi
Aſpexit ſanctus *Brochmand*, perrumpite, dixit,
Fila Deæ, ſatis eſt, ſat in his ſudavimus arvis;
Lampada contineant alii, me læta vocarunt
Gaudia, nil mundo præter tormenta relictum;
Vixi, nec Patriam, ſpero, vixiſſe pigebit.
Vera quidem divine Senex; quà Danica Tethys
Lambit humum, & vitreis latè complectitur ulnis,
Nomen honosq; tuum vivit, meritisq; triumphat
Laudibus in circo quovis, nec carcere Balthes
Clauditur, extremum mundi ſed navigat æquor;
Qualiter Eoo ſôl manè profectus ab ortu
Currit & ingentem ſubito perlabitur æthram,
Nec veſpertino laxat ſpumantia ponto
Frena prius, totum quàm perluſtraverit orbem.
Nec meruere aliud ſanctæ miracula linguæ,
Et cerebri fœtus, queis enervatus hebeſcit
Bellarminus atrox, & perſonata Wilhelmi
Nomina, queis Sohnio, debacchantique cohorti,
Trux Calvine, tuæ genuinus frangitur, atque
Infortunatum Crellſ vitatur acumen.
Te vivente, Pater, Cyri ſpectavimus ora,
Auguſtique manus largas, atque æra Periclis
Rebus Anaxagoræ ſuccurrere; vidimus omnes
Alphonſi mores, Artaxerxiſque favorem,
Et Philadelpheam profundere munera dextram.
O quoties inopem ſuccumbentemque palæſtram
Hafniacæ Muſæ tua munificentia numis

Erexit! quoties linguas tua lingua diſertas
Reddidit admonitu dulci! mentemque togatam
Geſſere & corpus, cùm te tua purpura vidit
Ore movere viros, Muſaſque accendere donis.
Sic quondam trepido domitor Pellæus in orbe
Munera diſtribuit; nec ſolos præda beavit
Induperatores, ſed tyro gregarius inter
Horrores barri crebros, fremituſque ceraſtæ
Vixit inauratus, verſo cum Perſide fato.
Dixiſſes priſcum venientia ſecula in aurum
Surrectura brevi, queis Veſpaſiane dediſti
Annua Rhetoribus centena, & cenſus equeſtris
Mendico patuit, propter ſua metra, Salejo.
Sed ferrum mundi, poſtquam venerandus ocellos
Concluſit, remanet; mutant tabulam paleſtræ,
Et dudum digito mendicat Pollio nudo.
Sancte Deus ſuperâ jactatos reſpice ab aulâ,
Arctoiſque fave ſpatiis, ubi ſceptra capeſſit,
Succeſſorque premit ſolium *Svantingiani* orbum,
Clareſcat titulis, queis hic, *Brochmanne*, perennas,
Queis nunquam moriere ſolo; dum vivimus ipſi,
Dum cathedræ atque ſcholæ ſtabunt, dum templa
perennant.

---

(17) In nuptias fratris
M. CLAUDII BORRICHII.
Anno 1646.

Vecta levi curru medias Cytherea per urbes
Scanorum, rapidis humeros ornata pharetris
Aurea flammanti vibrabat cuſpide tela.
Jam ſua *Borrichius* cernebat vulnere membra
Confixiſſe Deam; quod nec Podalirius herbis,
Nec verbis Neſtor, nervis nec doctus Arion
Pellere ſufficeret; tandem ſic pronuba Juno:
Me-

Mecum erit iſte labor, nuncquâ ratione medelam
Nanciſci liceat, paucís, adverte, docebo.
Hanc nurus Aſſaraci non victi roboris urbem,
Romam Scanorum (liquidus circumfluit amnis
Helliacus) peragrans urentes blanda ſagittas
Immiſit teneræ, fixitque in corde puellæ,
Cathrinam dicunt, quas non medicamine Pæon
Tolleret, hæc Medicum, Medicam tu quæris, at illa
Sit tua nunc Medica, optatuſque huic eſto Machaon.
Dixerat; hic magnæ matris parere parabat
Imperio, & primum precibus, ſacriſque litatis
Sollicitat thalamum: læta ſe voce reſolvit
Bella puella, ſuam facundo ſicut Ulyſſi
Dulichio dextram roſeo Peribœa pudore
Penelope quondam, tradens, ſua cuncta procanti
Promittit, ſtabili ſummi matrona tonantis
Fœdere conjunxit decretos nuper amores.
Ergo Caſtalidûm dux lauriger alme Sororum,
Illuxiſſe diem, quo vincla jugalia Sponſi
Omine connectent dextro, & Junone ſecundâ
Cum pateat, citharâ ſubito modulere dicatum
Dulciſonâ carmen tædis fatalibus, inde
Ordine Theſpiades facias cantare Camœnas.
Hæc Jovis inſtinctu Phœbum Cyllenia proles
Juſſit, & edoctum medio ſermone reliquit.
Vix ea fatus erat, viridi cum tempora lauro
Cinctus Apollo ſuos tentaret pollice nervos.

Apollo.

Eteoſtichon.

CaſtaLIVs Caſtæ ConJVnXIt Chara CathrInæ — *Claudius.*
BraChIa BorrIChIVs; beLLIs BetLæe benIgne — *Borrichius.*
ConſVLe ConnVbIIs, Conſtanter CorCLa Corona. — *Cimber.*

 Cal-

Calliope.

Gratulor auſpiciis; ſocialem fœdere ſancto
Accedant lectum: corpora jungat amor:
Injiciat Sponſis adamantina vincla Cupido;
Binaque nuptorum pectora pectus erunt.

Clio.

Fauſto Minervæ ſplendor intret alite
Torum jugalem virginis;
Claro ſat hactenus datum eſt Apollini,
Nunc & ſuum Cypris petit.

Erato.

Nexus quæ faciat beatiores,
Quæ reddat ſtudiis laborioſis
Pauſam, BORRICHIUMQUE ſtemma latè
Diffundat, decima hic adeſt Camœna.

Thalia.

Exulet diſcors animus, jugandi
Gaudio lætam ſine labe vitam
Tranſigant, adſitque beata pleno
Copia cornu.

Melpomene.

Averte Momos Jupiter improbos,
Perrumpe Codri viſcera lividi,
Sponſos periclis expeditos
Perpetui maneant amores.

Terpſichore.

Portabit atros penniger Æolus
Morbos protervis in mare Creticum
Ventis, ut auræ almum malignæ
Non quatiat thalamum procella.

Eu-

Euterpe.

Te, *Claudi*, placido lumine viderit
Nubentem Clarius, tempora ſuaviter
Traducas, ſimili prole puerperam
Laudabunt animæ dimidium tuæ.

Polyhymnia.

Extendant Superi ſtamina vividi;
Longævi Pylii ſecula tangere, &
Sponſis Neſtoris annos
Concedat Lacheſis ſoror.

Urania.

Poſtquam demum Parca ſevera
Nolit vitæ penſa tribuere
Ulterius, rerum jam ſaturi
Arces conſcendant cœleſtes,
Vitam viventeſque perennem
Potent rutili nectar Olympi.

In mortem fœminarum officioſiſſimæ, (18) Eloquentiſſimæ, GIÖRWELDÆ ALANIÆ, in peſtifera lue paulo ante inuſitatam Solis Eclipſin Anno 1654 piè extinctæ.

Eloquar? in triſtes abeunt conamina fletus,
In ſingultantes omnia verba ſonos.
Conticeam? ſanctæ prohibet reverentia Matris,
Et ſpectata diu tot benefacta negant.
Ergo loqui certum, quamvis ſcindatur amaris
Luctibus in mediâ vox miſeranda viâ:
Scinde Thalia comas, contemne Polymnia luſus,
Res monet, auratam projice, Phœbe, lyram;

Sumite pulla Deæ, Tyrioſque reponite cultus,
In lacrymas abeat, quod fuit ante merum.
Quid natura paras? rurſus nova prælia? rurſus
Saxorum jactu Pyrrha replebit humum?
Forſitan Auguſtus Phœbum tumulabit & orbem,
Et Phœbea prius corda micare vetat;
Æra laboranti ſuccurrant omnia Soli,
Sol flebit morti proximus, omen adeſt:
Nempe cadit mulier, quâ Sol nil clarius unquam,
Nil ſibi cognatum vidit in orbe magis.
Seu formam ſpectes, Venerem nitidiſſima vicit,
Seu mentem, fulgens nil niſi gemma fuit.
Illa tenebroſas verborum lumine mentes
Fovit, & ablatum reddidit illa jubar;
Conſilio, auxilio notum, ignotumque juvabat,
Docta movere Deos, Docta movere Deas.
Dædaleam quoties laxabat in ardua linguam,
Diſcrimen ſexus excipe, Neſtor erat.
Cedite Romanæ Sirenes, cedite Grajæ,
Hanc ſupra veſtræ nil potuere nurus.
Victa es Penelope, Cornelia, Julia victa es,
Et tendis victas Amalaſunta manus.
Volve, revolve libros, non officioſior umbra eſt
Hactenus Elyſium, juſſa ſubire, nemus.
Sed quid in immenſo remeabit cymbula ponto?
Dixero quantumvis plurima, dico nihil:
Quicquid concipio, minus eſt: modò viveret ipſa,
Cogeret hæc verbis verba rubere ſuis.
Orabunt urbis pro me ſuſpiria cauſam,
Et teſtabuntur pectora mille virûm.
Dicere plura libet; conſumunt metra dolores,
Et modus eſt lacrymis, non habuiſſe modum.
Illa tamen lacrymas, illa hæc ludibria mundi
Ridet, & æterno nectare plena canit.

Et

Et ſi fortè oculos hæc ad mortalia vertit,
Exoptat nobis gaudia nota ſibi,
Gaudia, quæ, ſi non ſimul inſanimus in orbe,
Præferimus nucibus, terra maligna, tuis.
Credite mortales, noſtri hæc dementia ſecli eſt,
Linguâ velle polum, pectore velle ſolum.

In obitum (19)

CRISTINÆ BANGIÆ, D.M. GEORGII HILARII

Rectoris Scholæ Hafn: & P. P. Conjugis deſideratiſſimæ, D.D. Thomæ Bangii Theologi Eminentiſſimi ſororis, in medio peſtis ardore beatè occumbentis.

Triſtes exſequias, & inexſpectata pudicæ
Fata parata Deæ, ſingultantiſque mariti
Lumina qui ſpectas, verſumque in nubila vultum
Heu! quondam, heu! hilarem; mecum ſuſpiria.
Mundanique vide quæ ſit vertigo theatri. (miſce,
Vivimus & Pylios ſpe proſpectamus in annos
Abſurdè cauti; vix terna trihoria curſum
Abſolvêre ſuum, cum trux Libitina per artus
Victrici graſſatur acu, nil contra Melampus,
Nil Chiron, nil mille viri, nil pharmaca mille.
Felices animæ, queîs iſta pericula primum
Excepiſſe datum; non vos inſtantia Phœbi
Syrmata turbabunt; non vos ludibria mundi (bdes.
Centum inter Syrtes verrent, centumque chary-
At tu *Chriſtina* mens fortunata triumphas
Terrenos ſupra motus; nil fata mariti
Declinata tuis lacrymis, nil pignora triſte
Offundent dilecta tibi; metus exulat omnis,

Occurrenſque tener duplicat tua jubila natus.
Nos autem ſcopuli, nos Acroceraunia in horas
Sacrum inter ſaxumq; tenent; latus omne tumultu
Funeribuſque fremit: paſſim feralis amictus,
Urnæ, ſandapilæ, campanarumq; boatus,
Supremumque vale: vix tot Pharſalica ſtrages,
Cannarumve furor mactaverit ante Quirites.
Sentit id, ah! nimium ſentit fidiſſimus Atlas
Hafniadum, ludi-Rectorum gloria, lumen
Nutantis Patriæ, qui dum funebria paſſim
Agmina diſpenſat, peſtiſque incendia votis
Deſævire jubet, conjux, dulciſſima conjux,
Aſtyanaxque cadunt; Paphii riguere lacerti,
Marmoreæque manus: heu! nuper lumina gemmis
Splendidiora jacent vix agnoſcenda marito.
Eurydice, Eurydice, quis te mihi caſus ademit?
Flebilis ingeminat, cur Atropos invida ſolum
Vitæ ſolamen, condimentumque laborum
Eripis, & vivum reddis me funere funus?
Illa laborifero redeuntem è pulvere molli
Alloquio mulſit, curaſque recedere fecit
Convictu ſuavi: ſicut cum Troicus Heros
Exhauſtus poſt bella redux, ut vidit in ulnas
Irruere Andromachen animo ſecedere ſenſit (ges
Mille rates Danaum; nullæ obſtrepuere phalan-
Mœnibus, & Trojæ nuſquam occurſabat Achilles,
Omnis in electa requierat conjuge mœror.
Sed metam lacrymis tandem, Vir maxime, fige
Triſtitiæque modum; non duratura dederunt
Dii ſuperi, cœlum præter: tibi nempe ſciebas
Mortalem nupſiſſe Deam, tandemque futurum
Serius aut citius præciſo ſtamine finem.
Ipſam crede tibi Naturam dicere rerum:
Singultus inhibe, ſua ſint diſcrimina ſexus;
Tantum mentis abeſt, quantum dolor occupat, edic
Magne

Maghe Cato quid ſit mœror? veſania certè eſt,
„ Fœmineumq; malum: Siculi non æra tyranni
„ Elicient fletum: nuſquam Stoa ſuggerit illud:
„ Infra brutorum mores deſcendite luctu.
Illa tamen primò ſeponunt veſpere quicquid
Urit, & ad ſolitos convertunt lumina ſaltus.
Vidi ego, cùm nidos circum fremuiſſet inanes
Et pullos querulo petiiſſet murmure Progne,
Mox tamen ad ſuetos iterum rediiſſe volatus.
Nec tua tota tamen Conjux laxatur in auras,
Vivit adhuc terris, cum dilectiſſima ſpectas
Pignora, quæ mœſto liquit ſolatia Patri,
Quæ ſanctæ Matris pia per veſtigia ducet
Et Pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

In obitum (20)

D: D. OLAI WORMII,

Medici celeberrimi, & fugientis Antiquitatis inſtauratoris incomparabilis. 1654.

Ergo ratum eſt crebro verti mortalia luctu?
Ergò vices fortuna rotat, lætiſque negatum
Stare diu? quis te, quis te deſcripſit in aſtris
Ferrea lex, tanto non evitanda Melampo?
Credideram citius viduandam civibus urbem,
Et migraturos in cœmeteria cunctos,
Quam te magne Pater; toties qui jura ruenti
Scripſiſti Parcæ, toties quem Cerberus offâ
Fruſtratus timuit; contoque ſcaphaque relictis
In deſolato trepidavit littore Porthmeus.
Sed fatum commune vocat; jam penè ſalutem
Deſperare ſalus, Lacheſis cum ſæva Medentum
Incumbat jugulo, nec ſe Podalirius arte
Defendat propriâ: dictis ignoſcite cives,
Non regnat mortale malum; nil pharmaca centum

Cocta recocta modis proſunt, divina flagellum
Cum vibrat Nemeſis, populoſq; cruentat Olympus.
Ipſe licet Phœbus gemmas jugularit in hauſtum,
In vino quales Ptolemæi filia ſolvit
Impenſura proco totum Cleopatra Canopum,
Nil agitur; ſtat contra Deus, vireſque retundit,
Hafniacis totum ſtatuens impendere fulmen.
Si quid enim ſucci, ſi quid vivacia poſſent
Pharmaca, Neſtoreos numeraret *Wormius* annos,
Qui prius anguſtè mortem regnare coëgit
Felici dextrâ, nando ſpoliare Charontem
Doctus & inſtantes morti ſubducere mortes.
Hoc genio externas ſe Patria fudit in oras,
Hoc genio cautes & ſaxea corpora rurſus
Edidicere loqui, longumque oblita per ævum
Runica longinquis oſtendere ſigmata regnis.
Poſteritas mirare virum, ſine compare, cujus
Ingenio, quicquid rarum tenet orbis, in urbe
Cernitur Hafniacâ; quicquid vel Goa, vel Ormus
Colligit, & ſi quæ Gangetica littora ſpectant
In noſtris male nota plagis; cœlique ſolique
Abdita *Wormiani* demonſtrant cuncta penates.
Hunc tumoris impone tuis, hunc Hafnia luge
Defunctum, qui vita tibi, qui gloria vixit
Inclyta, non poſthac rediturus abivit ab Arcto.
Cynthia ſe reparat, Soleſque & Sydera poſſunt
Occidere in fluctum, fluctuque redire relicto
Lucida; mortalis quàm primum arctatur in urnâ,
Perpetuam dormit plebejo in pulvere noctem.
Sed corpus tantum reſtare fœnora genti
Wormius edidimit; fama illuſtriſſima pergit,
Quâ Zephyrus Boreaſq; ruunt, quâ turbidus Au-
Sibilat, & primos Auroræ fertur in orbes. (ſter
Scilicet hoc meruit tanti ſapientia Coi,
Tinctus & in cerebro calamus, virtuſq; fideſque.

Et

Et ſine pompoſis fortunatiſſima dictis
Cura, alios ſivit verborum vendere fumos,
Et phraſibus curare malum; nam ſæpe Melampus
Advenit ad lectum recitator, & omnia verbis
Oblinit Hippocratis, dum corpus debile circum
Ambulat Hippolyti, tumidaſque elatrat Athenas;
Sævit at interea morbus, nec murmura curat
Dorica, & inflatos peregrinis vocibus utres.
Wormius hæc contra, Suadam cum Chloride junxit,
Et profecturas ægrotis miſcuit herbas,
Unde & ſervato reperit præconia cive.
Perſonet Adriacas modò Trincavellius oras,
Et Siculas Marcus; jactent Valleſia Celtæ
Nomina, Fernelium ſua Gallia; Belga Foreſtum,
Luſitane tuum Moreſchottum; tollat in aſtra
Scotia Duncanum, Primeroſius Anglica tempe
Illuſtret; tellus plaudat Germana Cratone;
Danica *Wormiaco* plus debent regna cerebro.
Diis immiſte Pater ſalve, te fulva corona
Ambiat, & læti conſtipent undique Divi:
Quem ſervatorem toties gens Danica ſenſit,
In Servatoris requieſcat molliter ulnis.

Ad D.D. (21)

THOMAM BARTHOLINUM.

Medicum & Anatomicum conſummatiſſimum, cum beatis WORMII manibus parentaret.

Marmore ſubducant alii ſua fata tenebris,
Mauſolique rogis, Praxitelisque manu;
Nos *Bartholini* Parcis opponimus arma,
Fatorum nullo debilitanda ſitu.

Ar-

Arma rogas? penna eſt Phœbéo intincta cerebro,
Lingua eſt, quam Pallas venditat eſſe ſuam.
Scilicet haud aliis meruit doctoribus uti;
Omnia ſic Numen, quæ meditatur, habent.
Seu monſtrat populis habitantes viſcera Divos,
Donaque naturæ ſemiſepulta priùs;
Circinet ut noſtros cruor irremeabilis artus,
Ut chylus axillæ per catadupa ruat;
Qualiter humanas cryſtallina lympha per arces
Ambulet, Authori gloria rara ſuo.
Sive reſurgentem libet audiviſſe Periclem,
Et flores Tulli Grajugenumque melos.
Ipſe parentanti ſacer auſcultavit Apollo,
Et Muſæ poſitis obſtupuere lyris.
Wormius Arctoi decus immortale Bootæ,
Semideos inter dum ſua geſta legit,
Dumque ita magnifico ſibi fata retexta cothurno
Aſpicit, in cathedram pæne reſumit iter.
Hanc unam Parcæ contra ludibria clavam
Qui reperit, Parcæ vicerit ille minas.

(22) Ad Virum Experientiſſ:

D. D. SIMONEM PAULLI,

cùm exſequias dulciſſimæ Conjugi

ELISABETHÆ FABRICIÆ

in partu extinctæ mœſtus pararet.

Parce ſeneſcentes lacrymis acceſſere canos,
Parce ſacrum madido rore lavare caput
Phillyridum *Paulline* decus; Tanaquil tua adire
Non potuit fato nobiliore Deos.
In medio cadit officio: dum mater anhelat
Eſſe iterum, mater deſinit eſſe ſuis.
Lucinæ in gremio vitam effudiſſe decorum,
Sit gravis hæc lethi, ſed generoſa via eſt.

Pro

Pro Patriâ ſuaves vir maſculus æſtimat ictus,
Pro partu ſapiens fœmina dulce mori.
Bellantem in ſegni pudet exſpirare grabato,
Ad lituos animam reddere, laudis opus.
Ille triumphatæ frænator Perſidos optat
Clangentes inter ſuccubuiſſe tubas;
Hoſtilem emiſſet toto vel Gange ſagittam,
Dum penetrant juvenem toxica dira ſinum.
Felix in proprio cadit Accius Amphitheatro,
Inque ſuis felix eſt Palinurus aquis.
Exſpectet reliquas Lacheſis ſegniſſima, vitam
Officio impendit ſed genuina Rachel.

In obitum (23)

BENEDICTI & NICOLAI ANDREADUM,

Conſulis Fridericſſtadienſis in Norwegia filiorum, quos in medio ſtudiorum Academicorum curſu fatalis 1654 Annus ſimul eodem die Soræ ad beatiorem vitam tranſtulit.

Hic in Apollineo fratrum par nobile quondam
Corporis exuvias depoſuêre ſinu;
Spes Patriæ, ſpes ampla Patri, ſpes ampla Lycéo,
Roſtrorumque ſacro ſpes animoſa choro.
Ut viguit ſpes illa; colum pervertite, Clotho
Intonat, ô furvæ ſcindite fila Deæ!
Nemo interpellat, prompto ſubjungit uterque
Pectore: Nil tellus, quod veneremur habet;
Jactentur poſthac alii; ſubduximus alnum
Syrtibus, incutient æquora nulla metum;
Sub pedibus Solem calcabimus, aurea Phœbe
Longè nos infra continuabit iter.

Fe-

Felices animæ, terram ſine pondere veſtra
Spiranteſque diu ſentiat urna crocos.
Jam vos Dis ſuos Academia paſcet alumnos,
Totaque Divinum perſonet ore melos.
Ter fortunatum qui ſic mutaverit! orbis
Nil niſi damna ferit, nil niſi lucra polus.

---

(24) In obitum Generoſiſſimæ Heroinæ,

Dnæ ÖLLEGAARDÆ HWITFELD,

Magni Aulæ Magiſtri Conjugis deſideratiſſimæ, in partu extinctæ. 1656.

Hactenus obſcuras animas, ignotáque faſtis
Nomina perdidimus; paucos Orcheſtra Camil-
Defeciſſe videt, dum cœlo & Sole jubente (los
Parca Lycaoniam decimavit ferrea plebem.
Nunc majora tonat, conſanguineumque tiaris
Præcipiti aſſultu ſternit caput, atque cruentâ
Ardet in Heroum penetrare cubilia falce,
Succeſſu famulante ferox; non purpura frontis,
Semideumve genus, non ſtemma Curulibus ortum
Interpellat opus, non pleni Pallade mores.
Scilicet illuſtres libuit turbare Penates,
Et ſtraviſſe Deam, ne prælocata ſilentûm
Agmina lucifero ſqualerent caſſa pyropo;
Accerſenda fuit nigranti lucida turbæ
Gemma ſoli: Ducibus rutili plebeja metalli
Lamina cenſetur, niſi ſcintillaverit igne
Gemmarum, & miſtas adamantina fulgura luces
Concurſu ſplendente vibrent: placet illa Tonanti
Victima quæ patriam valet illuſtrare cadendo.
Non ſecus Iliacis dum Mars bacchatur in oris
Myr-

Myrmidonumq; globos, feſſiſq; incognita mactat
Corpora; ad extremum, tua Pentheſilea, ſecuris
Occidit & patriis mutata Polyxena terris.
Digna quidem Euboicam vitâ ſuperare Sibyllam
Ollegardis fuit, ſic conſpiravit in uno
Pectore, quicquid habent, cur decorentur Achivæ
Romuleæque nurus, ſeu prima exordia vitæ,
Seu progreſſurum ſpectes virtutibus ævum.
Ut Lucina ſtetit juxta, dextramque tetendit,
Prodiit, & puros cepit liquidi ætheris hauſtus
Magna Deûm ſoboles: talis Lucretia matris
Hæſit ab uberibus; facies Latonia talis,
Talis erat, terrore minus, cum nuper in auras
Enixa eſt genitrix fugitiva ad littora Deli.
Poſt nutante gradu, poſt linguâ nobile germen
Audet adorandæ ſublimia nomina matris
Dimidio tentare ſono, tituloſque Parentis
Ire per auguſtos; jam colla, comaſque manuſque
Irruit, amplexuſque ſuæ genitricis, & inſtat
Greſſibus: haud aliter ſe Thermodontis ad undam
Parvula maternis vires metitur in haſtis,
Explorat peltas, animoſque incendit Amazon.
Aſt ubi firmavit ſe jam maturior ætas,
Ac Genius vivax infantem excuſſit, & artes
Attrectare datum eſt, ad Penelopæa reſolvit
Munia virgineos artus, dignoſque labores
Majeſtate Deæ, patruiſque inſignia crenis (nantis
Evolvit monumenta frequens; ſacra verba To-
Nectar erant, & mella gulæ; nil dulcius aris;
Multus in ore Deus, ſolumque in Numine aſylum.
Volvitur interea ſpatium irreparabilis ævi,
Accreſcuntque dies, creſcit ſimul illa; Nepotum
Jam tum certa fides, Generum debere Parenti
Poſſe videbatur Daniſque ſtatumina Regnis.
Stabat adhuc animo magni dubitabile Patris,

Quem

Quem ſocium arcani promittant ordine fati
Aſtra ſuæ ſoboli, quo ſperet conjuge felix
Dania finitimæ ſupponi fulcra ruinæ.
Ipſa Deæ virtus, & inenarranda venuſtas,
Et facies Charitis; pro qua vel obiret Achilles,
Vel ſe ſe incurvaret Atlas, Heroica paſſim
Pectora in exſtaticas mutaverat ignea flammas.
Credibile eſt Zeuxin, forma dum libat ab omni
Ora, genaſque Helenæ vultu expreſſiſſe tabellam
Heroina tuo; ſic ſe Cytherea cupiſſet,
Sic ſe ſpectari Diva Auguſtiſſima Juno.
Sed dubium ſolvit veniens *Gerſtorffius* heros,
Spes Patriæ; qui nunc amor eſt, Danaeïa Turris
Huic patuit, Superis ita diſpenſantibus, imbri.
Nupta ſalutatis ingreſſa penatibus aulam
Ingentis Domini, mirum eſt, quam ſplendida curæ
Reſq; domuſq; fuit, quamque exoptata marito
Mitibus obſequiis curarum pondera ſolvit.
O! quoties multo roſtrorum à pulvere feſſus
Amplexu Dominæ nova reſpiramina ſenſit
Illuſtris Conjux; ſic Deïanira labores
Leniit Herculeos, & ſic Cornelia Gracchi.
Prodeat Æthiopum furva de gente Nicaula
Quæſitis prægnans; rotet enthymema Theano;
Fulvia tractet epos; commendent Stoica Paulam
Dogmata; Sulpitiam poſcat ſacranda Dione;
Aſpaſiæ nervos, & acumina crebra Pericles;
Sit Tanaquil ſapiens; ſit Theodelinda potenti
Gloria ſumma Viro, ſint obfirmata Lacænis
Pectora, in exilio ſervet Siſigambis honorem;
Margaris invicta confutet falſa bipenni.
Nomina magna quidem, nec defraudanda Nepotum
Laudibus, at ſuperat, mores imitarier Annæ,
Suſannæque nives, & plenam Numine Saram,
Semideumque ſibi cultu aſtrinxiſſe maritum.

Hoc

Hoc Divæ ſtudium, ſeu ſcanderet æthera Titan,
Seu Tarteſſiacis ſe contumularet in undis,
Hoc fuit in votis, cunctas ſuperare Lacænas
Obſequio, & primos Domini cognoſcere nutus:
Qualis hyperboreo tactus Magnete ſequaces
Fert motus index, licet hinc vertigine mali
Nutet, & invitos agere in contraria curſus
Imperet Oceani furor, hinc longinqua Bootæ
Intervalla vetent Dominæ ſubſcribere juſſis,
Paret, adoratam ſe ſeque obvertit ad Arcton.
Nec ſatis hoc, alio commendat pignore mentem
Et Domino & Danis, dum fœcundiſſima Rachel
Proſpicit in longum, ſecloque novella futuro
Fundamenta locat, numeri ſacra nomina complens
Pythagoræ decreta Scholæ, neque diſſona Moſi,
Lucinam decies cœlo aſpirante vocavit,
Conſultura magis Patriæ, niſi Juno rogatam
Subtraxiſſet opem, ſeptemque Trionibus aram.
Sed fati nullo circumcidenda poteſtas
Ingenio, noſtram properavit tollere lucem,
Ut ſibi conſuleret, gemmamque aptaret Olympo
Indignam Patris poſt exſordeſcere terris.
Senſit id, & forti caput objectavit in ictum
Pectore, non querulis, ut Veſpaſianus, ocellis
Detrectavit onus; nil ſceptris proxima fata,
Nil Domini virtus, nihil omnia pignora tardant;
Diſceſſiſſe libet, quid enim? quid Olympias, *inquit*
Vel geminata juvat? calcabitur illa Monarchis
Semita, plebejiſque ſimul; quid deprecer horna
Fulmina, poſt ſubeunda tamen? te pectus anhelat,
Te gemitus, te corda vocant, qui victima mundi,
Hanc animam, hos artus, hæc jam morientia ſen-
Morte cruentata rapuiſti mortis ab ore. (ſa
Tuque oculis dilecte magis dulciſſime Conjux,
Accipe ſupremas morituro è pectore grates.

Con-

Conjugiique memor noſtri venias tu ſalvus
Secula, pignoribus læte comitantibus, intra.
Implevit mea vota Deus, viduumque cubile
Ignorare dedit, formidatumque feretrum
Prævertiſſe Tuum; nihil eſt mortale quod optem
Amplius, ætherei prælibo nectar Olympi.

Dixit, & extremas animoſa per oſcula grates
Æternumque vale repetens, intrepida vitam
Reddidit authori, factoque hic fine quievit.
Nil actum ô Clotho! jam Diva ſoluta triumphat,
Sydereoſque inter tua fulmina ridet alumnos,
Herculeis immiſta aſtris; procul horror & error,
Angelicæ circum meditantur jubila turmæ.
Ipſe Heros grandi licet exarmatus ab ictu,
Dimidioque ſui, Superis repetentibus, orbus
Debita magnifico ſuſpiria laxet ab ore,
Stat tamen, & forti quicquid ſors dura minatur
Concoquit occurſu, longum cui nota per ævum
Ars diſcenda diu; prius hæc prævisu ſubivit
Pectore, quam toleranda humeris: ceu Mutius olim
Ante ſecuturo mentem exploravit in igne (Orcus
Quàm dextram; ſapiens ut ut infremat orbis &
Eſt idem ſemperque ſuus; quid pulchrius unquam
Spectatis Divi, quam fractum Marte Catonem
Infractum medias inter perſtare ruinas?
Non aliter rapidis ſaxa Acroceraunia in undis,
Seu tumidum Boreas Aquilonibus incitet æquor,
Seu Cauri ſua flabra vomant, cœlumq; ſalumq;
Miſceat Æolius, nauta pallente, tumultus,
Seu lambant auræ Zephyri, ſeu fulmina ſaltent
Horrida, fortunam vultu patiuntur eodem.
Nempe pius Conjux, quicquid ſine murmure
cœlum (dit;
Commodat, id cœlo monitus ſine murmure red-

Et

Et merito; quid enim pares irrevocabile terris
Singultu revocare? quid inſtat numina contra
Nil profecturis gemitum aſſiſtare querelis.
Omnibus una via eſt ubi deſaltaverit Ajax,
Cedendum ſcena, ſeu fatis Neſtora vincat,
Sive infantiles numeret jactantius annos.
Perſonam jam Diva ſuam ſpiranſque cadenſque
Illuſtri cum laude tulit, dum fata ſinebant.
Exemplum moribus Patriæ; nunc quando vocaris
Ad ſuperos virtute, Aſtræam indulſis Olympo,
Pieridaſque novem terræ, Phœbumque Trioni.

---

(25)

In obitum inexſpectatum Viri Celeberrimi
Dn. D. JOHANNIS RESENII,
Epiſcopi Sælandiæ vigilantiſſimi. 1653.

Sic eſt, bellorum rumores inter & urnas
Tempora dividimus: vix dum poſtrema quierunt
Vulnera, ſemineces repetito fulmine lethi
Urimur, ardemus: numerent ſua ſæcla Quirites
Conſule, nos magnis numeramus cladibus annos.
Quid! quid! quid! Superi, quas inceſtavimus aras?
An Diomedeo cecidit Mars ſaucius ictu?
Quiſve Deûm noſtrâ læſus crudeliter haſta
Infremuit? caſus num triſtes cogitat ætas?
Subducitque prius pia lumina? nonne piarunt
Crimina graſſatæ per mille cadavera febres?
Parcite ſupplicibus mitiſſima Numina glebis,
Parcite, jam ſatis eſt noſtro luxiſſe Cometen
Climate, ſat grandi patriam luſtravimus horda.
Sed nimium celeri tranſis mortalia curſu
Magne Pater, deflende Pater; cum vivere longum
Spes erat, & vitam noſtram tua vita regebat,

Vivere deſiſti. Jam Templa, Scholæque, tuique
Te meditabantur, te directore valebant.
Sed vocat aula poli; cœli vocat illa cathedra, (ſtus
Quâ Magnus reſidet *Brochmand*, ſuperiſq; remi-
Paſcitur Ambroſiâ credendaque gaudia captat.
Illic fata tuos exſpectant, maxime, vultus;
Illic Nectareo lætus ſatiaberis hauſtu,
Angelico modulante choro: nil præter acetum
Mundus habet, niſi bella, nihil niſi fellea dona.
Hic ſenium ponis crudum, faciemque caducam,
Ut duraturam vitam, ſeniumque reſumas,
Optime *Reſeni*, quod diræ vulnera Parcæ
Rideat & ſuperâ rurſus juveneſcat in arce.
Hæc tua mors tua vita fuit, tibi ſplendida palmam
Palmarum lux illa dedit: nos taxus inumbrat,
Hoſtiliſque dies, luctuſque laborque fatigat,
Et per tot Syrtes fortunæ ventilat æſtus.
Nos igitur lacrymas, igitur geminare querelas
Triſtia fata jubent, non vilis fila Menalcæ
Mordaces ſecuere Deæ, ſed furva cupreſſus
Excubat ante fores noſtri Jovis; hocce feretrum
Commune eſt Templiſque, Scholiſque, hoc ſpiritus
Publicus exibat; multos Libitina cruentat (ore
Unius exceſſu, multos involvit egenos.
Non diuturna quidem venerandi flaminis artus
Infula velavit, ſed quid? non tempus inane eſt;
Non quantum, ſed quale fiet, ſed quomodo geſtum
Quærimus: ille Deus, qui tempus & omnia librat,
Meſſibus haud annos finit; qui ſingula rectè
Diſpenſat, facienda facit fugiendaque vitat,
Vixit Olympiadas centum, licet invida Clotho
Perturbet calathum primævo in flore juventæ.
Ille triumphato victor Pellæus in orbe,
Et qui plura manu geſſit, quam volvere poſſit
Deſidioſa manus, quot decurrentia luſtra

Vi-

Vidit in imperio? vix curſum abſolverat unus
Saturni circus, cum ſe ſcyphus Herculis infert.
Ille Quirinali magnus dominator in aulâ
Julius, & terror Gallis, & vipera Magno,
Ante diem cecidit, mediique in curſibus ævi
Sarcophago illatus celerata morte receſſit.
Non ſecus acceleres Titan cum tollit Eoo
Matutinus equos, complerque hinnitibus auras
Utilibus, rapido fertur per inania curru
Vitales ſpargens radios mox lumina mergit
Oceano, conditque citos ſub marmore vultus.
Scilicet Heroi quò major gloria, tantò
Eſſe minus ſpatium ſuevit; non rara querela eſt,
Auguſtæ mentes anguſto tempore regnant.

Principi Illuſtriſſimo, Celſiſſimo, (26)

Dn. CHRISTIANO,

Dn: FRIDERICI III

Sereniſſimi Danorum, Norwegorum &c. Monarchæ, felici æmulo filio, delitio humani generis, Spei Septentrionis, Homagii ſolennem actum, & adorantis Patriæ fidem devotè gratulatur civis humillimus. 1655.

Quem tandem Arctois Phœbi cortina tiaris
Deſtinat, Auguſtum poſtquam merita inclyta
Inſerent aſtris; quo Dictatore, Nepotum (ſummis
Dextera finitimo ſit formidabilis orbi,
Siſtitur hic oculis, & Numinis ora parentis
Aſpectuque habituq; refert; ſtant plurima circum
Millia adorantis populi: pars VIVE retractat,
VIVE ſecuturo, Danorum gloria, ſeclo,

Pars agit obſequiis, & ſacramenta genuque
Præparat Aſcanio: pars inclinatur ad aras
Cernua, & immenſum vocat in ſuffragia Numen:
Sunt qui plectra movent: ſunt qui vocale metal- (lum
Facundis animant inflatibus, alter aheno
Dum reſponſuro citus intonat: ille trementi
Pulvere vicinas docet exſultare feneſtras:
Hic bellatrices, Neptunia fulmina, puppes
Inſanire jubet flammis, lætoque tonitru
Fulgida hyperboreos jactare ad ſydera plauſus.
Non Peluſiaci, Pharaonica turba, Canopi
Plenius intendit vocem, cum Regia Joſeph
Eſſeda gemmanti premeret ſublimis in auro;
Cum, populo circum flores jaciente, tonarent
Claſſica, & excelſis reſonaret in urbibus Abrech.
Talia poſt lapſæ funebria tædia meſſis
Jubila providit Dominus; jamque Atropon iras
Ponere, & optatos juſſit ſuccedere menſes.
Sic mutat fortuna vices, ubi triſte feretrum,
Et nigra damnato lugebant pallia cocco,
Stant modò purpurei, Parcâ indignante, Gabini,
Et Phrygiis toga picta notis, ſtat pegma beato
Ornatu, & Dominum viridans acceptat Iulum.
Nec tantum Patrias hæc diſpenſantur in oras
Gaudia, participant Luneburgi ultima tempe,
Saxonicique lares, & quo ſe porrigit Arctos
Maſcula, ludentes Heclæ cacumina flammas
Gratatura Duci revomunt: videt omnia Finnus
Fauſta Lycaoniis citò portendentia regnis.
Ille licet Cimbro procul excantatus ab orbe,
Neſcio quâ pelagi vertigine, gaudia ſentit
Semifer ingenti veſtitus tergora phocâ
Grönlandus, neſcitque ſuos & ventilat æſtus
Nubiferas inter cautes, & inhoſpita Phorci
Teſqua, iterumque ſuis ſperat delubra cavernis.

Haud

Haud aliter certum poſtquam Pellæus in orbem
Flexerat inſolitum quadrupes; canit omina rector
Emathiæ, fremuere ſimul Libethria circum
Oppida belligeræ gentes; favet ille precando,
Ille gerunda canit; ſcelus eſt ſiluiſſe futurum
Europæque Aſiæq; Deum; neque Strymone cur-
Unda nec inſtantes tacuit Sperchius honores.(rens
Salve delitium Patriæ, tibi ſupplicat Arctos,
Et famulatrices obſervantiſſima Regum
Protendit gens Dana manus, manibuſq; ſub illis
Et nati natorum, & ſurrectura propago.
Te ſceptris genuit Pallas, tibi multus ab ortu
Aſtrorum chorus arriſit, genitoque faventem
Induſſere ſinum Charites, & digna Curuli
Pectora lactenti conformavere ſub ævo.
Addita luminibus Majeſtas, purpura fronti,
Eloquio pondus; crinem redolentibus Hebe
Ambroſiæ tinxit ſuccis; Tritonia pectus
Obtulit, & vivax ad grandia quæque cerebrum.
Sic patrio felix CHRISTIANE *adoleſcis in oſtro*
Inter adoratos faſces, Divinaque mentis
Semina nobilibus factis exſplendeſcere ſignis,
Prævertens animis annos; ſublimia tantum
Concipis ingenio, jam quo fundamine tellus
Nixa feret vaſtum pondus: quod clima veneno
Infecit Mahomet: quo ſæviat ære barrus;
Cui mappæ incluſus tutò perdiſcitur orbis;
Sanguine ubi rubeat Mavors, quibus artibus Arcti
Magnus Avus, majorq; Pater moderamina firment.
Utque olim patriæ moneant ſi prælia, factum
Inveniat fortuna Ducem, jam tympana poſcis,
Et ferrum & flammam; validas quatis ipſe ſariſſas,
Ipſe ſtruis cuneum, circumque aſtantia volvis
Agmina flammantes oculos; mox impete prono
Nunc latus infeſtas alæ, nunc vulnera fronti

Impingenda vibras, cornuque inſiſtis utrumque.
Turbare, & propria Bellonam accendere dextrâ.
Sic Libyæ propter ſcopulos, cunabula vix dum
Excuſſit generoſa Leo, cum dentis acumen
Mitibus explorat dapibus, jam tergore cervi,
Nunc onagri ſcapulâ, moxque imperterritus ipſis
Tigribus indicit ſtragem, erectoque jubarum
Vellere magnanimas unguem exhortatur in iras.
Perge decus patrii, ſpeſque auguſtiſſima regni
Heroum ſtabilire animum totumque Parentem
In tua Divino transfundere pectora niſu.
Illius exemplar menti præſcribe, tenebis
Quicquid in Hebræo celebrat Salomone vetuſtas,
Inque Themiſtocle Graji; quod Pella triumphans
Jactitat & Latium; quicquid Diadema Bootæ
Auguſtum tenuit, ſe pectore colligit uno,
Compponitq; tuum, mundo aſtipulante, Parentem.
Aſpice quàm lætis coëant amplexibus, illo
Directore ratis Boreæ, Pietaſque Fideſque
Et Themis & roſeâ gremium circumdata pallâ
Relligio: frontes ad mutua fœdera jungunt
Cura vigil, clemenſque animus; prudentia ſedem
Figit & Arctoâ ſenium ſibi ſpondet in Aulâ.
Aſpice quàm patrio conſtet reverentia juri,
Seu Tyriam Cajus, ſeu Dano è murice lænam
Tityrus excelſum produxerit ante tribunal.
Sic videre ſuum quondam Minoa potentes
Curetum populi; ſic illuſtrata Lycurgo
Mœnia Tyndaridæ. nullo ſufflamine cauſa
Atteritur, nullus niſi lege ulciſcitur iras.
Urna ferit ſontes, inſontes liberat urna.
Adde quod afflictis nuſquam præſentior ara eſt,
Nuſquam ſingultus fruſtra cadit; auris inermis
Ad toleranda patet, Majeſtatemque reſignat,
Supplicibus quoties occurritur illico, ne ſit
Mar-

Martia degeneri frons conſternatio plebi.
Stat tibi Caſtaliâ mentem perfundere lymphâ
Plenius, Auguſti genitoris in ore notabis
Pieriosque lacus, Aganippeumque fluentum,
Et quicquid memori ſeclorum pectore Clio
Poſſidet; hîc Pimplæ fluit unda, hic Pegaſus alis
Bellerophonta vehit; nuſquam cordatius inter
Sceptra ſtetit medio fulgens diademate Phœbus.
Ecquid Ariſtippus? quid Chryſippea recluſit
Porticus? aut Samii facunda ſilentia clauſtri?
Miletive decus? quis ſceptra tumentia primis
Rexit in Auroræ thalamis? quæ fata ſubivit
Auſter? & occiduæ quæ ſuſtinuere ſecures
Aſpera, Regifico nondum penetrata cerebro?
Abdita Naturæ, leges ſtellantis Olympi,
Et Ptolemæéis ſtudia evigilata Camœnis
Tota patent; nihil ipſa ſibi ſervavit Eleuſis
Intactum: fuerit rari quondam Africa mater,
Nunc Patria eſt, ex quo Regi Zephyruſque, Notuſque
Pendit & Eoæ dant vectigalia terræ.
Nec minus interea nos divite pace coronat
Nominis omen amans motuſq; intentus in omnes
Effera ſanguinei compeſcit limina Jani.
Inde adeò Patriæ, dum frendet ad oſtia Mavors,
Nunc his, nunc minitans illis totumque Trionem
Excitat, & reliquum rotat inconſtantia mundum,
Nos auguſtali tutò ſpatiamur in umbrâ
Fortunaque Ducis fruimur, cerebroque manuque
Armamur Patris Patriæ: ruat Eurus & Auſter,
Stabimus, & tumidam mundi eluctabimur iram.
Spiret bella licet gens conjurata Gigantum
Et ſuperingeſtis involvat molibus Oetam;
Pelion inſultet fremitu, nos arma Tonantis,
Arma tuebuntur Regalia; colla tumebunt
Enceladi incaſſum; petet irritamina Phlegræ

Bellicus & rabidum damnabit in antra Typhœum.
Hinc ſi Roma foret jam Portua, ſtaret in altis
Curribus aurato ſpirans in marmore Princeps,
Inque triumphali per & ora & pectora cultu
Ferret Olympiacam Regali vertice laurum; (tus
Nunc Paros illuſtres quando ire in marmora vul-
Invidet, AUGUSTO ſtatuas in pectore cuncti
Ponimus & nullis violandas imbribus aras.

Vive Lycaonio Dux florentiſſime ſceptro,
Vive diu ſublime caput; te ſydera ducent
Per divina Patris veſtigia; militet æther
Auſpiciis, CHRISTIANE, tuis, & ſtamina Clotho
Prorogot ad ſeros, fato tardante Nepotes.
Sive per infeſtas iter eſt tibi fortè Charybdes,
Nereidumque domos, felicem Caſtora ſpondent
Antennis Superi; ſeu quadrupedante volatu
Arva per & ſcopulos tibi ſemita, neſciet unguis
Fallere Seſſorem; diſcrimina nulla penates
Audebunt quaſſere tuos, ſic clamat Olympus,
Sic Orcheſtra petit concors, ſic plurimus aſtra
Liniger ingreditur votis caveæque Quiritum
Sic conſpiranti præſagit Patria voce
Nil mortale tuos mundo portendere faſces.

---

(27) In Effigiem generoſiſſimæ Dominæ, ÖLEGARDÆ HWITFELD, Magni Aulæ Magiſtri JOACHIMI GERSTORFFII deſideratiſſimæ Conjugis.

Hæret Apelléo licet hactenus apta metallo
Dextera, & aſſuetum reddere neſcit opus:
Fal-

Fallor ? an hos radios & ſcintillantia quondam
  Lumina luminibus ſuſtinuiſſe nequit ?
Lumina ter geminis pluſquam exoptata Deabus,
  Colla nivi, rutilis æmula labra roſis ;
Omnia perpetuo cerni digniſſima Sole,
  Nullaque ſandapilæ propria, nulla rogo.
Ne ferrum crucies, ſculptor, *Hwitfeldia* ſeſe
  Rectius in natis reddidit, inque viro.
Cogat, ait moriens, mea ne jam Parca jacere,
  In tot pignoribus ſto rediviva meis ;
Hîc mea labra, meæq; nives, mea lumina ſplendent
  Has habitat rediens purpura noſtra genas.
Vis mores cœlo placitos, vitæque tenorem ?
  Nomine non ſolo te docuiſſe velim ;
Aſpice quem liqui corvis Herlog maritum,
  Inque illo noſtrum pectore pectus habes,
Vis immaturæ cauſam necis ? *albida campi*
  Lilia vere vides ſurgere, vere mori.

In glaciem Giörſlevienſium, Anno 1659. (-58)
4. Januar: paulo ante bellum illud fune-
ſtum Dano-Suecum, prodigioſe ru-
bentem.

Ecquis Erythræis hoſpes novus exit ab oris ?
  Quæ faciunt Danos fata rubere lacus ?
Quid monſtri Natura paras ? vel, ſi tua neſcit
  Dextera, quid Superûm curia Diva coquit ?
Ecce opus inſuetum fecis ! ſe ſtagna cruentant,
  Et glaciem ſupra ſanguinis unda meat.
Haud mihi cinnabari, gemit, haud alkanna liquores
  Miſcuit, in toto coccina nulla lacu ;
Noſtraque ſimplicitas quid præſtent ſantala, neſcit;
  Quid minium & dibaphos ; quidq; rubrica vo-
Adſit & irrubeat, qui ſic lutulenta rubere (mat ;
  Judicio nimium præcipitante crepat.

Infuſa in terram jurabitur unda cruoris
Ad Phœbi radios purpura miſſa Tyro;
Puncta, characteres, cortex, non infima tincta,
Atque ipſis violis anteferendus odor
Naturam abſolvunt à crimine, fata laceſſunt,
Et decreta poli fixa patere jubent.
Nil opus ut Delphis cortinam accerſat haruſpex,
Ipſa ſatis patulo, quid velit, ore docet:
Dane, monent Superi, tibi flos tibi ſanguis abibit
Per glaciem; at violæ ſpem melioris habent.

(29) Ad

Dn: M. VITUM BERING,

Hiſtoricum Regium optatiſſima conjuge, medios inter armorum infelicium ſtrepitus, per mortem immaturam ſpoliatum.

Ut nova ſe patrias vertigo infudit in oras,
Attonitæque retro terga dedere minæ;
Funeſtam *Vito* jam tum impendere procellam
Abſque Sibyllinâ viderat arte Danus.
Quæſieris cauſam? patitur cum Patria manes,
Hiſtorico lemures quid niſi bella parant.
Conjugium eſt Patriæ & *Vito*; docet altera, & alter,
Sentit ut illa malum, ſentit & ille malum (*vel*)
Illa caput cœlo tollit, & ille caput.
Disjicit hoſtiles ubi Dana ſariſſa maniplos,
In calamo *Viti* grande triumphat eques.
Sub cane dum patitur cum frigore funera Cimber,
Dimidium *Viti* funerat ira febris.
Sed bene, quod medio vel adhuc verſemur in orbe,
Vultus ubi vultus excipit, alba nigrum.
Surgere dant caſus; vivent felicius ignes,
Si gelida accenſos ſparſerit unda focos.

Fer-

Fortius haud aliàs caput erexere Quirites
Quàm cum Romuleos Hannibal ante lares.
Magne Vir, illum animum, quo totum ampleſteris (orbem,
Collige, dum creperi ſic tonuere poli;
Punſtum erit, & rurſus purgatâ nube redibit
Et Patriæ & *Vito* vita ſecunda meo.

Ad Virum conſummatiſſimum (30)
D.D. THOMAM BANGIUM
Theol: P. P. P. Magno Regis Danorum Cancellario, Dn:
CHRISTIANO THOMÆO,
furente in Patria bello parentantem. 1657

Soli quid inter claſſica,
Decus virûm, quieſcimus?
At incruenta natio eſt
Phœbea gens; ergo ictibus
Exſanguibus bellabitur.
Certemus utrum *Bangii*
Sit in manu perennior
Thomæus, utrum cordibus
Futurus in tot civium!
Vivit ſuis coloribus,
Vivetque Phœnicem ſupra
Thomeus in *Thomæ* ſtylo,
Dum literis ſunt literæ.
Noſtris ſed una alacriter
Perorat in præcordiis
Illud inæſtimabile
Pignus Deûm, ille provido
Miſtus Catoni Socrates,
Miſtus Soloni Pittacus;
Orabit & meta procul,

Infuſa in terram jurabitur unda cruoris
Ad Phœbi radios purpura miſſa Tyro;
Puncta, characteres, cortex, non infima tincta,
Atque ipſis violis anteferendus odor
Naturam abſolvunt à crimine, fata laceſſunt,
Et decreta poli fixa patere jubent.
Nil opus ut Delphis cortinam accerſat haruſpex,
Ipſa ſatis patulo, quid velit, ore docet:
Dane, monent Superi, tibi flos tibi ſanguis abibit
Per glaciem; at violæ ſpem melioris habent.

(29) Ad

Dn: M. VITUM BERING,

Hiſtoricum Regium optati[illegible]njuge, medios inter armorum in[illegible]ſtrepitus, per mortem imm[illegible]liatum.

Ut nova ſe patrias vertigo infu[illegible]
Attonitæque retro terga d[illegible]
Funeſtam *Vito* jam tum impender[illegible]
Abſque S[illegible]llinâ viderat arte D[illegible]
Quæſieris [illegible]? patitur cum P[illegible]
Hiſtori[illegible] quid niſi bella
Conjugiu[illegible] & *Vito*; docet.
Sentit ut [illegible]ſentit & ille r[illegible]
Illa caput [illegible]& ille caput.
Disjicit hoſti[illegible]riſſa man[illegible]
In calamo *V*[illegible]mphat e[illegible]
Sub cane dum p[illegible]gore fu[illegible]
Dimidium *Viti* [illegible]bris.
Sed bene, quod m[illegible] verſen[illegible]
Vultus ubi vultu[illegible] nigr[illegible]
Surgere dant caſus; [illegible]s ig[illegible]
Si gelida accenſos f[illegible] o[illegible]

Fortius haud aliis caput [illegible]
Quàm cum Romuleis [illegible]
Magne Vir, illum animum [illegible]
Collige, dum [illegible]
Punctum erit, & rurſus [illegible]
Et Patriæ & *Vos* via [illegible]

Ad Virum [illegible]

D.D. THOMAM BANG[illegible]

Theol: P.P.P. Magn. Regn. [illegible]
Cancellar. De[illegible]

CHRISTIANO THOMÆ[illegible]

furente in Patria bello [illegible]

Soli quid inter claſſica,
Decus virûm, quieſcimus?
At incruenta natio eſt
Phœbea gens; ergo [illegible]
Exſanguibus bellabitur.
Certemus utrum Bangi[illegible]
Sit in manu perennior
Thomæus, utrum conditus
Futurus in tot civium?
Vivit ſuis coloribus,
Vivetque Phœnicem ſuper
Thomæus in *Thomæ* ſtylo,
Dum literis ſunt literæ.
Noſtris ſed una alacritas
Perorat in præcordiis
Illud inæſtimabile
Pignus Deûm, ille provido
Miſtus Catoni Socrates,
Miſtus Soloni Pittacus;
Orabit & meta procul.

Dum nos in abnepotibus,
Renaſcimur, dum pectus eſt
In pectore, dum nomine
Virtus ſuo ſignabitur.
Se terminent Mavortia,
Non inde terminabitur
Hoc prælium vivacius
Ventura ſpectet ſecula,
Quin ſecla cum defecerint,
Noſter vigebit acrius
Amor, ſed ille chartulas
Tyrannus ignis uſtulet.

(31) In obitum Virorum humaniſſimi
Dn: M. NICOLAI FRISII,
Schehenenſium Judicis Provincialis
Epitaphium.

Diſce, quis hîc poſitos, habitarit ſpiritus artus,
Ipſa fuit *Friſii* corpore tecta Charis.

(32) In Effigiem
Dn: OTHONIS KRAGII,
Regni Daniæ Senatoris ampliſſimi.

Quis ſupra inſpectos diſpenſet Spiritus artus,
Hoſpite quo caleat Diis adamata domus,
Rebus & integris Reſpublica ſenſit, & arctis
Illius optato ſota reſota ſinu.
Fulmina ſenſerunt hoſtilia miſſa retrorſum
Conſilio, monitis, pectore, voce, manu.
Dii ſervate caput, quo ſoſpite Dania rurſus,
Si qua fides vati, tollet in aſtra caput.

(33) Ad

Ad

D.D. SIMONEM PAULI,

Medicum conſummatiſſimum de genuina febrium malignarum petechialium &c. cauſâ ex Naturæ potius, quàm Scriptorum fontibus commentantem.

Hactenus in variis, mentes ſatiavimus umbrâ,
Et prodire tenus gloria viſa fuit;
Tandem, ſerò licet, certis proluditur, ex quo
Res prius è rebus, quam calamo orſa peti.
Huc, *Paulline*, tuus ſpectat labor, abdita febris
Dum penetras ferro, mente, calore, manu;
Sic ſe ſe æthereas librat Jovis ales in auras,
Et Patriam ſupra fulminis ire parat,
Nubila permittenda aliis, & proxima terræ,
Mens Dia in Solis lumina lumen agit;
Tolleris heic ſupra doctorum ignobile vulgus,
Dum digito oſtendis triſte cubile mali:
Nil humile, aut ulli verſas protrita Lyceo,
Lux hæc Pœonium pectora virgo ſubit,
Et nullis temerata procis primum hocce cerebrum
Hanc vivam Medico Pallada donat agro.
Puncticulis ægri, miriſque inſcribimur umbris,
Ex quibus & vitæ jus patet, atque necis;
Pingimur infantes, adque incunabula certis
Lex morbillorum ſtat ſociata notis;
Sæpe inteſtino juvenes expingimur oſtro,
Et caput inviſi Zeuxidos arte tumet;
Pingimur effœti, ſcelotyrbenque ore fatemur,
Ardet & in totam Pardalis ire cutem;
Sed quo peniculo, ſed quo pingamur Apelle,
Pendet in Aſclepî lis inaperta tribu;

Ingenii eſt, *Paulline*, tui, ne pendeat ultra,
Inque tuis crenis Oedipus ille latet;
Scalpello & flamma referas, quæ condita ſeclis,
Et volucri adſcribis ſemina tanta ſali;
Hic ille eſt Proteus; tot qui in miracula rerum
Vertitur indocto res inopina gregi;
Ut ſeſe intendit calor, hic ſequiturque fugitque,
Stat, nigricat, livet, jam rubet, inde viret
Fermentare ſagax, doctuſque ciere cruorem,
Et tragico circum ludere corda joco.
Perge Machaonio reliquum quod pectore ſervas,
Orbis in eximium pandere velle jubar,
Deme palimpſeſtis tenebras, Soſioſque fatiget
Flora ſub incudem ſat revocata novam;
Puncta febres inter retegens, punctum omne tu
Da locupletatam Chlorida, & omne feres. (liſti

(34) In illuſtre monumentum Mavortii Herois,
Dn: ULRICI CHRISTIANI GYLDENLÖWII,
apud Exercitus Danicos cum poteſtate, quondam, Legati.

Heic ſilet exiguâ lugubrè arctatus in urnâ,
Arctari cujus limite fama nequit;
Parce tibi, lector, ſacroque horrore bidental
Aſpice, quo tanti fulminis ira jacet.
Fulmen erat, ſeu cum Patriæ Bellona vocaret,
Seu cum Cantabriæ claſſica, fulmen erat,
Hinc paſſim Gallis albeſcunt oſſibus arva,
Atque Sudermanno terra cruore natat;
Nec tantum fulmen, ſed mente, manuque Leonem
Supra, & præluſtri nomine, reque Leo.

Sed

Sed cur fulmineus, ſe ſe Leo ſubtrahit orbi?
  Cum Patria, & juſtam flagitat orbis opem,
Accipe fatalem, Lector cultiſſime, cauſam,
  Hoc genio eſt fulmen, fulmineuſque Leo:
Fulmen ubi impreſſo disjecit ſtigmate tectum,
  Et quicquid ſolido robore contra meat,
Labitur, & tutam primâ in tellure quietem
  Poſtulat, ac puncto temporis urit, abit.
Ut longum bellet cum bellatore leone,
  Et tigris, &, pejor tigride febris agit,
Tigrida diſcerpto mox ſtratam deſerit armo,
  Quam cuperet ſimilem febribus eſſe jubam!
Noſtras ille Leo ſæpe inſultantia Tigris
  Hauſit Sequanicæ pectora, colla, latus;
Sæpe Lycaonias docuit magno impete Tigres
  Verrere Suecano ſanguine, & ore ſolum;
Suggeſtum valli, qua debile, pervia foſſa,
  Is vallum, atque loco foſſa profunda fuit,
Pectus erat vallum, quo ſtante hoſtilia cœpta
  Non auſa infirmum ſollicitare latus,
Dumque cadente audent, ſubita vertigine rapta
  In ferrum & mortes cœca caterva ruit.
O quoties volucri turbaſſe infeſta maniplo
  Agmina, cordatis Hafnia plena refert!
O quoties noſtris ſolitus pingueſcere Finnus
  Divitiis, pingues corpore fecit agros,
Ulrico raptante globum! terra Amagra ſalve,
  Cui cygnéa fuit cantio viſa Ducis;
Heſe Leo ſceptriferum mira virtute Leonem,
  Quod nunquam didicit, perdocuiſſe valet,
Invehitur Gothicas inter mucrone phalanges,
  Mors, fuga fœda, cruor parte ab utraque volat,
Julia ſe donec prodit ſententia: ferro
  Parcatur, non eſt ſternere ſtrata meum.

Idque Leoninum : poſt hæc victricia geſta
Nil niſi cum Lacheſi belligerare libet ;
Pergite, ait, febres, vel quo vos nomine ſignat
Natio Chironis, pergite ferre necem,
Contemptricem animam fatique, malique videte,
Ure, ſeca, lethum, nil moror, ure, ſeca :
Qui cum Rege meo Regemque Duceſque fugavi,
Mortis ad incurſum ſperno parare fugam.

---

(35) BEATIS MANIBUS
Sancti & incomparabilis Herois
D. JOACHIMI GERSTORFF
Summi & providentiſſimi, Auguſti Danorum Norvegorumque Regis Miniſtri, magni univerſæ Patriæ, literarum literatorumque omnium delitii luminis præſidii, Domini & Patroni ſui longè deſideratiſſimi.

Denique quid ceſſas anime? occidit! occidit! eheu!
Ille tuus, tuus ille Atlas, ſecumque recepit
Dimidium ferale tui; quin flebile pergis
Dimidium terras, atque hunc cœleſtium inanem
Deſeruiſſe globum, Dominoque intrata ſubire
Atria, & heroam ſtatui gladiator ad urnam ?
Cuncta oculis atrata meis : non Phœbus in auro
Naſcitur aſſueto, pallet Phœbe, aſtra nigreſcunt,
Nectar acet, Muſa eſt Lacheſis, Rhadamanthus Apollo
Creditur, ipſa etiam Batavæ pulcherrima glebæ
Semineci apparent Nomadum magalia luci ;
Leida mihi turpis, trux Amſtela, degener Haga,
Delitiæ mundi inſidiæ : quin te exigis ergo
Spiritus, & ſuperas unà inclinaris ad aras ?

Spes

Spes tüa, ſpes Patriæ, decus immortale Trionum,
Os Regis, flos nobilium, Phœbêa voluptas,
Delitium humani generis, quo Dania civem
Majorem luxiſſe nequit, lacrymabile viſu!
Fatali infertur tumulo; quò gaudia noſtra?
Quò lux noſtra fugis? pullæ lugete Camœnæ,
Veſter honos obiit: plora Themis, ille patronus
Juſtitiæ afflictam nimium citò deſerit Arcton:
Plange genas Virtus, non ullo digniùs unquam
Pectore ſediſti, ſive ad juvenilia ſpectes
Tempora, ſeu plenos meritis, & honoribus annos,
Longa retrò ſeries. (ſed jam ſine Apolline nervi
Officium implebunt lacrymis) Cunabula quondam
Ipſa aliquid Patrio ſpondebant grande Bootæ.
Conſcia lactenti reptata Aſarota puello
Conſcia Sora viri, cum prima elementa juventæ
Ingreſſus virideis animo præcederet annos
Virtutum totus, Phœbique; Eudoxia talem,
Talem Antonini finxerunt vota Nepotem.
Itur in Europæ florentia, potus Iberus,
Sequana, & exculto Moſa nobilis orbe Batavo,
Et Rheno cum fratre Albis, Tameſiſque, Tybriſq;
Junge Lycaonio vicina fluenta Melero.
Diverſum linguis, diverſum moribus acri
Verſat mente genus, populoque obſervat in omni
Quæ faciat, quæ digna fugâ; volucriſque Matinæ
Exemplo innumeros alacer ſpatiatur in hortos
Hinc atque hinc libans, caſtigatoque palato
Nectareos transfert in Hymettia texta liquores.
Jam ſedet Aularum ſpeculari occulta, quid auri
Jupiter inſinuet tacitè, quæ machina Pacem
Conſervet, quæ bella viris, quæ commoda Regnis
Parturiat; magnis Phœbi jam miſtus alumnis
Enthymema rotat, ſtupet invida turba disertè
Orantem, & vetulo pudor eſt didiciſſe Magiſtro;

Jam ſoli Archetypos libet excuſſiſſe Platonas
Nunc Senecæ divina placent: interrogat omnes
Grajorum, Latiique animas, quid ſceptra gubernet
Juſtius: hic Fabii momenta ſenilia librat,
Hic Minuti; rurſus quid Craſſum impleverit auro,
Quid Sullam iratis, Capeneaq; miſerit umbris. (illos
Cur præſtet Dominum eſſe ſui: juvat hos, juvat
Subjicere ingenio memori, modus omnibus unus
Omnia divino mentis pervadere ſenſu.

Sed majora patent: ut conſummavit Ulyſſem
Circuitu, Patriam tandem regreſſus ad Arcton
Secum habitat, fruiturq; die, ſtant pulpita circum
Pierides, ſtat ſacra quies, diſtinctaque Muſis
Atria, nec querulæ vigilant ad ſomnia curæ.
Te celare paras? *Gerſtorffi* magne, nec illud
Dii ſierint unquam privatim habitare cerebrum;
Gemma licet lateat, licet internoſcere gemmam;
Quid luci & modio? lateas quantum libet, Aula
Aula vocat, veniunt, non accerſuntur honores
Cumque ſuis creſcunt meritis, nec ſiſtitur ante
Quam vicina ſacro ſtatuatur ſella Tiaræ.
O! quanti ſapere eſt? dat provida ſurgere virtus,
Suadaque linguarumq; nitor, dat pectus inundans
Flumine Muſarum, & ſanctæ reverentia legis
Adde animam pro Rege ſuo, pro cive paratam
Per flammas, furiaſq; rapi: Cnerodia teſtor (ſtram
Culta, Amagrûm cineres, immortalemq; Palæ-
Qua nitet, & pingues inimico ſanguine campos
Hafnia deſpectat, fida Hafnia, quam ſibi virtus
Martia ſupremos legit ſenſura labores;
Heic vis explorata animi, ſeu poſcit arena
(A latere ut ſtantes mors ignea verberat artus)
Conſilium, ad mediam reddit conſulta Capenam;
Curia ſeu forti decreto ulciſcier hoſtes
Deſtinat, is ſolidos circumſpectè ingerit ictus,

Et

Et Fionûm vocat arva prior; Seu voce Quirini
Legatorum inter ſpinas, cinerique repenti
Suppoſitum paſſim Vulcanum, & lubrica eundum,
Explicat ingenii vires ſedatus, & omnem
Neſtora prægreſſus ſimul hos ſimul occupat illos
Pondere dictorum, & facundo promptior ore
Exprimit aſſentiri, animoſque ad verba gubernat.
Ut taceat Boreas, non diviſa orbe, tacebunt
Nomina magna, Goes, Rebolledique Catique
Terlónii, non Sarmaticæ venerabilis oræ
Morſteniûm ſanguis, Sueonum nec gloria Bielcki
Queis Kleiſtos adjunge graveis, & triſte minantem
Sidnejum, Albionem, ſociique electa Batavi
Pectora, & excelſum, dederat quem Moſcua, civem
Quoſque referre mora eſt: omnes *Gerſtorffia* Siren
Compoſitâ traxit Domini in compendia Suadâ.
Accipe quod ſtupeas ultrà: licet omnibus unus
Sufficeret, ſive acta togæ, ſeu cura Gradivi
Magnificum partes animum verſaret in omnes,
Nulla unquam vertigo Virum, Zephyruſve, No-
Egit in abruptum, nulla aſpera, nulla ſecunda (tuſve
Dimovere gradu mentem, vultumve, ſereno.
Ipſe Dei, ſemperque ſuus, ſemperque tumultu
Celſior affectus, iraſque, metuſque, minaſque
Seſe infra aſpexit, minor illo injuria templo.
Sola animo Cynoſura polûs, ſupremaque vitæ
Regula, ſe Regi, populoque impendere, quò dum
Mens abit, & miro prætentat acumine cuncta,
Metiturque tacens ſecum, latebraſque per omnes
Ingreditur rerumq; hominumq; ad inania famæ
Immotus, pleno contendit ad utile greſſu
Tuta magis ſubitis adamans, cœloque gemellus
Tantum opportunis erumpit ad ardua rebus.
Viſa quies, ſed talis erat, quæ, Phœbe, caballis
Sentitur germana tuis; modo raditur Eos

An-

Antevolante oculos curſu, modo fervidus Auſtros
Incendit vapor, & ſuperi laquearia mundi
Percipiunt vitale ſuum, nunc Tethys Ibera
Stringitur, interea plebejo expenſus ocello,
Cum nondum Phaethon cadit, inſpectaris eodem
Stare loco, atque uni veſtigia figere puncto.
Fabula ſit Grajum ſediſſe bivertice Phœbum,
Cum verum in Phœbo hoc: quis enim memorabilis orbe
Clivus in Arctoo, quò convenere Pelaſgum,
Romulidûmque Deæ ſelectius? ordine certo
Excubat alma cohors Patrum Aſclepîque Senatus:
Hac iter eſt Themidos Myſtis; hic Tullius altum
Pegma tenet; ponè Hiſtoricæ, Pindique Phalanges
Exſpectant nutus, alia dum parte manipli,
Moribus illuſtres tendunt: ſurſumque deorſumq;
Omnia plena Diis, docteque loquentibus umbris.
Nec clivus tamen ille ſatis; celebratior alter,
Ignea mens Domini, quâ ſeſe illa omnia junctim
Condiderant, & juſſa ſuos (mirabile) ad uſus
Currebant properante rota. Tirynthius Heros
Vertice laſſatum quondam geſtarit Olympum.
Nil moror, hoc ſancto geſtata poluſque ſalumque
Et Superi, & tellus, & Alexandria cerebro.
Quid memorem ingenium? quo mitius invenit orbis,
Et Philadelphæo propius nihil, acta loquantur
Ipſa, memor Boreas totus: Septemplicis inſtar
Amnis habe; Pharios hic latè excurrit in agros
Fertiliore undâ, nunc ſicca Dioſpolis haurit
Vitales ſuccos, verſo nunc Delta rigatur
Commate, nunc Coptos bibit; is contentus hiulcos
Fœcundare ſinus, tacet, atque ingratius audit
Flabra, nec allatos exprobrat murmure fructus.
Mittor in Oceanum, rapit huc generoſa propago
Funeribus demerſa novis, & Sole perenni

Di-

Dignior, huc privata vocant. verum iſta papyro
Delegare vetat præſens dolor, ille medullas
Intus edens ſcindit metrum; pro voce peroret
Pallor & humecti vultus, libet acta fateri,
Tota ſtoa excuſſa eſt animo atque inſcripta libellis
Inſcriptas menti nequeunt abſtergere nubes.
Vix linguam inveniunt ſenſus; manus iſta tremiſcit
Patrono devota ſuo, tentatque caditque
Et ſtupet in mediis pœne intermortua chartis:
Scilicet agnoſco tandem, cur Strymona propter
Squalidus, abjectâque lyra, fidibuſque metriſque
Sederit, & ſolis vivens ſingultibus Orpheus
Nota prius longo penſarit carmina fletu.
Heu! quantum amiſiſti Aquilo! ſi Patria nondum
Jacturam ipſa tuam capis, aut cur nobile buſtum
Proſequar his guttis, ex illo collige vultu,
Qui Boreæ terras, patrimonia digna, ſerenat,
Cum ſuus eſt, qui infuſâ Danis tot Claſſica regnis
Inſpexit gemitu major, nunc ſubſtitit ante
Luctantem cum morte animam, triſteiſq; Penates
Nubilus, & fido coram illacrymavit Achatæ.

Conſummatiſſimi Parentis glorioſè (36)
æmulo Filio

D.D. HENRICO VANDER LINDEN,

cum Hippocratem ſollicitâ beati Patris curâ emendatum publicaret. 1665.

Affere te, Medicum jam longa ab origine germen,
Cygneumque Patris profer in ora melos;
Suave melos, doctis quod & os titillat & aures,
Anteque Sirenas, Ambroſiamque placet,

Ne-

Nectar ſuave Deis, & terræ mella colonis,
Suave exſurdatæ lacryma Thuſca gulæ.
Suave coloratus mittit quod Saccharon Indus,
Suave Calabrini roſcida manna ſoli.
Suavius *Antoni* ſapit ultima cura cerebri,
Et modulis ultra luſciniam exit olor.
Phillyridum teſtor genios, animaſque Pelaſgûm,
Illa Machaonii prima elementa chori.
Jam demum Hippocrates proprio exſplendeſcit in oſtro
Ipſe nitor Grajus, formaque prima redit.
Vere novo brutam ponit cum pelle Senectam
Anguis & in juveni veſte volumen agit;
Cous at in ſquammis tot ſecula dormit iiſdem,
Rara avis, exuvias quæ removeret, erat.
Foeſium ſupra nemo aſſurrexit, at ille
Proh! Superi! quàm infra maſcula coepta jacet.
Illius à nitidâ vitalior exiit ulnâ,
Spemque reſurgendi ſemineci ore bibit;
Oraclo propior tamen exiit: aſpera multa,
Multa abrupta, ſitu trunca & hiulca vides:
Sed merito Hippolyti ſe Collectore Batavus
Jactitat, Oedipodæ nomina, LINDE, meres.
Mens immixta Diis, Tepet ſine veſte Diana
Cernitur & Coi quicquid Eleuſis habet:
Pelle novâ in priſcum ſpirarum Epidaurius aurum
Voce tua & calamo ſuppetiante redit.
Quin niſi ſpe citius laceraſſent ſtamina Parcæ
Doctorum Antiquis reddere nata diem,
Ipſo ſe Hippocrates ſapientior iſſet in auras,
Ipſo ſe Celſus celſior uſque foret.
Patris adi pluteos celebrati nominis hæres
Fac præli excipiant Dia reperta ſtylum,
Cantemuſque: Pater fuerat Cos maxima Coo,
Coſque ſimul Patri maxima Natus erat.

De inſtitutionibus Medicis lectiſſimis (37)
Viri Experientiſſimi, Celeberrimi

D. D. GERARDI LEON. BLASII,

in illuſtri Amſtelredamenſium Gymnaſio
Profeſſoris Medicinæ clariſſimi.

Regnatum ſatis eſt, morbi; ſat veſtra tyrannis,
  Sat patuit rigidâ Parca cruenta manu.
Fas magis anguſtâ fortunam ut jactet in aulâ,
  Parcius & Cives, nec ſine lege, regat.
Fas licet indomitus pontem uſque refutat Araxes,
  Et fugit in Medico diſcere jura foro;
Diis genitis tantum leges & jura Melampis
  Scribere, Diis genitis frœna parare datum eſt.
Talis ades claro, *Blaſi* clariſſime, ſcripto,
  In Cathedrâ, in mortis limine talis ades:
Seu fabrè inciſos libet excurriſſe per artus,
  Atque orbem humano quærere in orbe novum;
Miratur poſitam Veſlingius ipſe Senectam,
  Seque os mortali majus habere ſtupet;
Seu placeat Veteres excire è Pulvere Phœbos,
  Ablatumque Italis reſtituiſſe diem;
Chemica ſeu Gallo monſtrare politius Hermæ,
  Beguinumque novâ voce docere loqui.
Plura referre mora eſt; præſenti ex ungue Leonem
  Æſtimet Aſclepî mente, manuque nepos:
Ecce! Machaonias inter via tuta Charybdes,
  Vix Ariadnéum certius iſſet opus.
Flamma eſt Divinum quamvis medicamen, ab arte
  Ni quid, nî quantum, quomodo, quando, ſcias;
Ferrum eſt, Ceritus ſtolidè quod jactet Oreſtes
  Artificem Methodi nî cynoſura regat:

Ver-

Verſa, lector, opus, nec erunt tibi pharmaca flammæ,
Nec ferrum, in dubiis ſed Panacea malis.

(38) Ad Virum Clariſſ. & Conſultiſſ.
D. D. JOHANNEM LEONHARDI BLASIUM

Themidos & Apollinis delicium, cum amorum, amantiumque fata, læta ſæpe, ſæpe nubila diſerte calamo adumbraret.

Forſitan occultos in aperto cernimus igneis
Queis tu queiſque calet dimidium illa tui.
Flamma amor eſt; clauſæ marceſcunt illico flammæ,
Et niſi lux agitet publica marcet amor.
Dis paria attentas, ſua quondam incendia ſenſit
Jupiter, & Vati commemoranda dedit.
Hinc Leda in calamo Danaëque renaſcitur omni,
Et ſuus Europæ eſt, Antiopeque locus.
Mars ſua, Mars Paphiæ manifeſtat dulcia ſeclis,
Ut ſenſiſſe juvat, ſic meminiſſe juvat.
Bis tua mellito delectant baſia morſu,
Dumque domi libas, dum recoquiſque foris.
Te Duce panduntur jam publica vota procantum,
Et privata ſimul miſta querela fluit.
Quicquid id eſt, Naſo Tibi vel redivivus inerrat,
Ipſa vel hoc dictat clam Cytherea melos;
Sic te infers calamo, genium ſic pingis Amorum,
Triſtiaque & junctis gaudia mille jocis:
Cur intercedant gemitus, cur ſcindat Amantûm
Vota ſupercilio ſæpe Noverca truci.
Sit genetrix, ubi juncta tamen duo pectora findit
Et Natæ, & cupido tota Noverca proco eſt,
Durate, haud aliter Paphiæ ſacra dulcia conſtant,
Horridulis ſpinis it roſa munda comes.

Quid tibi non ſpondent Divi tres; Phœbus in ore,
In gremio Venus eſt, in cerebroque Themis.

Viro Prudentiſſimo (39)

JANO JACOBI

Lectiſſimæ Virgini

AGNETÆ ERASMIÆ,

Sponſo & Sponſæ

feliciter.

Surgite Luciferi; tuque illuſtriſſime Titan
Inclareſce magis, fulvos expande capillos,
Et cœptis applaude novis, dum frena Cupido
Dirigit & victam deducit in atria SPONSAM
Victoris JANI, thalamumque inſternit ovante
Prædatrix Cytherea manu: dum ridet Amorum
Diva, Cupidineas tandem libâſſe ſagittas
AGNETAM, & blandis jam ſuccubuiſſe pharetris.
Plaudite, viciſtis Veneres: contempſerat olim
Prima rudimenta Paphiæ, ſociumque cubile
Averſabatur, nullo vincenda procante:
Non ſecus ac crebro pulſata Ceraunia morſu
Æquoris, alliſos debellant fortiter ictus.
Sed ſolvenda fuit turritis clauſa cavernis
Jam tandem Danaë, reliquiſque impervia cunctis
In JANUM vertenda novum; quapropter amatus
Veſtales jubet ire procul; contraria mente
Volvit, & ignavi damnat faſtidia lecti.
Scilicet inflexit præſtans facundia *ſponſi*
Virgineam mentem, niveique in pectore mores,
Et quod per Themidos ſacræ circumtulit artes
Ingenium ſolers, & longùm cognita virtus.
Hoc Magnete trahens *Agnetam* vicit, & omnis
In-

Indelibatæ pandet myſteria gazæ,
Tu Cytherea faces porta, tu maxima Juno
Inſtrue proliferi generoſa toralia lecti,
Atque prius quàm ſe vertens abſolverit annus,
Caſta fave Lucina, novamque admitte Clientem.
Fœcundet Neptunus aquis, & Veſta receſſus
Terrarum, placidi fœcundent aëra venti,
Veſtro SPONSE bono. Semper pax candida fœdas
Proſcribat rixas, & formidabile murmur:
Accreſcat laudandus Amor, flammamque Dione
Ventilet uberius, tæda incandeſcat eundo,
Et magis accenſos progreſſu ſentiat ignes.

---

(40) Nuptiis

D. SIMONIS PAULLI

Bibliopolæ Argentoratenſis.

Piſcamur cuncti, ſunt queis ſtat in orbe Batavo
Naſſa minax, ſunt queis lympha Britanna favet;
Gallica non rarus ferit æquora, cernitur & qui
Romulidum arcanis retia tendat aquis;
Hic Themidos medio reperit ſacraria in hamo
Mercibus huic Italis læta ſagena redit;
Aſclepî mitras alius deportat, Ulyſſei
Is propior ſuadæ pondere onuſtus adeſt
Piſcatura licet felix, jucundior illa eſt
Quam facis in Tuiſci *Simon* amice ſalo.
Nos blatarum epulas, membranarúmque labores
Archetypos dum tu vertis amaſque libros
Felix ſorte tua, *Simon* deprenderit olim
Piſciculos, carnes prendere majus erit.

Nuptiis (41)

D. D. CHRISTIANI FOSSII.

Intonuit triplici luſtrum, quod vertimus, æſtu,
Atque tuum petiit, dulcis *Eliſa*, caput.
Vulnus erat rigidum, ſuccumbentemque maritum
Cernere funereo membra locare toro.
Vulnus erat magni Patris aſpectaſſe feretrum;
Cupreſſus Matris, quid niſi vulnus erat?
Vidit & ad medicas verſus citò *Foſſius* artes
Hæc ego compeſcam vulnera ſolus, ait,
Nondum Moly perit, nondum Nepenthea tellus
Neſcit, adhuc noſtra vivit in arte Panax.
Hęc tria pro triplici medicamina vulnere promam,
Hæc jucunda bibet pharmaca, tuta, cita.

Viro Excellentiſſimo, Experientiſſimo (42)

D. JOANNI VAN HORNE,

In illuſtri Lugduno- Batava Acad: Anatomes & Chirurgiæ Prof: Publico celeberrimo,

SPONSO

& Emendatiſſimæ, lectiſſimæque Matronæ

Dn. ANNÆ VAN ULFT,

SPONSÆ

feliciter.

Palma tua eſt, Cytherea tua eſt: van HORNE triumpho
Ducitur, & Dominam flectere diſcit Amo.

Ante refutârit ferroque & forfice amores ;
Nunc aliud didicit ſuavius ure, ſeca.
Semivir o ſuetum quondam Enthymema Bianti
Torſerit ad ſenſum, ſtulta Atalanta, tuum.
Jam tandem Hippolyti terret via, mutit anhelus:
Æſtuo, quô properans fonte imbibebo ſitim?
Seu libet artifici ſpirantia corporis exta
Diviſiſſe manu ; dividit acta Venus.
Oſſea ſeu priſcis decorare ſtructura formis ;
In formas alias mente animoque feror.
Fila, canaliculos docto ſcalpella, ſpecilla,
Uncos, Volſellas, ferrea carpos, ſtylos:
Nil ago ; commentem teneri ſpeculantur Amores
Atque ſtylos alio vertere more jubent.
Quid juvat abſtinuiſſe diu? nunc occupor altè ;
Undique; ſera venit flamma, ſevera venit.
Nil ea Veſalios, nil Hippocratea morantur
Scripta : liber placeat, ſed quoque liber, ait.
Mea jam eſto ! contueor te ſancte Deorum,
Quiſquis es, inque tuâ ſint mea vota manu.
Macte novo, Vir magne, auſu! tibi militat aula
Æthereis, ad flammas excubat illa tuas.
Illa etiam ſanctos jam deſtinat ignibus ignes,
Illa tui caſtam verſat amore Deam.
Uritur inſolitis felix *van* ULFTIA flammis,
Unius & Medicam poſcit ab HORNE manum.
Luminibus vultuſque tuos, habitumque decorum
Crebra habitat, Diam libat in ore Charin.
Nec mirum ; tua mens prodit ſeptemplice linguâ,
Pectora Sithoniâ candidiora nive.
Dextra tua ancipiti ſubducit corpora morbo,
Et jam mille modis ingenioſa ſecat.
Roſcius in reliquis; uno nunc vulnere feſſus
Pergis in externa quærere Numen ope

Et

Et bene; vulneribus nova vulnera pharmaca red-
Vulneris iſta auctrix, & Panacea Cypris. (dat
Felices animæ! placitos miſcete calores,
Ventilet inſuetâ luce Cupido facem.
Bina dedit [illegible] van HORNE volumina [illegible].
Tertiaque exaugens HORNIA præla dabit.

Amico ſtrenæ loco miſſum Sueco urbem obſidente. 1658. (43)

Munere quo carum dignè pulvinar adorem,
Dum verſo, ad leges, Jane novelle, tuas;
Ecce ſubit, Sueco patriam ſpoliante, relictum,
Spem præter, nobis muneris eſſe nihil:
Sed bene quod Divam hanc nullis extorſerit auſis,
Illa tibi, illa mihi muneris inſtar erit;
Illa tuos animos inter frameaſque globoſque,
Illa meos inter bella diurna fovet.
Bella, inquis? bella ajo, ferox, te mœnia, meque
In caſtris vidit culta Minerva ſuis.
O! quoties Logici ſeſe oppoſuere manipli,
Hinc à Celarent à Ferioque minæ.
Parte aliâ Grajæ caput hoc petiere phalanges,
Budæo quamvis, turba moleſta, Duce.
Utque intentatum nihil, ecce! Diique Deæque
Parnaſſi hos artus obſidione premunt.
Sto tamen, & ſolâ ſpe ſuſtentata futuri
Membra armo, induro pectora, figo pedem;
Non te belligeræ cogent ſuccumbere turmæ,
Non me Caſtalii tota caterva gregis;
Pergamus porro bellare poloque favente
Gaudeat eventu ſpes tua, ſpeſque mea.

(44) In Climactericum magnum Ampliſſimi & Celeberrimi Viri,

D.D. SIMONIS PAULI

Archiatri Regii,

Cùm Quadripartitum ſuum magnis auctibus locupletatum publicaret.

Siccine defeſſo Podalirie magne lacerto,
    In ſcenam lauru concomitante redis?
Naufragus ille aliis, & in Acroceraunia pendens
    Pœne triumphali Te vehit annus equo.
Quid cauſæ? mediâ crocus exit in aëra brumâ,
    Inter honoratas floret uterque nives:
Sola aloë in ſenio germen vitalius urget,
    Et levat innumero flore ſtupenda caput:
Myrrha fatigatis lacrumat generoſius annis,
    Quàm ſequeris plantas, Chloride nate, tuas!
Donec erit tellus, Myrrhamq;, aloënque, crocumque
    Quæ ferat, & PAULLI nomen in ora feret.

Argentorati 25 *Junii*. 1666.

Sequentia de

D. BURRHO

ſcripta ſunt, cùm ille à magnis Principibus Ducibus, legatis, Rebuspublicis &c. tanquam Summus Arcanorum naturalium Myſtes judicaretur, & penè adoraretur.

San-

Sanguine & meritis Illuſtriſſimo

D. FRANCISCO JOSEPHO BURRO

Equiti Mediolanenſi

INCLUTO NATURÆ THESAURARIO

Sacrum.

In laboratorium Conſummatiſſimum (45)
Illuſtriſſimi Domini

FRANCISCI JOSEPHI BURRI

Veram Naturæ Curiam.

Amſtela delitium Superûm! tibi curia duplex,
 Orbis ad invidiam, ter pretioſa micat.
Altera rixanti diſpenſat jura popello,
 Altera naturæ grande tribunal habet.
Iſtic juſtitiæ duodena palatia ſurgunt,
 Hic at Eleuſine vel duodena quater;
Omnia cœleſtes Domini oſtendentia ſenſus,
 Omnia mortali nobiliora manu.
Scire voles, hæc quò Capitolia ſacra receſſu
 Condantur, vulgi lumine viſa parum?
I venerabundus, flumen quà evolvitur urbe,
 Qua ſecat Amſtelius ſaxea ſtrata latex;
I properè, excelſi tecta illuſtriſſima BURRI
 Conſule, & ignipotens devenerare caput.
Forſan inexhauſti germana cubilia Solis,
 Et rubra Lunaris cornua facta globi,
Vulcanumque novam per mille foramina doctum
 Ire viam, & volucri fræna parata Deo

Inſpexiſſe dabit, vel quæ Salomonia quondam
    Auſtrinæ oſtendit dextra ſtupenda Deæ.
Parte alia inflexæ roſtro curvante lagenæ
    Exſudant Arabum balſama digna plagis.
Tolle oculos ſupra, cinerumque, mariſque *Spagiri*
    Oſtia pandentur, ſpirituumque greges.
Ingredere in thalamos; flammarum hîc verbera & omnes
    Mulciberis videas, arte regente, dolos.
Materia ſuperante premor; ſua vellera Jaſon
    Hîc videt, hic tauros Colchis amica domat.
Hîc manus Hermetis, quæ ſupra, infraq; coërcet,
    Sol pater, & mater Luna miniſtrat opem;
Filius in venti medio volat huc, volat illuc
    Donec in infernis fit ſtabilita quies:
Suaviter a trato remove ſubtilia ſpiſſo,
    Connubioque iterum junge, teleſmus erit.
Salve Hermes ſecli, Naturæ gloria BURRE,
    Cui patet, occultum quicquid in orbe latet;
Sive rogas certas elementa per omnia leges,
    Auſcultant Medico promptè elementa ſuo:
Seu libet auratas, flammis ſine, fundere maſſas,
    Frigora flammarum munus obire doces.
Poſcis ab æthereis mannamque & mella colonis?
    Ad nutum replent mannaque melque cados.
Aëra qui in famulis numeras, potes inde tributum
    Nitraque & auguſtum ſollicitare Salem.
Vult quis inextinctum, ſi pabula dempſeris, ignem?
    Claudis in Artifici vota cupita globo.
Spes aliis exſpes, oleoſa extundere talco,
    Ad tua res veniat limina, ludus erit.
Felix, cui patula eſt Naturæ hæc Curia, felix!
    Secula cui ſimilem nulla tulere domum:
Curia marmoribus micet altera, at altera gemmis,
    Plus habet hæc vitæ, plus habet illa necis.

In admirandum, & ſeculis inauditum (46)
Artificium, Quo magnus ille Naturæ
Conſultus, & Medicorum Coryphæus

Illuſtriſſ: FRANCISC: JOSEPH. BURRUS

Cœcis viſum reſtituit.

Trajicitur ſolido pupilla exterrita ferro,
Quà patet, & retinæ ſtringitur ora ſtylo:
Stringitur, & trini dextrâ preſſante liquores
In propè ſpectantis lumina pœne volant;
Hac aqueus gyrat ſeſe, cryſtallinus illac
Vertitur, atque alio vitreus urget iter.
Orbita funebres tunicas, & flaccida luget
Deliquia, æternis ſemiſepulta malis.
Conclamata ſalus; nil ſpondet dextra Galeni,
Et Delphi Hippocratis, re ſuperante, jacent.
Phillyrides! nondum Colophon; res digna ſtupore,
Sunt heic, ſunt tantæ pharmaca nata ſpei:
Qui ſe intentato Phœnix redivivus ab igne
Aſſeruit flammis clarior, atque rogo,
Aſſerit ereptumque diem lumenque ſepultum
Solenni rurſus luce micare docet.
Nectar in oppoſitum ſiphonibus urget hiatum,
Atque oculi hoc ſolo nectare vita redit:
Impletur bulbus, coit, & cum ſeptima Phœbi
Lux oritur, pleno lumine lumen adeſt;
Exhauſtum doluiſſe neges, niſi contra cicatrix,
Quæ tandem amiſſo nomine tota perit.
Res faſtis celebranda novis, celebratior illa:
Noctem iterum, atque iterum reſtituiſſe jubar:
Viſa cano: pupilla iterum diviſa coivit,
Et nova crux oculo, lux nova facta fuit.

Hoc eſt octavum terris oſtendere mirum,
Bis demptis oculis bis dare poſſe diem.

(47) Ad ſummum in Naturæ lumine Philoſophum,

Dn: FRANCISC: JOSEPHUM BORRI

Equitem Tranſalpinum

Ciſalpini BORRICHII

Elegia.

BORRI, Pœoniæ fax illuſtriſſima gentis,
DIIS propé, BORRI, oculo, ſanguine, mente, manu,
Ne ſine BORRICHIUM tanto de nomine dictum
Amplius in tenebris delituiſſe ſuis.
Me, me felicem ſolo cognomine BORRI!
Non mihi nota CHIUS, non mihi grata CHIUS;
Inſula ea Otthomanæ ſubjecit nomina Lunæ,
Phœbe, CHIUM teneas nominis, oro, mei.
Sat mihi, ſat BORRI nomen, mantiſſa fatigat
Noxia, ut in curru noxia quinta rota.
Sed quid ego? ſolus mundi regit omnia Phœbus,
Et BORRI in mundo nomine ſolus erit:
Nos humiles ſtellæ, nos tanto à lumine lumen
Carpere & alterius luce micare ſat eſt;
Gloria Phœbéo debetur ſola Magiſtro,
Sit quoque Phœbéo gratia prompta viro.
Phœbus adorantes Phœbum fovet, excitat, auget,
Phœbe fove nomen diſcipulumque tuum.
Foviſti, agnoſco, meritiſque ingentibus ultra
Fortunam exſiſti, terque quaterque meam.

Meta:

Meta rogare mihi; ſed meta quieſcere Phœbo
Cum nulla, & nulla eſt meta rogare mihi.
Phoſphore pelle meo nubem & tenebroſa cerebro,
Unus adhuc radius, quem peto ſolus erit:
Ille eſt Mercurium fidâ qui compede ſtringit,
Mercurium plagam, delitiumque meum;
Sive ego chryſtalli jubeo mentirier ignes,
Seu latice avertam præcipitante fugam;
Seu ſolum in ſtricto cogam juveneſcere vitro
Totus ut in Lymphæ clara retexat iter,
Ille remordenti ludit mea facta cachinno,
Retibus incluſum dum puto, liber abit;
Liber abit, ſolum linquit mihi transfuga nidum,
O me infelicem poſt tria luſtra procum!
Connubium illuſus tria poſt quinquennia tento,
Tento frequens iterum, rejiciorque frequens.
Heroæ es mentis, mea ſpes, mea gloria, BORRI,
Dic verbum & felix poſtmodo Sponſus ero.
Fati erat, & ſtudio me jungi & nomine Phœbo,
Fata mihi ſupple tertia, Numen eris.

Ad (48)

D. FRANC: JOSEPH: BURRUM,

Cùm ex Anglico, Gallico, Germanico & Italico itinere Amſtelredamum rediret Auctor.

In peregrinando quæris miracla Viator
Et nova, quæ penſent utilitate vias;
Credibili majora cupis; jam nave Britannos,
Jamque petis Gallis oppida trita ſuis.
Inde per aëreas deferris in Itala rupes
O Paradiſiacis æmula regna jugis;

Cernis & in patulo quodcunque Alemannia dorſo,
Quodque vehit latis Sarmata torvus agris,
Omnia ubi vigili luſtraſti attentus ocello,
Belgica ni videas lumina, nullus eris.
Illa inter celebri BURRHUS ſe jactitat ore,
BURRHUS inauditi per tria ſecla geni,
Quem videt exterius, ſed non videt Amſtela to-
Nam populo exculti pectoris ima latent; (tum.
Nil opus, ut rari ſcrutator regna peragret,
Rara avis in terris ſi fuit, ille manet.

(49) In Muſéum rariorum nobiliſſimum MANFREDI SEPTALII Mediolanenſis.

Jactarent Veteres mundi miracula ſeptem,
Queis jam ſæva diu mors inimica fuit:
Septem alia oſtendit nobis miracula mundi
Septalius, nullo quæ peritura die.
Ipſum, ipſum octavi titulos meruiſſe fatemur
Miracli cerebro, pectore, mente, manu.

(50) In funebre claſſis onerariæ Belgicæ incendium.

Uruntur Batavæ flamma victrice carinæ,
Et modus eſt damno, non tenuiſſe modum.
Millio bis decies numeratus in aëra fertur,
Relliquias Flevi flebile littus habet.
Hactenus inſueta eſt natura volatilis auro,
Argentum flammis indomitum eſſe ſolet.
Ventum ad extremum eſt mundi, ſecreta pate-
Anglica pix, Lector, fixa volare docet. (ſcunt;
Vidimus hinc ferrum, fulvumq; volare metallum,
Cum cœlum Icariæ tot petiere rates.

Do-

Dolia cum rutilo ſcanderunt æthera Baccho,
Et de Ceilanicis cinnama lecta jugis,
Pannique, glomique volant volat aurea tela
Præcinctura tuum, Moſchua furva, Ducem,
Triſte cano: auriculis quem velCleopatra petiſſet
Unio, in aëreas raptus & ipſe vias.
Has inter clades ſibi lex conſtantia Belgæ
Stat rupi ſimilis, ſtatque adamanta ſuper,
Et gemere, imbelle eſt, inquit, modò ligna cremavit
Anglica pix, Anglos Sulphura noſtra crement.

In Celebrem & Sacrum Actum (51)
Baptiſmi

FRIDERICI LASSONII,

Alluſio ad maternum nomen Margaritæ.

Semideum mittunt Indi cum claſſe metallum
Murrhinaque & vellus ſerum, orientis opes.
Bengala margaridos fœtas in littore conchas,
Et Coromandelæ cærula ſponte ferunt.
Sed quæ ter ternas produxerit unica gemmas,
Hactenus in nullo concha reperta mari.
Repperit in terris *Laſſonius*, unica cujus
Margaris in gemmas multiplicata novem.
Parva cano: in decimum pia conchula hiavit elen-
Ut Phœbum ad ſacras affore ſcivit aquas; (chum
Atque aliquid, dixit, reliquæ ſint; ultima magnus
Sponſor cui Rex eſt, unio ſemper erit.

Magno Patriæ Archiepiſcopo (52)

D.D. JOH: SUANINGIO

in ſex ultima Danielis capita com-
mentanti dexterrimè.

Ante laboratos Regali in mente Coloſſos
Vidimus, & Saxi præcipitantis opus,
Oblitaſque ſui flammas, licet aucta camini
Inſanis fremeret vis furibunda modis:
Qui medias inter jacuit Leo Tantalus eſcas;
Quâ Regum ex Bruto maximus arte redit;
Omnia *Cygneo* pridem evigilata cerebro,
Quâ Boreæ flatus, qua Zephyrique meant.
Nunc præit altivolans vates, Phœboque remugit
Altius, obſcuras itque, reditque vias.
Inſequitur, figitque ſimul, veſtigia flamen
Et locat in claro lumine noctis opus.
Nox Daniel, Genio Doctore aurora renidet,
Sed micat à magni Præſulis ore dies;
Applicat exſomnes ſomnos dexterrimus, Urſi
Guttura, ſeu coſtis ſanguinolenta legit;
Sive alas pardi, pennataque terga leonis,
Horrentemve decem cornibus ire feram,
Donec in ultrici componitur ipſe cathedrâ
Et nato defert ſceptra regenda Senex;
Ipſe ſenex, cujus numero ſine mille coronant
Atria, & ad nutum eſt flammea turma vigil.
Parte aliâ hirſuto jacet exarmatus ab hirco
Et rubet Arbellæ ſanguine Perſa bidens.
Aſt Hircum ut merſit Scyphus Herculis, hei! crepat unum
Cornuum & in quatuor cornua fragmen abit:
Illa diu immenſum ſpargunt ſe fulmina donec
Antiochus ſanctis parturit, atque polo,
Parturit & partu divinitus occubat illo,
Calcantes ſtimulus ſic terebrare ſolet.
Plura referre mora eſt, Solymæq; & gentis apellæ
Fata, Michaëlis quid remoretur iter.
Omne retexit opus Patriæ ſacra gloria Præſul,
Occluſumque aliis in penetrale volat:

Divi

Dividit ingentes curas, ſeque omnibus unum
Objicit, Hebræum nunc idioma vocat;
Nunc mera Chaldaico panduntur ſigmata flexu,
Cura veternoſis non adeunda viris;
Nunc pugna Auctorum cum tempeſtate cienda
Queis Daniel nuſquam eſt in Daniele ſuo;
Hinc illa in ſcriptis centeno interprete quamquam
Floreſcat crambe, ſit laceranda filix.
Hoc Ariadnæo progreſſum dirige filo,
Lector, erit Daniel, nubilus antè, Pharos.
At tu, ſanctè Atlas, rigida attenuate palæſtrâ
Poſt decurſa ſacro Pythia tanta pede
Exſpecta à gratis vivus præconia Muſis,
Inque urna lauros, perpetuumque crocum?
Vivet ad extinctum famæ reverentia ſeclum,
Idem ardor ſeræ poſteritatis erit:
Aut ſi unquam meritos tellus fruſtretur honores,
Parque actis pretium continuare neget,
Altera ſcena Tuis aperitur laudibus, alter
Orbis ad applauſus officioſus adeſt:
Qui docuiſti alios, cum è pulvere vita reſurget,
Cum radiante poli luce gemellus eris.

Carmen Gratulatorium (53)
ad
Invictiſſimum, Dominum
Dn: FRIDERICUM III.
Regem Daniæ, Norvegiæ &c.
Hæreditarium.

Fata viam inveniunt meritiſq; ingentibus emptos
Tandem, ſerò licet, diſpenſant ſydera honores
Liberiore manu, divexatæque Tiaræ

Fortunam vultu cogunt meliore renaſci.
Ite Gigantei, fauſtis, quos pectora rebus (ſumq;
Macreſcunt, ſurſum cuncta, infima, ſumma deor-
Invertiſſe licet, penituſque infundere Regnis
Armatas Cadmi ſegetes; elementa minentur
Omnia; feralem venti tranſverſa frementes
Induerint habitum; virtus exercita palma eſt.
Quæ preſſu aſſurgit: victus per dura, per ægra
Perque abrupta meat, ſcopulos, diraſq; per ignes,
Per tumidos fluctus, per mille pericla corollas
Texit & auguſtas anguſto ex tempore lauros.

Scilicet alti bonum terrarum Numina Numen
Æſtimant, & caput irradians diadema tuetur
Stans propior, fortemque aulis hoſtilibus aufert:
Vix tamen excellens ante aſpera prælia ſertum
Crinibus interpoſuiſſe dabit, vix Dia brabea
Conferet, in triſti niſi deſudaveris actu;
Manſurâ nec enim famâ Tirynthius iſſet
Ad Superos Nectarque Deum, niſi Cacus & Hydra
Claraſſent pugilem: niſi caligantia regna
Irrumpens, dubio toleraſſet Marte trifaucem
Cerberon, expertuſque urentem corpora Neſſum.
Poſt belli caſus, Pompeianoſque labores,
Poſt frameas, trux Galle tuas, monteſque niveſq;
Exhauſtas, poſt undoſi diſcrimina ponti,
Et piratarum ponto crudelius agmen,
Imperium tandem, Dictaturamque perennem
Julî auguſta manus, Roma exſultante, recepit.
Haud aliter noſtrum quamvis virtute Leonem
Sceptra obſcura genitum decorent, inglorius ante
Quam ſævos Tigridum conflictu ſenſerit ungues,
Collaque aratoris tauri, barroſque lupoſque
Et quem rhinoceros prætendit naribus hoſtem.

Ante

Ante oculos, interque manus, Auguſte, tuorum
Explorata jacent, quæ vis tibi cudit aperta,
Quæque occulta manus; mitis jam corde ſedebat
Irarum requies, rigidæque injuria brumæ
Tranſierat; poni, quos hoſti opponimus, ungues
Paſſus eras, civeſque tuos pacatus olivâ
Frænabas, mox obrueris, mox mœnibus inſtat
Improviſa lues, cunctoque à colle timetur:
Quam tamen ante ungues (mirandum) Auguſte renatos
Majeſtate animi premis, & vegrandibus auſis
Excutis, infeſtumque vetas proſerpere cancrum.
O quoties diræ ſacra circum tempora mortes
Stridebant! quoties Ducis advigilantia ſomno
Pila gregem ſimiles exemplo induxit ad actus!
Excipe, REX, illâ pro tempeſtate laborum,
Pro vigili, patriæ placuit quam impendere, cura,
Proque catenatis Abavûmq;, Atavûmque periclis,
Excipe, Rex Auguſte, Tibi quod dedicat Æther,
Tantum offert humana manus, ſuperûmque Miniſtram
Ad tua deponit ſacra pulvinaria vocem.
Scande triumfalis, tibi rurſum in pectore pegma
Erigimus, dignare novo his ſuccedere tectis
Nomine, & in titulis FRIDERICUM audire Monarcham.
Aſſequimur demum tripodum ſecreta; ſalutem
Mortalem tulimus, dum Rex mortalis, at illo
Nunc immortali meritis & ſanguine toto,
Danorum eſt mortale nihil; jam ſerva tenaci
Intrabit Fortuna gradu campoſque domoſque,
Et patriam optatâ poſthac venerabitur aurâ.

Ipſa ad Regales Academia Regia lauros
Laurea tota viret, Phœbumque Deoſque, Deaſq;
Provocat ad plauſum & læta præſaga futuri
An-

Antiquum pluſquam jam ſpe juveneſcit in aurum
Auguſto devota ſuo, cui pectore prima
Gratata eſt commune bonum, linguaſq; Quiritûm
Anteiit votis; alius præverterit ore,
Hæc animo precibuſque piis, ſacroque rogatu
Cœlica nunc audet ſub te, Philadelphe, triumfos
Natio Theologûm votis invadere, tanquam
Jeſſæus cathedras, Joſaphatve animaverit; in Te
Juſtinianeum Themis aurea rurſus adorat,
Et Mithridateas gens nata Machaone Muſas
Aſclepî remeare putat. ter maximus Hermes
Eripitur nocti; diadematoque Platoni
Oſcula dat Sophie; redivivo Atlante Matheſis
Erigitur; Pindus ſalit, Alphonſumque reverti
Certus in Arctoo laxat pomœria cœlo.

Macte Pater Patriæ, regna cui fata ſolutum
Legibus imperium tribuunt, ſolique regendos
Permittunt faſces: nata eſt lex illa Leoni,
Quippe ubi firmatis ſtringuntur nexibus armi,
Dediſcit ſenſim generoſos ſurgere in actus
Degeneratque frequens, ſpeq; inferiora minatur;
Solvantur nexus, legem generoſior ipſam
Moribus implebit, ſeque explorabit ad omnes
Juſtitiæ metas, æquique bonique tribunal,
Inque ſuos conſtans dulcedine dulcior ipſa
Adverſos ſolum gravis inſultabit in hoſtes.

Jam mundi REGINA decus, populiq; figura
Syderei, tanto felix poſſeſſa Marito
Arctius invito Patriam amplectetur amore,
Amplecti ſe gnara ſuos, jamque Alitis inſtar
Flammigeri, licet haud edicta minacia cogant
Pro trepidâ pullorum anima, proliſque ſalute
Excubias agitans pennâ tectrice fovebit.

Bis

Bis nobis, Auguſte minor, bis grata Tonanti,
Cujus adhuc primo viridans ætatula flore
Devotos Danorum animos ſtudiumq; ſecundans
Bis ſenſit, ſenſura iterum, cum tertia fata
Addere dignati ſuperi (poſtquam æthere ſummo
Mens compoſta patris, ſed rotum fama per orbem
Compare ſe cum Sole feret) dare jura jubebunt.
Felix æternus ſanguis, quem fata dederunt,
Felix quæ nondum felix æterna propago
Poſtera, Te quamvis naſcentem Dania ſperet
Nec videat, Dominam jam nunc, oſtrique veretur
Hæredem, Dignoſque ſtudet Te diſcere cultus.
Sic ſummum mundi imperium, decretaque parvo
Flamma triſulca Jovi eſt, ſtreperâ cum luderet Idâ
Junonique prius cœlum, quàm cognita Juno.

Ecce ut hyperboreus ſeſe proſternit Apollo
Ante pedes, Auguſte, tuos! ſequiturque novena
Sed duplicata cohors Auguſti munere munus
Advenisse ſibi cantans, proque omnibus unum
Delegat, qui vota chori, qui pectora mundo
Explicet, & Regis meritum ſuper aſtra ſequatur.
Tu BARTHLINE ſacri decus immortale Senatus,
Excute fœcundum gremium, quæque ante Lycéis
Tullius ille tuo dudum redivivus in ore,
Narravit Patriis, ævo tranſcribe ſequenti,
Et Socios narrare jube, chartaſque loquentes
Inſtrue ut in toto, quaqua diffunditur orbe,
Auguſti meritum, laudeſque, decuſque loquantur.

(54)

D. D. THOMÆ BARTHOLINO

Prof. Honorario &c. cum ſuas amicorumque Epiſtolas medicas publicaret.

1667.

Ut doctum implêſti meritis ingentibus orbem,
  Et via, qua licuit creſcere nulla fuit;
Creſcis inexhauſtus, dum creſcere cogis amicos,
  Quos tecum in famæ publica ſponte levas;
Dum ſecure tui trahis in conſortia laudum,
  Quicquid Apollinea nomen ab arte meret.
Pellæo atque Tibi par gloria: ſolus ut ille
  Sol fuerit, comites, aſtra minora, tulit,
Perdiccaſq;, Clytoſq;, Hephæſtionaſq; Cleandros,
  Et Polypercontas, Parmenioſque ſuos.
Sed nimia eſt BARTHLINE Tui vicinia Phœbi,
  Quem propius ſtellæ dum venerantur, hebent.

---

(55) In Imaginem

Viri plurimum Venerandi, Excellentiſſimi, Ampliſſimi,

D. D. JOHANNIS JOH: SVANINGII,

Conſiliarii Regii, in Collegio ſtatus Aſſeſſoris, In Collegio Conſiſtoriali Præſidis, & primi Evangelicorum in Daniâ Archiepiſcopi.

Hoc legit hoſpitium genius venerabilis almi
  Præſulis, hoc homines, hoc movet ore Deum.

His

His oculis ſortem videt, & miſeratur egentûm;
Hac ſummis, imis fronte ſerenus adeſt.
Hæc manus è viduis proſcribit nubila lectis,
Hæc ſeclum ſcriptis erudit omne manus.
Nil tituli immutant; ſedet inconnivus, & alnum,
Sive Auſtris quatitur, ſive Aquilone, regit.
Nunc ſacra conſiliis; nunc mente & voce Lycæa
Splendori antiquo reſtituiſſe parat;
Nunc magnos Aulæ vigil excubat inter Achivos,
Publicaque immenſi ponderis acta librat:
Vis animi hiſtoriam Patriæ ſtupefecerit, unum
Molibus Ætnæis tot ſimul eſſe parem.
Priſca Virum in Cygnum verti ſi viderit ætas
Cygnum in Phœnicem noſtra abiiſſe videt.

Dum in Aula (56)

Dn: BURRHUS

Chemica tractat, BORRICHIUS de Chemiæ ortu domi commentatur.

Cur rarò Auguſtam penetrat *Borrichius* Aulam?
Ex quo, Naturæ gloria, *Burrhus*, adeſt.
Nil ibi quod faciant Lunæ, quando omnia Phœbus
Illuſtrat genio, corpore, voce, manu.
Sunt tamen in cœlo, dum Sol tenet omnia, ſtellæ,
Obſcuriſque licet greſſibus ire parant.
Hinc procul Ægypti *Borrichius* æquora tranat
Chemica, an in cunis Mempheos ille lapis?
Ingrediturque oculis antiqui ænigmata ſecli,
Quâ præiere Hermes, Lullius, Haly, Geber.
Quàm bene dum Veteres *Burrhus* Sol edocet Artes,
Inſequitur calamo vindice Luna minor?

(57)

(57.) MITRÆ EPISCOPALI WANDALINIANÆ

felicitet.

Roma time! è Cimbris aliud tibi fulmen; & exul
Succubuit Marius, Roſpilioſe, tuus,
Contra hodiè infidam regnator *Wandalus* urbem
Arma capit, Latio ſanguinolenta foro,
I ſimul infeſtos, pie *Wandale*, jungimus enſes,
Ut tandem Babylon Cimbro adeunte cadat.

(58.) In Imaginem Nobiliſſimæ Dn. IDÆ ROSENKRANTZIÆ, Viri Generoſiſſimi & perilluſtris Dn: HUGONIS LYTZOW, Arcis Antworſchovienſis Præſidis, conjugis deſideratiſſimæ; vivi virtutum omnium exempli. 1669.

Qualis in Idæis generoſo vertice Sylvis
Eminet, & germen provocat omne roſa:
Talis in illuſtri Danorum educta roſeto
Suſtulit, heu! quondam nobilis *Ida* caput
Diis genita, & magno ſimiles paritura marito
Scipiadas plures, Penelopeſque novas,
Ni tenera adverſis verſaſſet ſtamina Parcis
Illa decus gentis, Conjugis illa decus.
Sed Parcæ Calathos pars coeleſtiſſima Divæ:
Effugit, & mundi non cadet ante rogos.
Donec in excultis roſa creſcere deſinet hortis
Creſcet in exemplum *Lytzovia* illa *roſa*.

Illuſtriſſimi (59)

GABELII,

Auguſti Septentrionum Regis
In Hafnienſi Metropoli Vicarii, Intimi ſtatus & Cameræ Arbitri,

NOMEN

Ex anagrammatis myſterio evolutum

GABEL BELGA.

BELGA quod in reliquo eſt (genus admirabile) mundo
Quà ſaga, quà poſcunt munia ſacra togæ,
Dum ſimul & caſus ventorum proſpicit omnes,
Et mira anticipat ſedulitate dolos;
Dum plus conſiliis pugnat, quàm ventilat enſes,
Et ſimul armatis ſe docet eſſe parem;
Dum vel ad extremos commercia porrigit Indos,
Præmonſtratque ſuis ad nova lucra viam;
Dum quæ nata domi, vigili diſpenſat ocello,
Inque uſum vertit, quæ generata foris;
Hoc, ex auſpiciis ter magni Principis, hoc eſt
Danorum in regnis, * ſtella novella, GABEL.

* *natus quo die ſtella nova Magis illuxit.*

In natalem Sexageſimum (60)
Auguſtiſſimi Septentrionum Regis,

FRIDERICI TERTII

Domini Clementiſſimi.

Surge, age, Natali grandis ſacrata Monarchæ
Clarior & ſolito ſæpe recurre dies!

Te Danus, Te Thule ardens, te Nerigon orat,
Publica te Boreæ vota, precesque vocant.
Auguſtum nobili caput, illuſtresque egreſſus
In ſeræ adventum poſteritatis ama.
Ultra aquilam exſurgat remeabilis uſque juventa,
Et ſolâ diſcat canitie eſſe Senex.
Quem dudum [illegible] [illegible] legibus Arctos,
Legibus annorum ſolvere ſæra velint.
Is climacterum plebejos urgeat horror,
Aſtrorum it ſcalas publica vita ſupra;
Aut ſi fortè orbis cum fine ſeneſcere par eſt,
Æſtatemque omnem concomitatur hyems,
Nulla tuis veniet meritis, AUGUSTE, ſenecta,
Exodium heic vitæ Regis, & orbis idem.

---

(61) Magnifico perilluſtri & generoſiſſimo Domino Dn.

GEORGIO ROSEN-KRANTZ,

Academiæ illuſtris Soranæ Præſidi,
Cùm iteratâ curâ natales Salvatoris noſtri ſacris meditationibus veneraretur.

Ergo ſalutiferas iterum *roſa ſedula* cunas
Floribus & ſacro ſternere thure paras?
Invitas proprios *Bethlemum*, & jubila in hortos,
Naſcentique [illegible] ſtrata, croceoſque Deo.
Quàm bene dum marcet terris *roſa*, Delphica Sorte
Floret, & eſt medias inter adora nives?

(62)

Eidem (62)

In Pſalm. David. Commentanti.

Fiſtula Davidicos iterum emodulata labores,
Fiſtula cautigenas docta movere feras,
I felix vates, ſecloque extunde veternum:
Ut plantæ in riguis luxuriemus agris:
Ut ſcelerum averſemur iter, paleaſque toroſque
Et riſum improbuli, ludibriumque gregis.
Aſſere te totumque animoſe invade volumen,
Divinumque tuo more retexe melos,
Sic licet ex roſeis ſis fiſtula nexa flagellis,
Viceris & cedros, buxa, orichalcon, ebur.

Viro Clariſſimo (63)

Dn: ADAMO FRID: WERNERO

Carmina ſua Germanico Latina edenti.

Opitii *Wernere* diu tua Muſa lepore
Provocat & Riſtî, flore, nitore chelyn.
Reſtabat, Latio Parnaſſum ſcandere clivo
Owenumque ſequi, Bilbilidoſque decus.
Huc iter eſt cultis, quas mens tua parturit odis,
Huc tendunt, facili metra dolata manu.
Nil reſtat, docto ſediſſe bivertice ſummum eſt,
Monte ſacro clivus tertius eſſe nequit.

(64)

(64) Natali

AUGUSTISSIMI REGIS

offert

Mortarium ex marmore Porphyretico.

Porphyra Auguſtis ſedet opportunius Aulis,
Quid mihi, quid tecum eſt, ſceptro animan-
I mortariolum, Regaleſq; inter acerras (de color?
Sollicita ingenuè, ſuppliciterque locum.
Dum Salvatoris lumbos porphyra tuetur,
Principis Auguſtos te refer ante pedes
Et dic: Natali Regis *Borri* offerat aurum;
Borrichius per me purpuram adeſſe jubet.

---

(65) Ad fœcundiſſimam Clarorum Virorum Urbem Ripas

B. CASPARIS CHRISTOPHORI SCHÖLERI,

Viri antiqua & cordata fide illuſtris, patriam.

Mantua Virgilio celebris, Pontuſque Zamolxi,
Roma Catonino ſanguine clara fuit:
Felices Ripæ! queis tot ſacra nomina quondam
Reptarunt tenero culta aſarota genu.
Veſter Apollineo meritis nunquam excidit orbi
Ille *Severinus* nomine, reque Geber,
Veſter is *Andreas*, qui longa in morte ſilentem
Saxonem Patriis reddidit unus agris.
Veſter is; & juſti tenor incorruptus, & æqui
Caſpar, in Arctois lucida ſtella plagis?
Qui nunc in Natos celeberrimus inque Nepotes
Exit & Auguſtam fulcit in orbe Themin.

(66) AMA-

(66)

AMAGRIA VINDICATA

Duѕtu & auſpiciis

FRIDERICI TERTII

Auguſtiſſimi Danorum, Norwegorumque

MONARCHÆ.

ORBIS HUIC LAUROS *Regi addictiſſimus offert.*

Viro Excellentiſſimo,
Doct. OLAO BORRICHIO,
Medico & Profeſſori Regio,
Collegæ & Amico conjunctiſſimo.

Remitto tibi AMAGRIAM virili carmine, & quod lucernam tuam olet, VINDICATAM. Audet nunc illa obſcura licet, & parvi nominis Inſula illuſtrioribus ſe immiſcere, dubium poſteris relictura, utri, poſt Deum & Regem, *vindicias ſui debebit, virtutine Obſeſſorum hoſtem terrâ pellentium, an carmini tuo doctiſſimo tanta rei famam in univerſum orbem extendenti. Digna profectò eſt calamo tuo tota temporum illorum hiſtoria, quem illi ut ſubinde impendas, Patriæ & Poſteritatis cauſâ enixe rogo. Sic cum* Æneide *certabit* Hauniis, *implexamque tanti Vatis crinibus laurum tibi vindicabis & aſſeres. Amſtelodamo mihi nunciatur mors* Conringii, *quæ ſi certa fuerit, culpam luent furni tui, quorum fuliginem ſuſtinere non potuit. Sed jam omnibus prope flagra paraverat Medicis, Politicis, Theologis, ut latius prope nihil ipſi poſſet accidere, quàm tantis turbis maturè exſolvi. Tu vero,* Vir optime, *ſerò illuc abi, nec ante* vindicatam Daniam, rerumque noviſſima, *quibus numeros tuos ex voto debes, publica luci tradita, Mortem invoca. Morabitur illa ipſa, dum ſe viderit, cujus imaginem nemo te felicius exprimet, qui in ſingulos prope dies cum illa luctaris. Et cum fores tuas tandem pulſaverit, noviſſimorum tibi jucundiſſimum pateat, quod hic deſcribendo, illic poſſidendo tuum facies. Vale.*

T. ex animo
Matthias FOSS.

Haf-

Hafnia, qua validos culta ad Sælandica muros
Inclinat, captiſque obvertitur ardua campis,
Durat adhuc invicta, ſuiſque animoſa periclis
Excutit imperium Caroli, fertque obvia telis
Tela, miniſque minas: volitat de mœnibus ignis
Lethifer, Auguſti monitu, cui provida Patres
Dant conſulta; graves cui fidus commodat iras
Civis, & adverſos magis induratur ad ictus:
Haud ſecus ac rigidis abrupta Ceraunia ſaxis,
Dum Boreâ vaſtum latè rapiente profundum,
Intonat ira maris, neglecta refunditur unda,
Et rabiem perdunt fluctus, fruſtraque remugit
Inſultans pelagus; vultu inconcuſſus eodem
Mons nitet, iratumque refutat maſculus æquor.

Dum ſe Hafnia maſculè defendit.

¶Non ſtetit hic fulmen Caroli; invitabat Orexis
Sceptrorum inſatiata dolos: alium extudit aſtum
Sacra fames urbis, ſpeſque immoderata Coronæ.
A tergo formare viam, frameaſque ſtyloſque
Vertere ſuccurrit; nec per poſtica viarum,
Si valet Hafniacæ pudor eſt illabier urbi,
Contra aquilæ genium, bellatoriſque Leonis;
Tigridis exemplo, quam ſi commiſeris hoſti,
Dum furit incaſſum, rejectaturque cruenta,
Impar propoſito, ſubſultim terga fatigat
Hoſtica, & in ſcapulis verſat præpoſtera dentem.

R. Carolus aliâ via tentat irrumpere.

¶ Vulturni rapidis quà ſtringitur Hafnia flabris,
Inſula porrigitur, dominâ quæ ſubmovet urbe
Sævitiem pelagi, frangitque obſtantia Balthis

Murmura, & oppoſitis fera marmora placat a-
renis;

In Amagriam cogitat.

Spem rarò heic mentita ſeges, lætiſſima tellus.
Chloride; ſecuris lepus anxius errat in arvis
Regali pulpam gaudens ſe impendere Menſæ.
Hinc devecta focos exercet & arma culinæ
Humani capitis folio criſpante figurâ
Braſſica; nec longæ diſpar anguilla colubræ,
Rapaque radiceſque, & preſſi copia lactis,
Unde ſuburbanæ ſpeciem tenet inſula villæ,
Inſula rure frequens, Bataviſq; opulenta colonis.
Illius adverſæ cuneato in margine ripæ
Tollit in aſtra domos Chriſtiani à nomine nomen
Sortitum oppidulum, quod vultu principis urbis,
Ut nova Chartago veteris, ſuſpectat arenas.
Huc animus, gladiique volant, hæc mœnia ſaltu
Tranſmiſiſſe parat, clauſiſque infundere portis
Agmina ſupremas Cimbro allatura tenebras.
Hæc ubi ſederunt animo, perrumpere certus,

Ad invadendum ſedulò

Arma, arma inclamat: Britonem Vavaſſora caſtra
Emittunt, addit Mörnerum Ancona phalangi
Agmen agentem equitum, rareſcit pube Britannâ
Fluctivagis ſtatio ſecura Coronea proris:
Invitum variis Cronæburgum interſtrepit armis.
Parcius horrentes Africæ trepidâſtis arenæ
Cum Carolus dubiis Quintus committeret undis
Robora bellantûm, centenaque ſinderet æquor
Navifragis debens alnus ludibria ventis,
Et Mauro ridenda. minus fremuere tumultu

Æquo-

Æquora, queis nomen dederat Neſelëias Helle,
Pellæi intrepidos ratibus complexa maniplos
Non niſi calcatis poſituros ſpicula Suſis.

¶ Suecica jam claſſis Betavas infeſta carinas
Opperiens unco mordebat dente profundam
Oppoſitas inter Nereus quà cærulus arces
Contrahit anguſte fluctus, tumidaſque procellas
Gurgite in adſtricto jubet exercere furorem:
Hic captæ arcis opes portantque, trahuntque vehuntque
Tela, trabes, vectes, ferras, miſtaſq; ligoni
Connexas ſine lege fudes, ſtat linea fagi
Spicatis horrens crucibus, glomerantur in unum
Scuta, viri, rotulâque levi, verſanda cohortis
Sudantis ſarraca manu; quo textile vallum
Certa foret rebus lævum euenientibus ara,
Et feſtinatis diſcluderet hoſtica foſſis
Agmina: diſcebant Cimbro reverentius uti.

Omnia præparat.

¶ Talibus inſtructum navis prætoria Regem
Excipit applaudens; ſaliunt in tranſtra manipli;
Vela volant, ſubitique ruunt in ſuppara Cauri;
Addit ſe comitem quidvis pro Rege ſubire
Certa, caputque novis impendere docta periclis,
Bellonæ ſacrata cohors: ingentibus auſis
Tottius accedit, ſeſe Sultzbacchius infert (tem,
Neſcio quid redolens uſtum, invitatq; Dromon-
Wrangelioque Amagri Martis ſuccendit amores.
Radit iter claſſis, votis comitantur amatæ
Audaceſque nurus, & ſparſæ ad littora matres
Irrita tela cadant Jutis, portæque pateſcant,

Claſſem ingreditur cum Ducibus & delectis.

Veſanæque velint Carolo regnarier arces!
Jamque ſpei nimium cunctis: non ulla marito
Aggemuit, nati nec ſperans funera mater
Confeſſa eſt pallore metum: pavitare cohortes
Hafniacas, fractoſque putat deſcendere muros;
Heu! nimium voti largæ: jam mente voraci
Urbis opes haurit Lapa, gemmatoque ſuperba,
Sed nondum capto circumdat colla monili.

¶ Una fuit priſcam cognato ſanguine tangens
Diſſuadet expeditionem fatidica; Sparria Brigittam, cui juxta finis & ætas
Omnis pæne retro; fas illi arcana ſororum
Conſulta, & dudum quid cogitet aſpera Clotho
Noſcere, queis triſtis barbati ſyderis horror
Excidium ſignet populis, quem meſſibus annum
Sirius infauſtum reddat, quid fibra minetur.
Hæc per anhelantes graditur lymphata plateas
Omina dira canens, morteſque, fugaſque, probrumque
Mugit & Amagricas Suecano ſanguine glebas
Imbuit: at Vetulam crepitacula vana ſonantem
Plena cohors animi, diſtrictoque enſe phalanges
Sed irridetur. Irrident, ſtat quiſque ſibi lætiſſimus augur;
Jamq; exſpectandum diſpenſat præſcius aurum.
Sic ubi fatidicus, quid conſcia diphtera fati
Promittat, Spurinna docet, pertextaque vitæ
Stamina Cæſareæ, furvaſque annunciat Idus,
Spes ſibi, contemnit fatales Julius ævi
Ambages, atrique abſcondita ſemina caſus.
Sic & Ariſtandrum præſagi læva volatûs
Omina, ſermoneſque avium, minitantiaq; exta

Pan-

Pandentem ad veros eventu interprete caſus
Pellæus riſit Princeps, tripodaſque jocantes
Subdidit inſulſâ formidine ludere vatem.
¶Ergo alni incedunt, atq; intercepta relinquunt
Mœnia, reſponſat pelagus, fremituque minaci
Aſſilit, hoſtiles dedignaturque carinas. *Claſſis procedit,*
Raditur: ut viſu trepida Helſingora receſſit,
Dextrâ Hwenna patet, nitet alta Coronia lævâ,
Et procul excelſas attollit in æthera turres
Malmogium; Hafniacas hinc præterlabitur oras
Uncta ratis: totas velorum heic explicat alas,
Nunc rectum proſcindit iter, ducentibus ultro
Flaminibus, nunc obliquis anfractibus errans
Gyrato liquidas flexu diverberat undas:
Ceu quondam regnatoris per inane, profundi
Flammiger impatiens ales per nubila fertur
Invia cognati pulſans confinia Phœbi,
Et nunc æquato pennas examine librat,
Nunc torta abductos veſtigia ſpargit in orbes
Et varios rotat in gyros, certuſque triumphi eſt,
Interea alituum minimus victricibus alis
Erigitur ſupra, & furatur nomina ſceptri.
Ventum in conſpectum Dragoræ, cum lumina Phœbus
Occulit, & placidos invitant ſydera ſomnos, *ad Amagriam demittit*
Anchora mordet humum, bellatoreſque quieſcunt: *anchoras.*
At Caroli mentem curis mordacibus ægram *R. Carolus curis*
Nulla quies, ſomnuſve rigat, ſed tarda querentem *& ſomnio tur-*
Aſtra, ſeneſcentiſque polo ſarraca Bootæ, *batur.*

Horriferis agitant inſomnia dira figuris,
Suſpenduntque animi, donec ſua condit Orion
Lumina, & adverſos oſtendit Phoſphorus ignes;
Proſilit è ſtrato, Ducibuſque in tranſtra vocatis
Proruit in medium, vultuque in læta coacto
Turbidus inſtabili, ſic longum voce perorat:

¶ Si mea nocturnis ſciret conſtantia flecti

Oratio R. Caroli ante exſcenſum

Oſtentis, queis curvæ animæ, & cœleſtium inanes
Exterrent ſeſe, jam tum veſtigia retrò
Verteret hæc claſſis, neq; enim inſultata jacerem
Hoſtia ruricolis multum cantanda Tragœdis,
Amagraq; aſſueto parerent arva colono. (pheus,
Nam varia dubium tremefecit imagine Mor-
Illuſitque ferox: vates ante ora Brigitta:
Semſalberte, inquit, nimium fremis! inſula triſte,
Triſte rubet; Suecum vocat Oreſunda cruorem,
Merſandumque caput; tonat Halda; Fionia ſtragem, (cadaver.
Cannenſemque diem exſpectat; Gotheburga
Aſtitit & mœſtas Princeps Curlandicus ulnas
Attollens cœlo, temèrataque jura regentum,
Fallaciſq; nefas menſæ, dextramq; Duglaſſi (ges,
Fœdifragam incuſans, terras, mare, ſydera, Re-
Ultoremq; mali Rhadamanthum, & conſcia Sue-
Numina perfidiæ magna ter voce popoſcit. (cæ
Adfuit & toto Guſtavus luridus ore (vultus?
Hei mihi! quàm pallens? quam loti ſanguine
Exhauſtæque genæ, capitiſque orbata capillis
Area, & à Lycio præcordia foſſa tumultu?
Talibus at trepident puerilia pectora viſis,
Effœtæque nurus: non vana inſomnia Regem

Ter-

Terruerint, patulo qui dudum terror in orbe,
Nex Dano, frœnum Batavo, Moſchoque ſepulchrum,
Brandoni pavor, & fax inflammata Viennæ.
Quid ſibi, quid laceris, promitteret Hafnia vallis
Conclamata nimis? faxo hunc, mihi credite, faxo
Imperio Cimbri Solem lucere ſupremum;
Cæca fides noctis; ſi vel ſuſpenſa catenis
Mœnia vinciret Steropum manus, icta perirent.
Sed mihi neſcio quid friguſculi in oſſa penetrat; | *metu*
Quicquid id eſt, Dano delebitur omne cruore, | *&*
Et ſpoliis Amagrûm cum ſanguine triſte rubebit | *confidentia*
Campus & in Cimbris calefactæ mortibus auræ.
He! alacres animis, & divitis horrea clauſtri | *temperata.*
Prendite, mœrentiſque alimenta avertite civis:
Et ſi quid ſaturi linquunt faſtidia Martis;
Corripiat Vulcanus edax; ſic Hafnia tandem
Verba minora Deo dabit, edomitæque jacebunt
Ore minæ; rabies quin immaniſſima ventris
Ex longa collecta fame, fœtentia coget,
Ut quondam, ingeſto ſtomachum placare moloſſo,
Muribus inſidias, & retia tendere gliri,
Hafniacas epulas! fugitivum arrodere felem,
Inque columbino dentem verſare fimeto.
Illa dies conſulta feret: nunc ſcandite littus,
Atque animi quantum magniq; haud irrita voti
Dextera ſit Sueco, flammanti ardore docete.
¶Dixerat: & vocem non ſegnia facta ſequuntur;
Mittitur è lembis, hippaginibuſque citatis, | *Exſcendit miles.*
Et ratibus, ſubitiſq; ſcaphis, promptiſq; phaſelis

Effrenis juvenum globus, ut potiatur arena,
Et veteres aliò cogat migrare colonos.
Obſtabat rarus cuſtos, olerique ſerendo
Aptior, ex Batavâ traducta colonia ſtirpe;
Obſtabat tamen, ut celeres Rantzovius iras,
Virtutemq; dedit, licet omni admugiit ære(rum.
Claſſis, & immenſo tonuit ſuper imbre globo-
rejicitur. | Rejectas videre minas, reditumque ſuorum
Ore cruentato puppes; tamen ire jubentur
Ire iterum in flammas, & vi contingere littus.
Reſponſant iterum Duce ſuccendente coloni,
Aſſuetæque manus rapis tormenta rotare
Stloporumque ignes moliri in Suecica diſcunt
Pectora & armatos retrorſum vertere lembos.
¶ Infremit aſpectu Rex, inſuetique pavoris (tit
Turpe nefas ſtomachans torvum Vawaſſora mit-
Admittitur denique fugientibus agricolis. | Littus in oppoſitum, quod nec tormenta tuentur,
Nec capulis inſerta manus, nec conditus agger;
Additur huic ingens juvenum manus. artis inertis
Scilicet illud erat vacuas invadere arenas:
Admiſſus terris Sueo, diſpoſitiſque maniplis
Fertur in adverſum Dragoræ genus: ilicet illa
Turba Colonorum, globus excors atq; magiſter
Et caſei & crambes, ſed duri Martis in arte
Tyroni propior, validis aſſultibus hoſtis
Frangitur, & ſpreta bellandi lege, ſalutem
In pedibus, fruſtra Duce reclamante, repoſuit.
Hos inter binos animis, dignoque calore
Implêrat Mavors; media qui in morte cruentos
Duo glorioſè obſiſtunt, | Excipiunt, funduntque globos, foſſiſque lacertis

Ob-

Obſiſtunt alacres, nec ſuggeſtum ante relinquunt
Lignea naſcentis ſimulantem cornua Lunæ,
Ferrea quàm vaſto mergant tormenta profundo,
Inveniantque citum per mille foramina lethum.
O patriæ decora! O mentis fatique beati!
Furvo Acheronte procul requietas ſcandite ſedes
Cœlicolum: Danis dum braſſica naſcitur hortis,
Veſtra renaſcetur vernanti gloria flore.
At vos ô bardi, fuga quos inhonora coloni,
Abſtulit, & ratium ſive illætabile fulmen,
Sive hortis, lactique timor, ſeu conjugis ætas,
Ite iterum in latebras, & amaræ nubila famæ!
Deploranda cohors! quid non funeſtius ipſo
Funere perpeſſa es? poſtico vulnere queiſdam
Vita erepta; aliis conjux ante ora mariti
Inceſtata; omnes ſubitò efformantur in Iros.
Raptæ pacis opes, ruriſque ambuſta ſupellex;
Navigat in Gothiam pulvinar, & Amagra palla
Nunc ſedet in Finno, quid inexſpectatius? armo.
Diſcite poſt, quid ſit mandata eludere Regis,
Et monitum ſpreviſſe Ducum! ne fidite campis,
Sæpe inclamatum eſt: præſtabunt mœnia tutos,
Lanigeros huc ferte greges, Cereriſque caniſtros,
Et validos ad aratra boves, bijugeſque citatos,
Cæteraque inviſis quæſita viatica rugis.
Surdis cantatum eſt neque enim tranſcurrere pontum
Caſtra putabatis, ſpumantibus undique tuti
Undarum cumulis, & ſævo murmure Nerêi.
Quin & ſi infeſtis pulſaret littora cymbis
Ille orbem terrore implens, atque artibus hoſtis;

Reliquos fuga aufert.

Juſſi ante agricolæ res ſuas in urbem vehere

reluctantur imperitè.

Agreſtum exiguâ ſperaſtis ſternere pube.
Siccine meatis inops modulis ingentia parvis
Metiris? ſpe turgeſcens, fore Amagrica rura
Hafniacis æquanda animis,&robore valli. (quum
Martia Porſennam contempſit Roma propin-
Non tamen & Latii poterant excludere pagi;
Quondam etiam è cœno nupercompacta paluſtri
Ranini Regina chori ſe inflabat anhelans,
Nodoſoſque toros, & tauri principis armos
Seſe æquare fremens, mediis conatibus impar
Rumpitur,& ſimili reliquos exterret ab auſu. (dos
¶ Fortunam miſeros dantem ad ſpectacla tragœ-

Wavaſſor Dragora caſtra munit.

Vawaſſor ſequitur,Dragoramq; animoſi or intrat
Huc illuc ſpargens oculos, ne turba reſurgat
Hoſtica in adverſum; ſed ut omnia milite caſſa
Cernit, & imbelli fuſas in limine matres
Triſtia fœmineis ulciſci fletibus acta,
Firmari ſubito bellatorum impete pagum
Imperat: expediunt rapidæ armamenta catervæ,
Claſſis enim effundit crates, uncoſque ligones,
Ilignaſque ſudes, & ſchemata mille nocendi,
Ducuntur foſſæ celeres, ſudore frementum
In cumulum egeritur campus, circumq; ſupraq;
Valla coronat opus tranſverſo robore nexum.
Adſtupet infelix operi Dragora, utque domorum
Culmina paulatim deſcendere, totque feneſtris
Fundamenta videt pertundi, o Jupiter! inquit,
Quod genus hoc hominum eſt? quam natio ſtulta fabrorum?
Scilicet in caſtri ſpeciem ſurgebat ovile,
Mandraque tricliniique locus: Sueo ſtipite crebro
Parietis argillam ſolidatam, & vimine denſam
Com-

Perforat, ut centum portis vis flammea nitri
Erumpat, murique vicem pars infima præſtet.
¶Tum vero Carolus mente experrectior alnum
Faſtidit, rumpitque moras, & puppe relictâ
Occupat infauſtum littus, vultumq; ſerenans
R. Carolus exſcendit ſpe plenus.
Ad nova feſtino pede propugnacula fertur,
Et docet audaci cœlum arridere labori.
Inſequitur plauſuſque virum, fumoſq; paratus
Vendere adulator; properare extrema ruinæ
Hafniacæ, exſcenſu regnum penſarier illo.
Parce ſed imbelli Cimbrum proſternere linguâ
Futilis! ignoras quid veſpertina minentur
Sydera; jam ſtreperam calcat gladiator arenam;
Sed nondum optatas tulit è certamine palmas.
Diſpenſat cœlum lauros, transferre coronam
Non opis humanæ eſt, claſſes cycladaſque revulſas
Immiſce, totâque veni innumerabilis Arcto,
Nil agitur, ſi contra Deus; ſi contra tribunal
Juſtitiæ & Patriæ, & Regi devota juventus;
Si novus immeritis Latium voratHannibal armis.
¶ Et jam diverſo littus fervere tumultu,
Hîc ſeſe attollunt tentoria Regia, curtæ
Illic attegiæ creſcunt: producitur iſtic
Inſtruuntur caſtra tentoriis, armis;
Ut Jovis iratas taurus moriturus ad aras
Dejectus vultum, & nudato vertice rarus
Incola, nam reliquos metus abſtulit; ille precando
Vitam & fortunas repetit, penditque tributa,

viriſque. I Nutrimenta viris, & avenæ farra Caballis.

Inſtat enim terris Mörnerus, ſtella gubernans
Inaſque frameaſque equitum; quæ ut juncta phalangi
Agmina, fulgebat plenis exercitus alis.
¶ Hafnia laſcivire ſolo vexilla Gothorum

Hafnia ad funeſtum nuncium erumpere meditatur

Amagrio, & Dragoræ ruere omnem culmine pagum
Audiit, & ferrum ſubito invocat; horrida ferrum
Fœmina, virque ardet, vulſiſque excurrere portis
Deſtinat: haud aliter caveæ quem clauſtra coërcent,
Getula de ſtirpe leo, crudelè frementis
Amphitheatrali tigridis mugitus arenâ
Verberat ut cerebrum, jam tum indignatur habenas,
Et torvo aſpectu ſe ulciſcitur, inque magiſtrum
Obliquus docet infeſtus quàm pruriat unguis.

Reprimitur à provido R. Friderico.

At Rex conſilio prius, inde virilibus armis
Pugnandum monet, atq; accinctos voce coërcet,
Altius ingrediens belli intima: prodeat, inquit,
Callidus excurſor, ſcrutatrix turma ſequatur,
Quantum agmen? quô vertat iter? quid fabricet hoſtis?
Miſſus eques procul aſpectat bellantia Sueci
Robora, per totum Dragoræ ſtrepitantia littus,
Hunc foſſas moliri, illum depangere ſudes,
Atque alium Hiſpanos equites prætexere, cunctos
Ferre, agere, & pugnæ ſimulacro & imagine paſci.
Ut ſubit aſpectum Danus, properanter anhelat
Contra Sueo, prædamq; ſibi, non vulnera ſpondens:

Figo

Fige pedem, exclamat, concurritur; obvia Dani
Turma minor numero, durat tamen inque cruore *velitantur turma minores.*
Hoſtili abluitur: Laſſum transverberat enſe
Præfectum Cimber, cordiſque repagula ſolvit;
Addit Signiferum trajecto vertice Dyrum,
Dyrum cui dextri plumbo volitante lacerti
Carnoſoſque toros Dimachus laceraverat ante;
Laſſum captivos ſolitum obtruncare Polonos.
Plura quoque e Suecis plebeja, ignotaque famæ
Nomina ſternuntur, Danis Mars æquior armis.
Japeto tantum, dum cuſpide tranſigit Oxum,
Stringit Biörno Gothus frontem, leviterque cruentat, (pectus
Vulneribuſque novem, queis dudum Wandala
Prælia ſignarant, decimum ſuperaddere geſtit.
Sed non ille animi vacuus, nec acinace falſus
Irruit adverſum, rutilante in funera dextrâ
Diffidit hirſuti caput ad confinia colli.

¶ Malmogium interea legiones roborat, inde
Creber eques, caſtriſq; pedes ſubmittitur ardens,
Et doctus mactare; quibus comitatior arva *R. Carolus ab exercitu paratior verſus urbem movet.*
Irrumpit Carolus, ſtrepitu anxia compita fervent
Hoſtili, totiſque horret ſeges ærea campis.
Dirum enſes haſtæque micant, & fulgidus ordo
Stloporum in celſa depingit fulgura nube.
Jamq; iter ad portum Chriſtiani à nomine dictum
Feſtinat, ſedemque locans, quà Syndeby nuper
Noſtrorum facibus mutilatum inſcenderat auras,
Stans

Stans rus nè promptas in Dana pericla latebras
Præſtaret Gothicis, illic magalia figit,
Fumanteſque trabes inſpicat, & infima glebæ,
Suggrundique pedem caſtra in ſubitaria cogit,
Et ſtipulas comportat, & udo ceſpite dorſum
Relliquiiſque altæ fornacis prægravat, ut ſtet
Nidus ab inſultu Danorum tutus, ut æſtum
Et longas illic hyemes eduret & imbres,
Luce renaſcenti quâ Panicus horror abegit.
Sic ubi ſecurum natis textura cubile eſt
Sedula hirundo, lutum vectat, paleamque piloſq;
Diſponit roſtró ſubigens, cum natus herilis
Inſilit, & ſtrepero laquear parere colono
Indignans, primâ conatum offocat in herbâ.

¶ Jamque immanè tumens animo, electaque cohorte

Vicina urbi cum delectis ſcrutatur; inaceſſam offendit hac parte urbem; indignatur Conſilii ambiguus.

Stipatus propior Carolus, perluſtrat anhelis
Muros torvus equis, & foſſæ cingula adorat
Noctis ab obſcuro defenſus; in aſpera fertur
Et ſalebras; tellus latè indignata ligones
Reſpuit imperium, & ventis tollentibus æquor
Planitiem infuſis latè ſupereminet undis.
Illè caput quaſſans, tantillaque mœnia tanti
Imperii titulos, & ſemipedalia ponti
Murmura ſpem regni præſcindere queſtus, in (iras
Igneſcit, ſecumq; fremens: proh! Jupiter, inquit,
Siccine Suecanis illuſerit Hafnia dextris!

Sic-

Siccine victoris populi ſuſſiam en in ævum
Audiet, & Gothici faſtus impune ſepulchrum!
Quid monſtri fortuna paras? quæ Wrangele prima, (aures
Quæ Sultzbacche via eſt? illi properanter ad
Conſilium quærunt dubii: ſubit undique ponto
Claudi aciem, ſubit irati mox agmina Cimbri
Armiſque fremituque cruentatura novale.
Inſpectat comites reliquos; ſedet altius illi
Ad nares, Dano mucrone impreſſa cicatrix:
Huiç vulnus dorſi ſedet æquore, tertia fragmen
Pectora ſignârat tormenti: faſcia plures
Ambibat frontes, certa argumenta prioris
Conflictûs, quantique ſtetit vicinius urbi (linè
Oſtentâſſe manum: timor hinc & Sceptrigeræ il-
Urbis amor variè rapiunt, cum flebile lethum
Nuncius apportat Gardi, cui miſſile Dano
Excuſſum pontone necem dedit, ut cava circum
Mœnia Valdbyacos latè adſpectantia colles
Agmina diſpenſat, primiſque acceſſibus ipſe
Funebris infertur: nondum ſe abſolverat excors
Narrator, venit approperans pernice phaſelo
Uglarius, Batavaſque docet ſolviſſe carinas
Theſſaliâ, & totis freta Danica poſcere velis.

dubitanti mors Comitis Gardii nunciatur

& adventus Batavorum.

¶Hic Rex conſiliis impalluit, ambitus inde eſt,
Inde pavor; longo brevis inſula Amagrica bello
Nutrimenta negat: Batavus ſævo impete puppes

Incertus diu R. Carolus

Obruet, & greſſum revocare vetabit; ab urbe
Inſtabit Fridericus, & omni mole ſuorum
Se ſuper infundet; ſic huc, ſic fluctuat illuc;
Ut quondam irato cum ſibilat æquore ventus,
Hiſcentique rati per mille foramina fluctus
Ingerit, alternat Rector, mercemne profundo
Mergat, & hoc jactu navem expiet, anne ſalutem
Mercibus & vitæ roget, an cariturus utroque.
Tandem ſolliciti librata examina cordis

Amagriâ raptim parat excedere,

Acclinant ſeſe probro, & præponderat iræ
Inſuetum Gothicis, aut rarum dedecus armis.
Ergo retrò Dragoræ celeres ad littora greſſus,
Maturamque fugam ſuadentia claſſica mœſtus
Inflari de nocte jubet, pubemque reduci.

Antea tamen flammis omnia involvit:

Ante tamen diris ruralia culmina flammis
Involvit; ſterni pecudes, perimique, rapique
Præcipit & totas verti radicitus ædes.
Heic animoſa cohors paret; Sultzbacchius ardens
Accendit ſtimulis animos, promptiſſimus ipſe
Præſultat, rapidamque manu conjectat utraque
In vicina facem ſtipulis ſurgentia tecta.
A Duce flammivomæ veniunt & ab agmine tædæ
In triſtes ſine lege domos: deflagrat avenæ
Læta ſeges, fumant pingvem reddentia Zythum
Hordea; ſe ſociat flammis ploranda ſiligo,
Raporumque globi; ſtrident flaventia piſa,
Et faba Pythagoræ terror; radicibus ipſis
Ad cœlos via fit, nec parcitur ante favillas.
Circumſtant acies torvæ, lætoſque volutant

In fumum plauſus, & quas avertere prædas
Forte timor vetuit, nec ſuffectura Rapinis
Nox, armenta boum, ſonipes jam laſſus ab annis,
Roſtratæque ſues, ſtabulis clauduntur opacis,
Etiam pecudes exurit,
Accipiuntque inimicum ignem [quid Beſtia, Suece,
Quid meruit? miſeras poſciſne in prælia vaccas?]
Barbara ſævities, ipſique incognita Moſcho
Cum brutis acies! Cimber dum Cimber, & alta
Hafnia victrices inter numerabitur urbes,
Ore infrenato Suecorum hæc ſacra loquetur.
Vidi ego cum ſtabulis taurina cadavera ſterni,
Solaque vaſtatis albere bubilibus oſſa:
Vidi ſemineces lentis procedere coſtis
Cornipedes, quorum manus immitiſſima fronte,
Cervicumque jubis nitrati pulveris atras
Produxere vias, & toto tenuia dorſo
Semina ſparſerunt, longos imitantia ſulcos:
Et barbarè rem gerit.
Tum lateri pecudis lucemque ignemque daturas
Admovere faces, peragrabat noxia cunctos
Flamma pilos penituſque viam redolentis adedit
Sulphuris, & mediis tot viva cadavera campis
Deſtituit, Sanctis o digna theatra Suëcis!
Lanigeras quondam lymphatus ſæviit Ajax
In pecudes, & ſub vacca tranſverberat ardens
Atridas, grandemque metit pro Principe taurum,
Hacteiius hæc aliquis luſum, & commenta Poëtæ
Credidit, & bijugo volitantia ſomnia clivo,
Nunc Phlegetontei verum adſtruxere manipli.
Ut toto ardentes hæſerunt culmine tædæ,
Sævius ardeſcit miles, pueroſque ſeneſque

Igno-

Ignotos Marti, deſponſataſque puellas
Vel trabe fluctivaga claudit, vel vertice prenſo
Per cœno informes raptat crudeliter agros.
Ille furor pecudes, ædes, hominesque pererrat,
Donec adeſt tenebris aurora renata fugatis;
Illa Tragœdorum ſcenas, illa exhibet urbi
Triſte chaos terræ, nocturnaque prœlia Sueci.
Jam tota ignitas provolvit ad æthera nubes
Inſula, collucet triſti caligine vicus

1 Magleby
2 Caſtrup
3 Torneby.

Belgarum, tenuis deflagrat 1 Madagla, flammæ
2 Caſtrupium lambunt, & pagus 3 Achantinus ardet.

¶ Ardet in arma gravi ſociorum afflicta dolore

Eruptionem iterum molitur Hafnia die Dominica.

Hafnia; jam ſeſe portis equitatus apertis
Extulerat, campumque rapit, pedes agmina flagrat
Jungere, & ingenti ſuccenſa cruoris amore
Indignante putrem legio quatit impete campum.

R. Fridericus ſacra prius imperat ſuis,

Cum Rex impavidum nutu compeſcuit agmen
Obvius ingreſſus dictis: juſtiſſima, cives,
Cauſa polum inveniet, defenſoremq; tonantem,
Quem placare prius decretum, & ſabbata cultu
Prælibare ſacro, paullum ſuſpendite ferrum,
Fulminaq; aſſuetis dum noſtra caloribus intrant

Hinc prælium.

Pectora cœleſtes: poſt tela, manuſque rotate,
Ultricemque doli verſate in ſanguine dextram.
Ipſe ego me atroci ſocium immiſcebo perclo,
Se ducem, neç enim leviter me injuria mordet

Agre-

Agreſtum; regni pars exiguiſſima agreſtes,
Et ſimul in regno pars maxima. Numine dextro
Ulciſcar, nec plura moror, non ante diurnam
Excludent tenebræ lucem, ſomnuſque labores,
Quàm palmam mediis, aut mortem invenero campis.

¶ Talia dum populo Regalia juſſa feruntur,
Veihus adeſt portis, turmæ Dux, ſanguine Gallus.
Illum trans tumidos portantem bellica fluctus
Juſſa ſuperveniens Gothica interceperat alnus,
Et contra Amagrios bellare coëgerat agros,
Hafniacis fuga nunc muris admovit anhelum;
Vix tandem admiſſo permiſſa ut copia fandi:
Si contra hoſtiles, inquit, felicia turmas
Prælia mente ſedent; atque aut exſtinguere campo
Raptores, aut flammatis ſuperaddere vicis
Decretum; properè rapidum ruat agmen in hoſtem,
Dum Carolum approperans dubia in mandata volutat
Opdamius, dum turba ferox incendia ſpargit,
Et matura neci veſtris ſe devovet armis.
Dixerat. à Sacris Rex ipſe inclamat ad arma,
Arma Duces equiteſque volunt peditumque phalanges.
It ſtreperum portis agmen, gladioque coruſcus
* Chryſoleon flammas & fronte & voce fatetur

Tribunus Veihe transfuga advenit,

nunciat ambiguum eſſe hoſtem.

Expedito agmine in hoſtem it Danus.

* Gyldenlöwe

Ante-

Antevolans: tollitque manus Alefeldius ambas
Hoſtili toties imbutas ſanguine: nigræ (næ
Sultzbacchum, Carolumve accenſus deſtinat ur-
Urnæus, laudumque calens Gothofridus amo-
re,
Viburguſque fremens: omnes ante agmina ſtri-
Enſibus incedunt in equis, comitiq; catervæ (ctis
Fortia magnaminis implent præcordia dictis.
Inſequitur generoſus eques calcaribus acrem
Cornipedem incendens, dextram Carabinius ar-
mat
Flammifer, iratæ minitantur utrinq; minores
Scloporum furiæ, lateri aſſidet enſis, & ardor,
Quodque valet ſignum Sueco diſcernere amicos,
Linea mappa toros lævæ circumligat ulnæ,
Fœta armis trepidat tellus, atque inter eundum
Emollit lentas crebra ungula, & ungula glebas,
Vocibus aura fremit: dubiæ per mœnia matres
Ambiguique ſenes, votiſque oculiſq; ſequuntur.

a Sundby
b Tornby
c Tömmerup
d Skiel-
gaard.

Et jam a Sunda nigros volvens ad
nubila fumos
Transmittit turmas, divinaque
b Acanthidos ædes
Linquitur, & dextra c Xylios
d ſquammoſaque lucent
Culmina, Belgarum vicus prope ſydera lambit
Flammeus, offenditque oculos, motaſq; fatigat
Palpebras. Iſtic Danis ſe viribus offert
Suecus eques, [ſedet illi incendi in tergore nidor
Villarum, & pinguis chlamydem ſuffarcinat an-
ſer] (les
Wrangelus ante agmen, magni patris æmula pro-
Fulmineo volat enſe minax, ſtimulatq; cohortes
Danum adverſum; trepidis accommodat iras,

Mactan-

Mactandi audaces methodum docet, ordine certo
Ferre, referre gradus, iterumque reſurgere in hoſtem.
Nec mora: præcipiti lutulenta per arva furore
Concurrunt infeſtæ acies, hæretque viro vir
Confertus, pede pes premitur, mucroneque mucro,

Concurritur utrinq; ferociter.

Miſcenturq; globi: accendit nova gloria Suecos,
Et Cimbros antiqua; ſalit cruor: omne ſerenum
Abripiunt Scloporum ignes, & ſibilat aura
Grandine telorum: cadit hic, cadit ille ſupinus
Et ſtomachantem animam variis in mortibus efflat.
Göſtæum irrumpens Suecana ante agmina primum
Chryſoleon ferro properè induit, inde Biörnum
Abſolvit; labuntur equis & pectore fœdant
Impacto Cereale ſolum, pede Thorus ab uno
Appendix terram miſerabilis inter & arma
Volvitur aſtantûm, donec ferus ungue cerebrum
Excuſſit ſonipes: ſocios comitatus Ericus
Signifer, Alfeldi ſcapulam vix ſtringere clavâ
Cœperat, invenit poſtico vulnere mortem
Ductoris vigili framea, rictuque patenti
Mordet humum indignans, naſoque novale ſalutat.
Inde aliis gravis, atque aliis ferri incubat ira,
Et ſingultantes reſupinat maſcula Suecos
Cimbrorum devota armis: pereuntque caduntq;
Adverſis illi, laudata morte manipli
Vulneribus, certique viam, quæ ducit ad aſtra,
Vel nece lucrari generoſa & ſanguine palmam
Vendere, vel dextrâ laurum victrice mereri.
Averſos alii dorſo excepere mucrones;
Nonnullis fuga proſperior, quos inter anhelo

Mor-

Mörnerus ſubductus equo, cum fulmina Dani,
Et meritam Gothicæ legionis ſiſtere ſtragem
Non datur, ad Dragores rapitur confinia tutus.
¶ Jam dudum tepidas Guſtavi verberat aures
Bellantum fragor horriſonus, gemituſq; caden-
Victriciſq; manûs voces, queis triſte remugit(tum
Littus & arbuſtum, ſemiuſtaque rudera pagi.

R. Carolus inclinatam ſuorum aciem panat inſtaurare,

Egreditur vallo fremebundus, & agmina ſpectat
Acre tuens, animumque ſuis, hortatibus addit,
Nequicquam; Cimbræ nimis invaluere catervæ;
Ardeſcit Carolus, turmiſq; recentibus inſtat
Vertere fortunam, laſſiſque frequentia mittit
Subſidia, & victam facit incrudeſcere pugnam,
Hic nova bellandi ſeries, infeſtius itur
In genus Hafniacum, totaque ex arte duellum
Integrat humecta Finnus gladiator arena,

ſed infeliciter.

Incaſſum: cedunt Sueones, & militat æther
Juſtitiæ Cimbrûm, cauſamque tuetur Olympus.
Ergo Wrangelio nequicquam animante Deoſq;,
Sydera, bellanteſq; viros, Carolumq; propinquum

caduntur Sueci.

Implorante, cadunt Sueci, patulumque reſecti
Laxantur cunei, diffractaque cornua Danos
In gremium admittunt; illi ſucceſſibus inſtant
Exſomnes juguliſque inhiant, perimuntque ruuntque
Adverſos atque averſos, totumque ſupinant
Agmen & impreſſo penſant incendia ferro.
Quis ſtragem illius lucis, quis funera metro

Exprimat, heroumque fugas, cædeſque popelli?
Cuncta meis majora modis: jam tota pateſcit
Ictibus afflictata phalanx; à milite miles
Diſcrepat, atque ovibus ſimilis, leporiq; fugaci
Ad terram fluere arma ſinit. furit efferus ardor
Hafniadum, pagiſque hoſtili morte parentat,
Et ſecat, & pungit frendens, aciemque pererrat
Stramineas ceu flamma domos. ſic rupta fatiſcit
Prædatrix acies, genibuſque innixa fatetur
Victorem Fridericum, &: ter dulciſſime Cimber,
Ingeminat, vitam veniamque coacta precamur

Captivi permittunt ſe Danis.

Corpora, non noſtrum eſt huc irrupiſſe, regenti
Paruimus; ſic Suecus eques: ferrumque remiſit
Exutaſque armis extendit ad æthera palmas.
Nondum emollitur Danus, repetitque: ſub umbras
Ite feræ humano nuper ſub corpore tigres!
Aſpicite exuſtas ædes, ſcelerique nefando
Tollite mercedem plumbum. ſimul increpat ungue
Flammiferæ tormenta rotæ, cadit hoſtica turba
Ceu fœnum ad falces, ſectove papavera collo.
¶ Manſueſcit tandem Cimber, gentiſque miſertus
Fœdifragæ indulget vitam licet atra merenti
Funera, plorandoſque obitus; & parcere ferro

Miſeretur Danus captivorum.

Deſtinat, ut Dominâ captos oſtentet in urbe.
Non ea mens Carolo: Danis in mortibus ardet
Vertere adhuc dextram, ſparſoſque accendere rurſus,
Exprobrare fugam, dictiſque ferocibus acres
Inſpirare animos; ſurdis canit; omnia ventus

Dicta rapit, nemo irato concurrere Dano
Suſtinet, atque novis corium indulgere periclis.
Anchora ſola fuga eſt, huc ſe proceresq; Duceſq;
Semianimeſque equitum ſeſe effudere manipli.

** Stor Danus quidam R. Carolum pæne cepiſſet vivum.*

Sylvius * ex Cimbris, dimachûm cui robora curæ,
Imminet infrendens Carolo, &: ſi nobilis, inquit,
Sanguis es, aut Gothicâ forſan regnator in aula,
Sta prato, noſtroque tuum neſubtrahe pectus;
Arma oppone armis, uni feror obvius unus.
Cum dicto aſſiliit, tergoque obliqua tuentis
Injecit cum voce manum; ſeſe ipſe teneri
Et putat & ſudat Carolus, cum frœna Caballus
Audit, & immani Regem per inania ſaltu
Eripit, ac Dragoræ ſpumeſcens Pegaſus infert.
Fortunate quater ſonipes, non te immemor unquam
Suecia ſubducet laudi, formaberis ære,
Auro manſueſcent ungues, ſinuoſaque caudæ
Syrmata ſericeis oſtendent gaudia nodis,
Ne metue interitum; non te plebejus Apelles
Siſtet in excelſâ Stocholmi nobilis arce:
Parrhaſii molimen eris. Capitolia multum
Anſeribus debent; plus gens Suecana Caballo.

Cimber Wrangelio fugienti imminet.

Parte alia effugiens tricatur Wrangegelus, illi
Inſtat & admoto, circum cava tempora Sclopo
Fulminat Haraldus Ripenſis, &, elige, clamat,
Quiſquis es, anne mori mavis, an vivere captus.
Ille fugam celerans ictum inclinante fefellit

Aure,

Aure, globum Haraldus citus expedit, atque ſecundum
Intentat tonitru: rurſum exiit arte periclum
Wrangelus, ambuſtis, rediitq; ad valla capillis.
¶ Hæc inter Dragoræ ſeſe ad confinia Danus
Siſtit ovans, hoſtemque intra caſtella paventem
Elicere exprobrando parat: ſedet altius illi
Et tremor & vulnus morteſque fugæq; ſuorum.
Intus agit Carolus ferroque modeſtius uti
Addiſcit, cùm ſcena recens ſe pandit: anhelus
Accelerat greſſum Suecanâ ex gente maniplus,
Ille pedes, ruriſque calens à morte Batavi.
Fumidus ut campo ſe infert, & acerba minatur,
Spumantes obvertit equos, fertque obvia ſigna
Danus eques, mox alipedi fit liber habenis
Impetus, it clamor: Suece hos mercabere fumos
Carius optato; ſimul ingenti agmine facto.
Infeſtæ cöeunt acies, plumbi horridus imber
Undique præcipitat, teliſque aſſibilat aër.
Denſat ſe in cuneos Sueo, præfractèq; reſiſtit,
Cornipedemque citum ferratis ſubmovet haſtis
Belliger, haſtatumq; agmen bombarda tuetur.
Par utrique diu Mavors aſſiſtit, & utri
Debeat imperium nutans victoria quærit.
Hafniadum tandem cum tertius infremit ardor,
Admittit lacerata phalanx in viſcera Cimbrum;
Tum ſtrages, non pugna calet; pars altera dorſo,
Altera pars gladiis agit, atque in ſanguine tota eſt.
Sternitur Ebbo fugæ propior, cui Schyttius addit,

Victor Danus hærentem in caſtris Suecum provocat.

Caſi Suecorum pedites incendiarii.

Sẻ comitem,& magicâ Sueno infamatus ab arte.
Enſe ſuo jacet Hermannus, verſâq, bipenni
Byrgerus , Soopusque cadunt: lævâ inde mamillâ
Perfoſſus Benedictus agro funeſtus anhelum
Illidit corpus, diris, Ereboque nigrantem, (ram.
Quâ primùm Amagriam ſpectârat, devovet hoTum qui latratuſque canum, tenſaſq; plagarum
Liquerat inſidias, laterique aptaverat arma
Haſius, inviſum jaciens cum pulvere ſclopum,
Prata fugâ ſecat, at Dragoræ vicinior arvo
Implacati animi Fiono à Simone tenetur,
Et jugulo ſolvit flammas. Cojettulus ater
Hafniaco ut Lethum delegat miſſile Frido,
Excipit ore globum, qui per ſecreta cerebri
Diſcurrens, conſulta animi immatura repreſſit.
Ille caput quaſſum dubia vertigine nutans
Saltat in Orcheſtrâ ridendus, & ilia ducit,
Donec adinvenit Bredanâ in cuſpide mortem.
Fridus adhæc: miſerande jace, ſic ecce! profunda
Ingluvies regni placatur, & Hafnia Sueco
Clauſtra aperit portæ. tentet vulpecula quidvis,
Migrat in hirſutam tandem vendenda tabernam.
Proximus Acco jacet Finnus, ſabuloque lutoſo
Immerſus caput, & pedibus ſublimè coruſcis
Antipodem noſtro meditatur reddere cœlo.
Ille characterum crucibus duratus Alexis,
Arviduſque negant gladios dimittere, queis ſe
Jungit maternâ tinctus Torſtennius obbâ
Teli in contemptum. ridet ludibria gentis (futat.
Cimber eques, clavâque Magorum elementa reUndique fervet opus gladii, pedibuſq; frementum
Mentis inops, iræque phalanx calcatur equorum,
que preces properat. ſed ſiſtere neſcius ardet
Wan-

Wandalus, horrendæque dat agmina tota ruinæ.
Lugubrem veniam paucis, inhonoraque vitæ
Munera concedit, quorum pars magna Britanni,
Cromwello indulgente, Gothos & caſtra ſecuti.
Hi faciles Danos conſanguineaſque tiaras
Senſere; in cæco tantum dum pulvere fervet
Pugna, cadit Johnius, malefidaq; dextra Stuarto
Sidnæi, Tajlorq; niger, furvuſq; Röbertus.

¶ Talia per campos dum felici alite Danis
Surgere fata parant, ſudumque renaſcitur urbi,
Et juſta applaudit facili victoria pennâ,
Bellantes acies oculis, animoque peragrat *Interea vicinus pugna R. Fridericus*
Fridricus vicina tenens faſtigia collis,
Quem circum delecta cohors prætoria, notus
Flos equitum, peditumq; fremit, dexterq; volonum
Nobilium chorus aſſiſtit, legeſque ſecutus
Ordinis intentâ Regem ſtatione coronat,
Ire per oppoſitos, & vi perrumpere certus
Si flammas, flumenve jubet tranarier altum.
Scilicet ad pugnam Carolum Rex fervidus ipſum *R. Carolum*
Hærentem caſtris & fata adverſa gementem
Exſpectat, vili parcens ſe opponere turbæ,
Aut maculare ſacram plebejo ſanguine dextram:
Rex Regem inclamans: inter nos dividat, inquit, *ad duellum provocat;*
Enſis & arma reum, jurique faventior æther.
Ponè ſedet Dominâ magnus curator in aulâ
Exemplar fidei Gerſtorffius, ille Minervæ
Delitium, ille animo promptus, pro Rege furentes

Et patria Encelados, Ætnaſq; invadere primùm.
Nec campo vis tota ſedet, cuſtodibus urbem
Liquerat excedens Auguſtus; in altera ferrum
Caſtra vibrat paribus Rector Mavortius auſis
Schachius, & terror Suecorum Alefeldius alter
Fulminat excurſu, Roſekrantzia dextera muris
Pro muro eſt pontoque * illuſtri cæde triumphat.

*Pram-men.

Conſilio obſeſſam defenſat Retzius urbem,
Conſilio frangit Sueonas Gabel, atque cerebro
Vulnerat hoſtiles acies; Pasbergius arma
Temperat ingenio, taciturnusq; arte cruentat.
Queis immortales Cragii, Bielkique, Friſique,
Et Schelii, Vindique, incorruptique Sefeldi
Succollant, dextriſque hoſtilia cœpta refellunt.
Luctatur ſecum Carolus, præſtetne duello
Cernere, & elapſæ ſortis ſperare regreſſum;
Relliquiaſne armet, Ducibuſque tegentibus intret

Anceps diu R. Carolus conditionem recuſat.

Conflictum; an Cymbâ repetat deſpectior alnos?
Hinc atq; hinc obices, ſpes formidoq; probrumq;
Alternant, rapiuntq; animum: nunc prælia cordi,
Nunc fuga, nunc neutrum: ſubit Albertumque ſtolatum
Hafniacas quondam limbo everriſſe plateas,
Notaque carceribus Guſtavi nomina Cimbris.
Nunc iterum ſceptri ſpes excitat; ilicet uno,
Si fortuna volet, duo regna rependier ictu.
Hæret in ambiguo: ceu cum Doreſieldia nutat
Fronde abies, quoties ſubitæ in diverſa fatigant
·lia ventorum furiæ, modò flabra Boréa

In latus incurvant, iterum citus erigit Auſter,
Circius in gyrum rotat, ignoratque cacumen
Quò potius quaſſos libeat protendere ramos.
Rex Danus ante oculos epulis præludit, & arma
Expedit, adverſumque vocans ad prælia Regem
Stat vacuo in campo, cauſæque, Deoque, ſibique,
Innixus ſolâ ſe majeſtate tremendum
Oſtendit, cadit hic ferri globus, & volat illic
Et Dragora horrendo ſalve intonat, ipſe regentum
Maximus immoto vultuque & pectore durat
Opperiens Carolum; Carolus ſed mœnia ruris,
Illa licet foſſis, & crebro milite firma,
Ut ſibi funereas, Dano inſultante, latebras,
Adſpectans, lembum citus invocat, ille carinâ
Segnior ut fundum radit, maria ipſa caballo
Attonitus ſulcat Carolus, ſcapuliſque ſedere
Arma Friderici pavitans ruit omnis in æquor.
Hac equus, hac Carolus fluitant, cum nautica turba
Advolat & Dominum vada ſalſa, cruentaque toto
Ore ejectantem trepido tandem excipit alveô.
Horrorem Europæ; quem non romphæa ſubegit
Sarmatica, aut Moſchus centenis millibus inſtans
Germanæve Aquilæ, ſubigit Codana Seriphus,
Et vultus, Auguſte, tui; ſaltum ecce! Rhodumque
Amagricis reperit Sueo, non quæſivit, in arvis.
O rerum fatique vices! advenerat hauſtor
Rivorum & Grajum, redit Helleſpontica verrens

Exſpectat adhuc venientem R. Fridericus: ſed cymbam duello præfert R. Carolus.

Æquora confuſo cymbarum murmure Xerxes.
¶Vix oculis credit Fridericus, ubi illa ſcapharum
Remigia excurſuſque videt, Carolumque madentem (ſtros
Inter equum & cymbam, ſingultanteſque mini-
In pelagi iratis humero tenus hiſcere lymphis.
Ut tamen admoto res explorata ſpecillo, (ſtros
Et Carolum & reliquos flammarum exire Magi-
Inque undis varie luctari: ô Marſpiter! inquit,
Provocat, atque ſimul vadimonia deſerit hoſpes?
Tanti eſt injuſtæ, ſeque ipſum impendere cauſæ,
Fortunamque ſuam! tanti peccata Trionum
Regna gigantéis iterum collidere bellis!
Dicere plura parat; dicentem avertit ab ora
Schema novum; exanimes Friderici ad genua voluti

Fugiente R. Carolo centum incendiarii Sueci in manus R. Friderici incidunt,

Centum Oratores vitæ, Dalecarlia turba,
Procumbunt, Duce Baſſæo, qui tecta cremantes
Belgarum, in Danos temere incurrêre maniplos:
Cæſi illi, hi capti, proprios cervicibus ignes, (curim.
Aut meritam jugulo formidavere ſe-
Hos alius totidem in furcis oſtendere jota
Funeſtum juſſiſſet, & omni ex littore pulchro
Ordine roſtratos picis infumâſſet aheno:

& veniam à Clementiſſimo Principe impetrant.

Mitior Auguſto [ſtupeant quod ſecula] viſa eſt
Pœna ſatis; parcendo hoſtem confudit, & omnes (artes:
Vindicta abſiſtens, vindictæ excelluit
Qualis ubi cornu, & multa cervice timendum

Ar-

Armenti Dominum ſtravit Leo, deſinit æſtum
Pectoris, extremos haurire è naribus ignes (vum
Contemnens; jacuiſſe hoſtem contentus, & æ-
Vivere in obſcuris alieno ex munere ſylvis.

Poſtfugatum hoſtem R. Fridericus Hafniam revertitur.

¶ Ergo cordatam vertit ſe Auguſtus ad urbem
Laude ſatur, captoſque greges, ante agmina ſpectans
Fumanteſq; retro Suecano ſanguine campos,
Siſtitur Hafniacæ mille inter jubila portæ.
At Carolus ſtrages inter, gelidumq; pudorem
Confuſus trepida è prora nunc cernuus urbem
Obliquè inſpectat; nunc ima in puppe penates
Devovet inviſos, aliiſque ſibique minatur,
Stat, jacet, exſurgit, nutat, ſtomachatur, anhelat,
Ringitur, infrendenſque inconſolabilis errat!

Suecorum Relliquiæ nocturnâ fugâ in naves ſe proripiunt.

Ut redit ad ſenſus, per furva ſilentia noctis
Relliquias cladis Dragorâ evocat; ilicet excors
Irruit in lembos Sueo, veſanoque tumultu (bunda voraci
Spargit ſe in pelagus: quoſdam freme-
Lympha vorat barathro: queiſdam mutilata cruentat
Brachia, lugubres gemitus, & pallor ubique
Mortifer: inſtantes hærere in tergore Cimbri
Creduntur, remiſque ſuas miſcere machæras:
Sic ubi ruricolæ vicino ex fulmine ſtantes
Erexere comæ cirrhos, an lumina Phœbi,
An potius videat fera Tartara nubilus ardet
Diſcere, & ambiguis exercet numina votis.

Ut tamen ante abitum genii veſtigia linquant,
Ligna per, & ſtantes Corydonum ad littora pup-
Impia flamma volat: tantum Gornelia tecta (pes
Mulciber adſpexit placidus, ſtudione ſalutis,
Atq; fugæ? an Carolo fuerant quod tegmina Da-
Irrumpente? velut Grajæ cum mœnia Thebes (no
Verteret & tetris hauriret tecta favillis
Pellæus, meritis Dircæi ignovit, & ædes
Pindarica iratas evaſit ſola ruinas.

¶ Redditus vt claſſi Gothus externatus, in iris
Fermentoque jacens Carolus ſuſpendia creber,
Atque cruces loquitur coram, retinacula fundo
Attolli, Bataviſque jubet concurrere tranſtris,
Seu tentare fretum, ſive eluctarier audent,
Longe alia ipſe ſibi: votorum immania culpat,
Fortunæque jocos. hæc inter carbaſa venti
Diſtendunt, volat uncta ratis, dum tardior in ſe
Deſcendit Carolus, moxque in penetralibus alni
Tectior, ad primos ita ſaucius infit amicos:

R. Caroli Amagriâ diſcedentis Oratio.

O utinam inviſâ nunquam ſediſſet arenâ
Claſſis! & atratis lucem hanc eradere faſtis
Sponderent ſuperi, quâ Suecum Amagria Regem
Et fugere & fundi vidit, fluctuque lavari.
Quod volvis, ſors læva, nefas? nempe ante levaſti,
Sueta tibi ut poſthac inter ludibria jactes
More pilæ? cur hæc nunquam Varſavica propter
Mœnia, Cracoviosq; lacus, Mitovumve penates
Monſtraſti te poſſe? omnem nunc inſula laudem
Seſquipedalis habet, Carolo fuga ſola relicta eſt.
Quam non vana meis irrepſit Wadſtena * ſomnis

** Brigitta Wadſtena.*

Fati-

Fatidica? & Lycius Guſtavus? inhorreo ſi ſe(arde
In reliquis Morpheus ſimilem dabit: Halla quid
Quid Fiones? quid Sunda coquis? Gotheburgane
noſtra
Subdere colla paras, quondam ut Calmarnia;
Cimbro?
O cœca ambitio! quæ non tibi pervia fingis
Culmina? Hyperboreum jam dudum nominé
mundum
Terrebam, à populo concurrerat anxius omni
Legatus vel dona ferens, vel fœdera poſcens.
Brandone admiſſo, conculcatiſque Polonis
Anglus noſter amor; genus inſuperabile Gallo
Suecus erat, Belgæque ſudes, cum Dana reguſto
Oppida Relliquias Martis, fragmentaque ſera
Lecturus, medias intempeſtivus in Hydras
Incido, nec clavam, nec verba nec arma paventes.
Ille, ille invictus, domitorque exercitus orbis
Victima fit Cimbro! ſeclique probroſa futuri
Fabula! quin Batavus vicinum navigat æquor
Arduus, & calidâ delibrat fulmen ab aure.
Pergamne obſtantes turmis incingere muros?
Abducamne alas? fugiamque ſequendus ab hoſte?
Occurram Batavo? forſan mihi plumbeus ille
Nauta diu plexas Regali è vertice lauros
Decutiet: quid ſi [quod abominor] ipſe ſub auras
Spiritus irrequieta cavens habitacula raptim
Evolet, & mediis inopinum ſubtrahat auſis?
Turbâro maria & nullum placavero fluctum.
Dixit. & abruptis immutuit ore querelis.

(67)

ARCTOS PULLATA

tumulo

Auguſtiſſimi Regis,

FRIDERICI III.

Danorum, Norwegorumque

nuper

Monarchæ,

Patris Patriæ deſideratiſſimi,
illacrymans.

MDCLXX.

Ite

ITe iterum in lacrymas oculi, gemituq; geluq;
Pectoris Auguſtos manes, & flebile ſceptrum
Excipite, immenſo dum verba, & ſenſa dolori
Deficiunt; dum lingua ſtupet, confuſaque Pallas
Semianimes inter ſingultanteſque Camœnas
Mutit, & aſſuetæ pæne obliviſcitur artis.
Quærit ſe ſe Helicon, non invenit: inde tribunal
Funerei palloris obeſt, inde orba Parente
Dania, & infeſtæ cœlorum Aquilonibus iræ.
Frigemus cuncti, poſtquam frigentia Regis
Ora ſilent; flemus buſtum irrevocabile; flemus
Ereptum, ſacras vetuit qui flere Camœnas,
Ipſe Arcto Phœbus, Phœboque benignior omni.
Ergo jaces Boreæ Rector, nec purpura, nec te
Semideûm genus, & majorum ingentior actis
Mens, cognata Deo, & ſuperi reverentia cœli
Legibus exemit Lacheſis: quid denique reſtat
Fulminibus, fortuna, tuis? ſi ſceptra cruentè
Funeſtas, totiſque inducis nubila regnis
Unius occaſu; certè non unius illa eſt
Jactura; involvit Borean, culpamque nocenti
Exprobrat populo, ſacrum cui ſydus ocellos
Subtraxit demum, ſtellamque indulſit Olympo.
Quis ſenſus, Regina, tibi? quis pectoris horror?
Quævè oculis tenebræ? Sophie licet ipſa theatrum
Pectore in hoc teneat, ſciſſis immugiit intus
Viſceribus dolor, & defleta per ora cucurrit
Semianimis gemitus, pallórq; rubórq; ſtupórq;,
Et conſanguineus lethi rigor. ipſe tiaræ
Succeſſor, Boreæque hæres, licet altior exſtet
Humani turbis animi, rorantia terſit
Lumina, ſupremúmque vale lugubris, hebenſque
Audiit, & votis fata exarmare cupiſſet.
Quin etiam externis pignus venerabile in oris,

Dum legit Adriacas Princeps GEORGIUS urbes
Dulichio ſimilis, ſectumque explorat ad unguem
Ingentis populi genium, ſuſpirat, & urnam
Increpat, aſſurgunt Veneti, gemitumque propagant.
Quid regnatricem percenſeo carmine ſtirpem?
Fœderibuſque, & conjugiis, & ſanguine nexos
Terrarum Dominos, & quicquid ubique regentûm eſt
Heroum? queis laudis amor, queis nobile cordi
Principis exemplar, queis fata ingentia Regis
Cognita, & adverſis ſuccumbere neſcia virtus;
Omnibus erumpunt lacrymæ, ferit Atropos omnes
Lurida, & algentes perreptat ad uſque medullas.
Virtutem ex oculis raptam cernúntq;, gemúntq;
Majorem humanâ, & redituram in ſecula nunquam
Nobiliorem animam; ſeu cùm regnator olivâ
Pacatus ſolium premeret, ſeu forte juberent
Obliquare ſinus fatorum aſperrima, ſeu cûm
Legibus exemptos agitaret ſanctiùs annos.
Hinc jam funereo Gallorum ſceptra paratu
Teſtantur commune nefas: cognata Britanni
Regia ſuſpirat; Saxo pullatus; Amazon
Haſſiaca atrato profitetur ſyrmate luctum.
Gottrupium ſqualet gemitu: ſtat furva Batavûm
Floridior manus; Arctos hebet, jacet Arctos, & hiſcit
Sciſſa ſtolas, confuſa oculos, & lurida crines.
Spargit anhelanti fletúque & pulvere corpus.
Ille etiam Gothicâ grandis regnator in aulâ
Attalicos damnans habitus, ſedet ater, & olim
Placatæ, in ſolidum nunc obliviſcitur iræ.

Ad

Ad famam exſtincti ſtupuit mare, & æquora tota
Diriguere gelu: ſeclis inſueta videres
Marmora Roſtochium Lollandis nectere, Mönam
Viſmariæ, dorſo Balthen tranſmittere currus,
Quâ prius æratæ conflixere ordine claſſes.
Immemor officii Sol palluit, & modò ſegni
Lampade pigrantem pæne illuſtrare Booten
Deſiit, hinc terno mentitus Protea vultu
Ingeſſit ſe ſe ferali ſchemate, & urbem
Terruit oſtento dirique tricorporis umbrâ.
Sirenes, genus infauſtum, ſceptriſque timendum,
Si vacat annales patrios evolvere, lembos
Importuno aditu vexârunt, nequiter auſæ
Littora per, nautas unco ſuſpendere naſo,
Et legere ejectas, & luſu attollere chartas,
Omina Hyperboreæ dudum ſuſpecta coronæ.
Sed nondum intellecta tibi, miſera Hafnia non-
Credita Regali buſtum protendere mitræ. (dum
Nunc Phœbi cortina patet, tripodeſq; loquuntur
Nube procul: nullo non Oedipus errat in ore.
Secla genethliacas tandem manſuetiùs artes
Suſcipient, ex quo lacrymoſam funeris horam
Dimenſi numeris, filoque, & pollice faſti
Fatidicis veri nimium inſcripſere Calendis.
Ipſe, ipſe Auguſtus divinâ mente futurum
Viderat, atque aliis olim immerſabilis undis,
Hanc quoque terrorum Dominam calcabimus,
inquit,
Mente alacres, ſatis huic, ſatis inſudavimus Arcto:
Templa vocant Superûm: quid enim vel culmina
Ut ſurgant alti pæne ad laquearia cœli, (Regum,
In cineres tandem langueſcet purpura: tollit
In ſublime caput, nitet ardua, concidit, urnæ eſt.
Haud ſecus artifices inter globus excitus ignes
Sul-

Sulphure diſſertus, nitroque Pyracmonis arte
Erigitur, turreſque ſupra micat alite flammâ
Altiùs exſurgens, Lunæque propinquior orbi
Dum ſpectantûm oculos alacri fulgore moratur
Aëreos inter tractus, & inhoſpita nimbo,
Haſtatum criſpans caudæ ſyrma; ilicet ictis
Viſceribus crepat, atque alios mille exit in ignes,
Stellarumque greges: ipſe interit, inque profun-
Præcipitante ruit ſonitu, terramque favillâ (dum
Reſpergens, fumos inter, glebaſque fatiſcit.
Hæc præſaga quidem propriis oracula faſtis
Signârat dextra Auguſti, cùm nubila Clotho
Staret, & extremos verſaret pollice fuſos:
Heu! nimiùm præſaga mali: ſapientia vera
Illa tua eſt, noſtro ſed quondam ſeriùs ævo
Declamanda fuit. quid enim? libavimus illam
Illam animam cœlo demiſſam in publica mundi
Commoda, dilecto nondum ſatiavimus ora
Intuitu, ſic te, frontemque, animumque ferebas,
Ultima naturæ conantis gloria, ſacris
Sic oculis cœleſte jubar, ſic pectore fulſit
Lumen inexhauſtum, & fato prudentia major.
Talis in illuſtres metator ſpiritus artus
Intrârat, qualem Salomonia credere par eſt
Secula conſiliis rexiſſe ſalubribus, ut ſe
Eoïs Regina plagis, thyrſo excita laudum
Exigeret ſolio, per & aſpera & invia, terræ
Judaicæ inferret, viſiſque ingentibus hoſpes
Concideret ſubito pæne externata ſtupore.
Viſaque thurilegis narraret mira Sabæis.

Heu! quantum amiſiſti Aquilo? ſuſpiria nulla,
Nulla ſatis. morimur tanto cum Principe cuncti,
Et funus commune ſumus, niſi regna ſerenet
Una Codanonio reſtans ſacra anchora ſceptro.

Fi-

Filius Auguſtus, cujus dextra ardua regnis
Immortale diu quiddam promittit, in illo
Solamen mœrorum, & conſolabile vulnus
Speramus (quanquam ſedeat præcordia ſcindens
Hactenus, & metuat tangi dolor) illius ore
Illius intuitu ſpem vitæ ordimur, & unà
Si liceat, muto quicquam promittere Phœbo,
Ordimur vitam FRIDERICI, & nobile fatum
Verſibus, Aonióque ulciſcimur Atropon igne.
Ergo ubi proſpectum Superi voluere Boréo
Imperio, & majus CHRISTIANI à ſanguine ſceptrum
Derivare, polus ſolito vivacior aſtris
Affulſit cunis FRIDERICI, & ſternuit omen
Phœbus in excelſo; riſit Mars, Pallas olivam,
Et frameam ſtetit uſque vibrans; nec fortiùs uſquam
Humanam ad geneſin conſpiravere planetæ.
Náſcentem Charis ipſa ſinu, Peithóque recepit,
Mamma, Minerva, tua eſt, plenis quam faucibus ingens
Hauſit adoratus jam pridem Aquilonibus infans.
Scintillant oculi, facies venerabilis, ora
Intuitu primo Dium confeſſa Parentem:
Frons fati jam plena ſui, majoraque ſpirans
Excelſis atavum titulis. Sic prima juventæ
Ingreſſum ſpatia, & fœtos virtutibus annos
Credibile eſt Iſai natum, cùm crudus ephebus,
Et jam pæne puer, cœlo dilectior iret
Eliabo, Sammáque, & honoro vertice Saulis.
Mox ubi Palladiis deleganda artibus ætas (ſtræ
Approperat, procul inde pilæ, procul inde palæ-
Tyronum, & teneris vexata crepundia dextris.
Stant circum proceres Graji, proceresſque Latini.

Erudiuntque capacem animum: ſapientia pri-
Antevolat pubem, formatoreſq; juventæ (mam
Præverti ſe mirantur, fixíque ſtupore,
Hic, ajunt, librorum heluo penetrârit Athenas,
Et Latium, Solymáſque puer; quid deniq; reſtat
Diſcendum ſublime Viro. quàm ſerius intrat
Intima cœlorum precibus? quàm pectore ſpirat
Numen, & ardenter ſe ſe conformat Olympo?
Dania vix capiet genium: nî Rege creatum
Conſtaret, ſolium Romani Præſulis iſtos
Ambiret mores, conjuratíque Quirites
Sponderent ſanctam Dano ſub PrincipeRomam.
His merſum ſtudiis vidit Parnaſſia Sora,
Sora adventuræ ſtipulatrix prima tiaræ,
Nunc funeſta metu, vivum nunc pæne cadaver
Dum cadit Auguſtus, quo declamante theatra
Vivebant, magnúmque auſcultatura Periclem
Laurea ſceptriferis nectebant ſerta capillis,
Inſcia venturi; ſi gens tamen inſcia vatum eſt,
Præmonſtrante diu famâ virtutibus iſtis
Pluſquam regalem promittere fata coronam.
Sic luſtra exegit, decus indelebile Phœbi,
Nunc in Socraticos divertens ſedulus hortos,
Carneademque, Biamque, inconnivúmque Tha-
Exemplo referens. nunc anteeuntia ſecla (letem
Scrutatus Babylona petit, Perſaſq; Monarchas,
Et Medos, Grajoſque, reſurgenteſq; Latinos,
Hiſtoriámque omnem revocat. nil grande Bri-
tannus,
Nil Gallus, nil Belga dedit, nihil Heſperis ora,
Nil Boreæ faſces tantæ impenetrabile menti.
O! quoties parcúmque cibi, ignarúmque ſoporis
Phoſphorus aſpexit, remeanſque tenaciter uni
Infixum ſtudio vidit, ſtupuítque videndo.
Nunc

Nunc Helicon patuit, caſtigatúmque Maronis
Hæſit epos manibus, totuſq; ab origine Pindus
Utile permiſcens dulci. mox aſtra, políque
Decretum tentare vias, Ptolemæaque ſcire
Dogmata. mox terram radio permenſus & æ-
Euclidéa ſtetit contemplans ſcita, manuq; (quot
Artifices gyros, & ſchemata mille tuendi,
Sternendíque arctâ formavit ſæpe papyro,
Sæpe pavimento molli. quid cuncta retracto
Laſſatura olim Fabium, totumque Sophoclem,
Ille cothurnatam docuit qui incedere Cyrrham.
Omne ultra ſoccos Medici. quid jura Quiritum,
Juraque Mavortis poſcant, quid jura tonantis,
Atque oracla olim cœleſtibus edita Delphis,
Verſat, & attento trutinatur cuncta labello;
Totus venturæ defixus imagine vitæ,
Totus ad æternum ſuſpirans pectore ſceptrum;
Sive per annales ſacros excurrit, & illud
Jactatum fatis, atque inſuperabile ſpectat
Navigium, ſeu tranſlatos in ſydera Patres
Excutit, immenſumq; Deum prægustat anhelus.
Hoc agit in fanis, hoc in penetralibus, hoc in
Querceiis, pia Sora, tuis; comitatur agentem,
Ductorum manus, & famulatrix turba, ſtupetq;
Bellipotentem animam ſic pulvinaria cœli,
Præſulis in morem venerarier. Ille profanis
Judiciiis major pergit corylum inter & ornos
Intendens Superis mentem, cùm fortè levato
Inſtrepitat capiti quiddam, tremit ordo coma-
rum,
Incumbenſque notatur onus; reſpectat in altum,
Ecce tibi! folium, genus admirabile, quernum
Nomen adoratum Friderici inſigne coronâ
Oſtentans, latóque inſcribens ſigmate Regem.

Ille parum motus viſu: Dodona, quid, inquit,
Parturis? an loquitur quercus, foliumq; Sibylla
Spargit ab annoſo dictans præſagia ligno?
Quicquid id eſt, fratrem hæc ſpectant, ego deprecor omen,
Involvoque meæ me ſorti: hæc dixit, & aſtra
Suſpexit reverens. oſtentum edurat, & altè
Infixum clauſas paulatim vellicat aures.
Excutit is viſum, viſum tamen uſque recurſat,
Increpitatq; frequens, manet immutabilis Heros
Oſtento: haud aliter ſi quando in Morphea Joſeph
Incidit, adſpectat coràm ſtellaſque cadentes,
Obliquare ſinum culmos, flexuque minores
Teſtari ſe ſe fratrumque, & patris ariſtas,
Non temere inſultat viſis, non anxius optat,
Tantùm experrectus nutu requieſcit Olympi.
" Interea armigeras conjungit ſerius artes,
Queis eques infeſtum delibret, & exeat ictum,
Queis pedes in ſubitâ deprênſus pugnet harenâ,
Quaq; viâ hoſtilem Dux vitet, & obruat agmen.
Hinc bellator adeſt, ſuccuſſatorque caballus
Scanditur, & juſſos ſpumans verſatur in orbes,
Nunc ceu Pegaſeâ volitans ferè in æthera plantâ,
Nunc Lacedæmonio rapiens ceu Caſtora fræno
Cyllarus, ut ſi quid poſcat Bellona, paratum
Inveniat fortuna Ducem, patrioſque Triones
Afferat, & cœlum vetet inſcendiſſe gigantas.
Sic Patris auſpiciis tutas regnantibus artes
Imbibit, & genium Patris, quo grandius orbis
Nil vidiſſe poteſt; quo non cordatiùs alter
Romulidum, Macedûmve ſuos in prælia ductor
Expediit, ſtrictove paratior agmina ferro
Anteiit præſenti animo, impaviduſque pericli:
Sive triumphanda eſt rigidi Calmarnia muri,
Els-

Elsburgumque fremens; ſeu magni Cæſaris alæ
Laſſandæ, & victis Hamaburgum nobile Lymphis
Obſequii memores cogendum ediſcere mores;
Seu Neptuninis habitandum claſſibus æquor,
Inſilit extremâ Balthem, Liſtramque ſenectâ
Fervidus, & famulas pugnando vindicat undas,
Quò ſe cunque movet, quacunque in parte peri-
cli eſt. (ſtro
Hoc ſub fulmineo Fridericus ad arma Magi-
Raptus, inexhauſtam locupletat providus artem
Et Batavo, & Gallo ductoribus. itur in oras,
Quâ ſe Mauritius, quâ ſe fortiſſimus olim
Extulit, & celeres docuit Mavortia Celtas
Ille Capetanæ regnator maſculus aulæ
Henricus, natique tumens Richelius armis. (luc,
Hîc Princeps animum nunc huc, nunc dividit il-
Et varias rapit in partes. fruſtra improba Siren
Admovet hamatam vocem, & ferale coruſcum
Luminis improbuli; fruſtra ſtat Bacchus in auro
Ardeſcens, patuloſque incaſſum provocat hau-
Nulla voluptatum juvenes effæminat annos. (ſtus;
Sed conſulta Ducum librat, moreſque regentûm
Inſpicit, & cunctas trutinando examinat artes
Bellandique, gubernandique, & rara ſciendi.
Mens tamen ad cœlum nuſquam experrectior, auris
Fixa ſacris, intenta polo pia lumina, quò dum
Vertitur, excurrit quâ nunc Dionyſia ſurgunt
Fana, coronato quà plurimus incubat auro (gum
Myſta, ſepultorumque oſtentant ſplendida Re-
Mauſolæa caput, rurſum hîc oracla coronam
Promittunt: Druidum veteri de ſanguine præſto
Ignoti nova forma viri, reverenda paratu, (eſt
Utque alium ſpectat generoſâ ex ſtirpe leonem
Inſe-

Inſerere in diadema caput, non convenit, inquit,
Huic capiti, & raptum FRIDERICO imponit, &
hic eſt, (nis.
Cuî Superi à primis ſpondent ſceptra ardua cu-
Erubuit dictis Heros. nondùm accipit omen,
Fortunam hanc fratri delegat, & omnia luſtrans
Orbe peragrato remeat conſultus Ulyſſes. (ptat,
Nec mora, Bremenſis pandit ſe purpura, & o-
Invitatque Ducem, tanto ſub Præſule felix,
Et pacis ſatiata bonis, & anhela vocante
Paulatim ad majora polo. quis vincere metro
Herculeas curas, regnatoriſquè profundum
Conſilium potis eſt, ex quo provincia ſacrum
Ibat in hoc gremium, nil delaſſatus obivit
Omnia Pompilio par, ſive ancilia cœlo
Evocat antiquis potiora, & nobile templis
Palladium ſtabilit, geminum ſeu claudere Janum
Pergit, & optatâ placat fera ſecla quiete.
Hæc illi Ægeria eſt: ſtat veſpertinus Olympum
Sollicitans, populumque inter ſuſpiria ſancta
Mane piat, ſapienſque his ab congreſſibus exit.
Mox aliam Ægeriam decernunt fata Trionum
Nobile conjugio miſſuram in ſecula germen
Quo florente diu laſſata repullulet Arctos
Et caput Auguſtis radiatum inſignibus ultrà
Protollat, ſeriſque Nepotibus induat oſtrum.
Ergo Venus ſupra Junonem, & Pallada ſupra
Ingenio vigilans, formâ excellentior omni
Nereidum, Dryadumque ſagittiferæque Dianæ,
Exorata toros ſcandit; Luneburgica tempe (vûm
Applaudunt, SOPHIAMQUE alto de ſanguine Di-
Nexibus æternis ſociant; quàm fauſta Trioni
Nomina! conjungit Pax, & Sapientia dextras,
Utraque ſecurum promittens gentibus ævum,
Utra-

Utraque præſtabat. Sed enim furialis Enyo
Quid non pervertis? quid non cœleſtia cogis
Pectora, vicinas acuens in Martia gentes?
Improviſus adeſt veluti cum fulmine lapſus,
Infauſtum Cimbris nomen, Torſtenſon, & ur-
Oppida belligeris, & triſtia rura catervis. (get
Inſurgit contra meritis jam grandis & ævo
CHRISTIANUS, vetulamque inſpicat caſſide frontem
Ardeſcens facto: ſocias accommodat iras
Filius, Iliaco patrem erepturus ab igne,
Magnaque ſed modicis recipit caſtella maniplis,
Huc atque huc armis properans. Bredeburga notâſti
Fulmen ab Heroo jaculatum ſanguine; Ripæ
Senſiſtis rigidos tandem deſcendere muros,
Fortunamque ſequi FRIDERICI: ediſſere cœlo
Par vallum, ſimilíque animatum milite, quo te
Robore ſcalarum, quo contemptore pericli
Perrupítque animo, Mortanúmque exuit arce.
Diſcuſſæ turmæ, regio purgata, revixit (ſtis
Cimbria, Rensburgo dum bellicus imminet ho-
Arte minax, & Marte ferox, & callidus aſtu,
Principis ingenio fractus conamina luſit.
At non ulteriùs pax averſata Booten
Reſpexit gentes faſſas, Sed Regia ſceptra
Bella alia involvunt, vexat Libitina tiaras
Et Natum, & Patrem mœſtâ componit in urnâ;
Hector reſtabat ſolus, ſpes omnis in uno
Hectore poſt raptum Priami, FRIDERICIUS He-
Clamatur populis, orbo ſolatia regno. (ctor
Quo ſine proh! ſuperi, domus Oldenburgica, ſanguis
Regnator, Divûmque genus tot ſecula, triſtes
Iſſet

Iſſet in exequias, formidatúmque ſepulchrum.
Sed ſuperis proviſum aliter. FRIDERICUS in orbe
Spirat adhuc, patrias ut coràm vindicet urnas.
Ille inclinati venturus Scipio regni,
Ille olim è quercu, Dionyſiacóque vocatus
Hammone ad ſceptrum, tum demum intelligit omen
Conſiliúmque poli, cùm Danâ è gente diſerti
Centum oratores veniunt, araſque, focóſque,
Gentiléſque ſimul dedunt cum ſanguine faſces.
O quoties! memini, patrum, populiq; Quiritûm
Vox erat una, VENI FRIDERICE, inſcende tribunal,
Atque Codanonium patriis virtutibus orbem
Dirige: ad hæc Princeps: fatis accedo, Deíſq;,
Quanquam onus immenſum pæne interpellet, & inſtans
Tempeſtas humeris, præviſáque turbida ſecli,
Providit cœlum, VENIO. quæ jubila genti?
Quis populi applauſus? cùm jam FRIDERICUS in oſtro
Sublimis patrias ad feſtum altare ſecures
Prenderet, & Dium caput in diademate condens
Ore ſacro totas, & Majeſtate platéas
Impleret, fuſos in genûa precantia cives
Inſpectans, linguíſq; eadem conamina: VIVAT.
Ex illo Auguſtus curas partitus in omnes
Grandem animam, dignas regnatore explicat (artes,
Exſomnis ſeu cruda jubet Bellona parato
Proſpicere imperio, caligante ſque procellas
Flectere conſiliis, & Martem avertere dextrâ,
Seu pacata monent feſſo ſuccurrere civi,
Erigere oppreſſos, virtutem extollere, donis
Con-

Conciliare bonos, pravumq; adſtringere fræno.
Conſcia ſudoris, cumulatorúmque laborum
Bis teſtor, bis luſtra duo, quibus ardua ſceptra
Sedere his humeris, quibus inſuperabile pondus,
Et leve inexpertis tantùm, gemmata corona
Ambiit excelſum caput, Ætneamq; profeſſa eſt
Se molem, Herculeis geſtandam viribus, illa,
Illa impacato eſt legum irreverentia ſeclo.
Sarcina Atlantæos delaſſatura lacertos
Imperium eſt, civi feſſo ſi curta ſupellex,
Vicinúmque potens fortunæ filia regnum eſt;
Si propior Tiphys congeſtis undique gazis
Incubat, & reliqui commercia vellicat orbis.
Tranquillo quivis mare navigat, at ſimul æqvor
Æolii quaſſant fratres, cœlumque, ſalumque
Confudiſſe parant, ratis indiget arte magiſtrâ.
Molliit hanc molem pietas, & nobile cordis
Delitium, ſacræ, cœlo inſpirante, Camœnæ:
Perdius inque illis Auguſtus, perdius inde
Provocat in terras fortunam, & robora ſceptro;
Ipſe ſuos virtute præit, nec vita regentis
Segniùs irritat cives, quàm juſſa ſevera.
Stat probitas, ſtat ſancta fides, Regemque volen- (tem
Amplexu ſtringit jugi. Si caſta requiris
Pectora, ſi clementem animum, ſi ſobria laudas
Tempora; ſi genium taciturnum, artíſq; ſilendi
Callentem, affatu facilem, parcúmq; cruoris,
Immemoremque iræ, contemptoremq; cavillæ,
Aſſuetumque Deo, ſolus FRIDERICUS in uno
Pectore tot contraxit opes, tot condidit arcâ
Theſauros virtutum: hæc illa domeſtica magnum
Quò ſe cunque tulit, ſtipavit turba Monarcham.
Advigilat ſceptro Themis, Aſtræámque tribunal
Terram iterare jubet; templum reſeratur ubiq;

Juſtitiæ, nemo niſi lege ulciſcitur iras,
Urna ferit ſontes, inſontes vindicat urna.
Tros, Rutulúſque idem: nullo ſufflamine cauſa
Siſtitur. In Danis annus condemnat, & annus
Abſolvit lites. fuerit ſapientia Spiræ,
Suſpendiſſe animos, cauſiſque impendere *luſtra;*
Non placet Arctoo Fabius ſic degener orbi.
Haud ignota loquor: quoties juſta ultio juſſit
Auguſtum in propriâ ad ferrum deſcendere lite;
Non vocat auxilio ferrum, vocat ante tribunal
Legiferæ Themidos ſontem: ſtat utrímq; parato
Teſtis in officio, librantque volumina legum
Allegata patres; tandem decreta ſequuntur
Digna pagi Areji, Lacedæmoniíque Lycurgi
Minoïſque urnis, Amphictyonumque Senatu.
Moribus his majus quiddam diademate Patrum
Spondebant Superi; ſed enim impendentia ſorte
Excipienda prius lugubria, nemo brabéum
Suſtulit intactâ quondam gladiator harenâ.
Ergo inſtant Danis immenſa pericula regnis
Surgat ut ex tantis ſceptrum ſublimius undis.
Ne dubita excelſis FRIDERICE accedere fatis
Dura per, & ſalebras, Dii præſudare trophæis
Commendant, nunquam Tirynthius iſſet ad aſtra,
Nunquam Romulidum Capitolia ſplendida victor
Julius intrâſſet, niſi per diſcrimina uterque
Graſſatus ſolidis fregiſſet greſſibus illam
Terrorum matrem, & vulgi crepitacula, mortem.
Nec mora: miſcentur bellis Aquilonia ſceptra,
Armantúrque manus (longum eſt arceſſere cauſas,
Ambageſque intrare omnes) ſtat in ære minaci

Et

Et ferro Boreas: ſtant caſtra frementia caſtris
Oppoſita, alternóque tepeſcunt ſanguine ſclopi.
Ancipites turbæ: modò Fördam Danus, & omnem,
Quà patet, armatus ditioni adjungit Iempten,
Obterit Hallandos, Gothicóſque, ut Cneröda circum (agmen,
Paſcua belligerum FRIDERICUS contudit
Terrorem oſtentat Gotheburgo; claſſibus æquor
Inſternit, Balthenque diu percurſat, ut hoſtem
Invenit, inventum collato Marte refutat. (grat
Digreditúrq; maris Dominus. Sueo contra pera-
Cimbrorum attegias, diſcordanteſque maniplos
Danorum in crudam redigit Mavortius Oddam.
Odda recens vallo, ſomno indulgentior Odda,
Ibis in obſcuræ tenebras, & nubila famæ,
Nocturno, pudet heu! tentata & dedita ſaltu.
Vive quidem poſt hac, ſed verſo nomine vive,
Et tenebras exturba oculis, culpámque reſarci,
Calda ſecuturis ſi qua ingruat alea ſeclis.
Surrexit Carolo ſpes amplior. inde rigores
Hyberni ut creſcunt, perſultat maſculus æquor
Marmoreum, in Fionaſque movens, gelidóſque Selandos
Immodicus voti, ſpeque invitante labores,
Fortunâ famulante gradum protollit, & urbem
Hafniacam aſpectat procul, aſpectæq; minatur:
Horror in urbe frequens, properant in valla Quirites,
Vicino properante metu: venit Hannibal, ajunt,
Cannarum victor, venit ilicet, atque Capenæ
Oſtentat turmas portæ. FRIDERICUS ad illas,
Accinctus gladio, nequit exhorreſcere turbas;
Diſponítque ſuos, agmen perrumpere certus,

Trampejo ductore: Brito ſufflaminat ictum
Medovius, medium ſe ſe ingerit, atque cruorem
Spirantes utrimque animas, iráque calentes
Frigoribus mediis ſiſtit. Diſceditur armis,
Pax ſincera redit, conjurataeque per ævum
Pignus amicitiæ dextrâ rectrice novatur.
Oſcula junguntur dextris. Gaudete Triones,
Æternam ſpondent felicia ſecula pacem.
Proh Superi! puncto Bellona reſurgit; & Arcton,
Quâ data porta, ruit, ſpectamus ephemeron ævum
Diſcinctis paſſim Danis. FRIDERICUS ad urbem
Aſpectans cuneos bellantûm, & claſſibus omnem
Urgeri portum, externoſque in collibus ignes,
Fulminaq;, & fremitum, viſo impalleſcere neſcit,
Innixuſque Deo, cauſæque, hoſtilia circum
Agmina perluſtrans animis: hæc agmina, dixit,
Torva oculos, durata manus, aſſueta cruori,
Laudibus accedent noſtris: feret illa ſalutem
Machina, quæ noſtros ſubito quatit arîete muros,
Fata viam invenient. oraclum credita civi
Regia vox, fremit aſſiliens, & commodat iras
Præſidiis, valloq; frequens; Mars intrat in omnes,
Et ſuetas Muſis animas incalfacit; uno
Redditur alloquio bellatrix Hafnia, & arma,
Arma improviſis ſubitò fert obvia telis.
Prorſùm imperfecti nulla eſt fiducia valli:
In dextris ſpes tota ſedet: pro mœnibus adſtant
Pectora, queis patriâ cuncta inferiora ſalute.
Interea occultis foſſarum ductibus urbem
Accedit Sueo, Mæandros nunc mille figurans
Telluris ſinubus, venienti retia Cimbro.
Nunc ſpelæa tegit multâ cruce, & oſtia firmat

Agge-

Aggere quadrato, ſuper incumbente tonitru,
Et fœtis letho ſerpentibus, ilicet ardent
Artifices bombi, turreſque, & valla ſalutant
Mortibus, exundant noctes flammante globo-
Inſultu: paſſim locus omnis, & omnia latè (rum
Templa Deûm ſtrepero tunduntur ſulphure, & aedes (mum
Accipiunt inimicum imbrem, petit æthera po-
Funebre granati, mediáque in nube coruſcans
Fulmineo lapſu terras, hom ineſque cruentat.
Cœlum ipſum ruere, & confundi elementa putares
In chaos antiquum! tellus flammæ aggemit, aër
Ex ſemîambuſti rutilat nidore ſuburbî.
Circumſtat lætus longâ aſſuetudine Suecus,
Stant hilares Galli, myſtaxq; Polonicus ardet,
Stant animo ingentes, parvo ſed corpore Finni,
Delibrantque ictus, & per compendia mortes.
Reſponſat ſimili FRIDERICUS munere, ubiq;
Cos hebeti, calcar tardo, ignaroque Magiſter;
Ipſe ſuis præſens animos hortatibus implet,
Ipſe prior diſcrimen adit, civemque gubernat
Majeſtate manus, & pontonem expedit undis
Mille loquentem urnas, & mille pericla ferentem.
Cominus ire libet: ſtellatâ erumpit in haſtâ
Miles Apollineo ſociatus flore, ſequuntur
Mercuriique globi, & collegia dura fabrorum.
Mille volant glandes, clava inſtat ferrea, & iram
Fortunamque urbis, mandataque Regia portat.
Maſculus obſiſtit Sueo, fulminibuſq; refutat
Urbanorum aditus, inclinatamque ſuorum
Fulcit agens aciem, donec vivaciùs inſtat
Dana Magiſterio Regali exercita turba.
Hinc ſtrages, non pugna calet, ſpelæa pateſcunt,

Et venit in lucem nequicquam flammifer hoſtis,
Occidit, admorſaque cadens muteſcit in haſtâ.
Nequicquam Swanto veteranorum objicit agmen
Bellantûm, ruit ipſe, ſuiſque immortuus armis
Occubat, Hafniacæ remeant capto agmine ſtellæ.
Sic oppugnatæ crebrò præluditur urbi
Mortibus, & totis miſereſcere neſcius imber
Graſſatur tectis, graſſanti aſſibilat aura.
Parte aliâ urbanos quà ſpectat Amagria muros,
Infert ſe campis, aditumque interrogat omnem
Carolus, adverſâ ſurgit FRIDERICUS in haſtâ,
Circum denſantur Troes, denſantur Achivi,
Par animus cunctis, vitam impendiſſe periclo,
Et Rege inſpectante mori: confligitur arvis.
Jurares acies rediviva ad Pergama Grajas
Incaluiſſe iterum, ſic quondam interritus Hector
Ilion excurſu tegit, inſtructaſque phalangas
Submovet armatus, ſic contra immenſus Achilles
Hectora lethiferô gaudet ſtraviſſe verutô.
Hoc diſtant, poſtquam Danum videt Hectora Achilles
Irruere, & fulmen moliri nobile, donat
Se ponto, fumos ruri, ſuaque agmina ferro.
Hæc inter Batavus ſocios ex lege maniplos
Advectans ratibus tumidi ſubit oſtia Balthis:
Stant freta clauſa rati, ſtat vinctus compede pontus,
Omne latus triſti velorum obtexitur umbrâ:
Hinc claſſes venienti, hinc & caſtella minantur
Fœta armis tonitruque. nihil commotior undas
Sulcat, & immanes inter ſe ſe expedit alnos
Opdamius pugnax, emitur victoria quamvis
Sanguine Prætoris Vitti, Heroique Floriſſi.
Mittit in auxilium FRIDERICUS tranſtra, duellum

Ter-

Terminat emiſſis, ſociosq; receptat ovantes.
Nondum expugnatur Caroli ſpes: ire tenebris
Tectus amat, noctuq; trementi illabier urbi
Valla per & foſſas: hinc machina crebra fatigat
Artificum mentes, ſcalæq;, trahæq;, globiq;
Hamati, & centum fœcundi mortibus; adſtat
Martius, & nulli temerè expugnabilis aſtro
Miles, inexpertæq; applaudit neſcius arti.
Collaudat genium fabricæ, ſpondetq; paratum
Obſequium, ſeu per palos, & ſpicula valli
Ferro eluctandum, ſeu per glacialia foſſæ
Tentandi inſultus; ſe deniq; pergere in arcem
Qualicunq; viâ, & Domino reperire coronam.
Dixit, & invaſit pernox exercitus urbem
Mente alacris, nimiusq; ſpei, tyroq; ſepulcri
Promiſſus candore ſtolæ; nec ſaxa, nec ignes
Exterrent primos aditus, noctisq; profundo
Defenſos: ſubeunt muris, huic ſublica ferro
Demitur, hic latum palis capitegmen inurget,
Hic celer æratâ retro fert ſpicula clavâ,
Is catapultarum ſtreperum genus, arietis inſtar
Expedit, occluſas certus diffringere portas,
Tiglerii petarda vocant: volat alite ferro
Ante uncus, medioq; globus, vaga pertica retro,
Exemplar priſcæ rediens in ſecla Chimæræ,
Cui mira audenti Deus, & fortuna receſſit.
Aptantur ſcalæ vallis, conſcenditur, anteit
Uglarius ſocios, curtamq; innixus in haſtam
Circumſpectat ovans, cùm ſe FRIDERICUS adeſſe
Et vigilare docet, ſalit undiq; peſtifer imber,
Miſcenturq; manus. illuſtrant fulmina noctem
Magno utrinq; ſuos animante in prælia Rege.

Et dubitat fortuna diu, cui militet, utri
Debeat aſſenſum: tandem Gothica ira retrorſum
Cogitur, & victam permittit caſibus artem;
Arctantur paſſim cunei, denſæq; phalanges
Irrubuere ſtolis, nix ſangvinolenta remugit
Mortibus, & ſanie; ſtat Calebo tota cruore
Decolor, in tenebris crebri pereuntq; jacentq;
Nocturni proceres, & Martia nomina gentis
Magnanimæ, armifero nuper funeſta Polono.
Felices animæ! ſi ſic Byzantia propter
Mœnia, Threïciosve lares, aut oppida Creſſa
Spiritus æthereas pro Chriſto exîſſet in arces.
Nox Carolo triſtis, nec tuta ingentibus auſis
Viſa comes. forſan poſthac felicia ſpondet
Bella dies: patulo coràm ſtat cernere Phœbo.
Halda inſultatur, ſed tela inimica retundit.
Pergitur in Fionas: pugnatum hîc arte Magiſtrâ
Agminibus lectis, adverſaq; ſole coruſco
Arma coruſcabant, virtus Mavortia utrinq;,
Et vires utrinq; pares: modò Sueca triumpho
Gens prope: mox Dano laurum ſtataria ſpondet
Pugna: iterum dubia eſt, iterum ſuſpenſa futuri,
Atq; incerta quibus ſe tandem indulgeat armis
Pendet in ambiguo: ceu cùm Neptunia puppis
Tempeſtate agitur, nunc huc, nunc volvitur *illuc*,
Africus in ſcopulos rapit, horridus Auſter *in oras*
Prædonum, gyrat vertigine Circius alnum.
Vento exſurdatus perdit clamata Magiſter
Juſſa, Deoſq; metus inter ſedet omnia poſcens.
Tandem inclinati ſuccumbunt agmina Sueci
Fortunæ, FRIDERICE, tuæ: cuneiſq; ſolutis
Danus inexpleto rapitur per millia ferro,
Et metit obſtantes: ſequitur victoria, qualem
Vix ſperare hominis, certè tribuiſſe Deorum eſt.
His

His gradibus ſcandit FRIDERICUS in ardua
Invenitq; viam fatis: ſic extulit Arcton (famæ,
Damna ſupra, & toti ſe ſe ſuperextulit Arcto
Ingenti meritorum acie: patria ardet amando
Servatum ob civem; repetit pax aurea terras,
Arma relegantur, pedibus calcatur Erinnys:
Succedit diri felix oblivio belli:
Clauduntur jani: fumant altaria votis:
Dona crepant: levibus ſed tanta pericula donis
Majora, expoſcunt quiddam ſublimius, intrant
Conſilium Patres, meritum libratur, & ingens
Laſſatæ Stator gentis; virtutibus iſtis
Nil par inveniens, nil Dania grata ſecundum,
Servatori ipſam ſe ſe dedit, inq; Monarchæ
Ingreſſa eſt gremium, reſupinavitq; penates
Ad cœleſte genu: & tua ſint patrimonia, dixit,
Sceptra diu, natiſque. ex hoc aſſveſce vocari
Magne Pater Patriæ, Danoq; ſalutifer orbi.
Ex hoc perpetuis ſacra pulvinaria votis (Arcton
Poſcimus, ut patriam ſangvis FRIDERICIUS
Diſpenſet felix, hæredumq; agmine longo
Regna ſerenatis vehat ad proſperrima fatis.
Annuit, & charos miti complexa Triones
Mens Auguſta ſinu, nomen venerabile Patris
Induit, expromptô totâ pro gente labore
Invigilans: veteris curæ nunc duplicat æſtum
Quaſſatos refovens ſecurâ in pace colonos.
Nunc parat addictis commercia reddere terris;
Et Balthem auriferæ ſtat continuare Guinéæ.
Nunc titulos meritis decernit, præmia civi,
Laudem aliis, aurum qveisdam: ſedet aurea tor- (quis,
Et ſtupet in medio ſe centurione videri.
Hos pilenta levant; multus premit eſſeda Conſul,
Ante pedes, dono Regis nunc jure Curulis.

Mox vicina ſuis ſpectans incendia terris
Temperat ingenio pugnas, & ſi qua refellit
Arma armis, illos invitus tendit ad enſes,
Et ventum huc nollet; quid enim pacatius illo?
Cujus in Auguſtâ radiat pax aurea fronte, (brat.
Pax oculis, animoque ſedet, pax nomen inum-
Nè tamen infeſtis pateat legionibus Arctos,
Proſpicit in longum, & crebro munimine firmat
Oppida fulmineis iterum opponenda maniplis;
Si qua olim terris funeſta repullulet hydra,
Et ruat in vetitum Mavors. hinc flore juventæ
Bellatricis opus, né ſi diſcincta poteſtas,
Exarmata novos metuat clementia ventos.
Nunquam ſponte vocat Martem: nil lenius illo
Si ſibi permittas; ſtatque indulgere paratus
Criminibus, magno ſatis eſt proſtrâſſe leoni
Corpora, cùm victus cadit, inſtantiſque pericli
Certus hiat, jugulúmq; ſupra pendere ſecurim
Aſpicit, & lethi confuſus imagine pallet.
Explicet Auguſti quàm ſit clementia Regis
Credibili major, cùm cernuus ante tribunal
Horreret, victoque Sinon expromeret ore
Donatæ ſcelus arcis, & indelebile crimen,
Unde in ſceptrigeram ſerpebat protinus urbem
Et fremor, & gemitus, populo indignante, tot
arma,
Tot ſtreperos nitri bombos, tot fulmina plumbi
In ſua converti, Croneburgi ex pulvere, tecta.
Rarus ſuppliciis, atque invitiſſimus urnæ (tis
Sanguineæ adſcripſit ſontem, exemploq; Tonan-
Crebriùs indulſit; niſi ſi reverentia legum (mens
Cederet ex animis, faſque omne abrumperet a-
Ambitio. tandem patientia læſa retorquet
Tela inimica, nocens ſi quando accingitur armis
En-

Enceladique, Gyæque, everſoriſque Typhœi;
Queis labor, & brutus cœlo exturbare regentem
Impetus: ad fulmen veniendum eſt, inque frementem
Surgendum tonitru, & ſpes extirpanda furendi.
Nec minùs interea Muſarum caſtra propagat
Invidiam ipſe ſupra poſſeſſus Apolline, ſeu ſe
Totum Romanâ mens eſt expromere linguâ,
Seu libet artifices percenſere ordine Muſas,
Quis ſe Grajugenæ, Pharii, populiq; Quiritûm
Expoliere, latet gremio hoc; miratur Eleuſis
Ignorare nihil rerum ſublime cerebrum,
Oſtentare nihil. credas Judæa rediſſe
Sceptra, quibus rigidæ quondam incunabula cedri
Veſtigata animo, & procul aſpectabilis Ophir.
Si qua improviſæ ſubitò incidit alea litis,
Alea quæ doctas rapit in contraria mentes,
Rex caſtigatum nil præmeditatus ad unguem
Diſceptat cauſam, & rationum pondere victum
Degravat; intentus ſuſpenſâ voce Magiſter
Adſtupet, & propriis foſſum ſe intelligit haſtis.
Eſt aliquid culto ſtruxiſſe palatia Phœbo,
Et Vaticanæ palmam invertiſſe Minervæ;
Sed minimum in noſtro eſt id Apolline, cui patula Hellas,
Et Latium; cujus fixum, immotumque cerebro,
Quicquid in humanum fas eſt deſcendere pectus,
Hæſit, & auguſtâ decus indelebile in urnâ eſt.
Adjice conſtratum tot bellatricibus æquor
Puppibus; erectis tot caſtra exſurgere vallis,
Quâ ſteterat quondam ceſpes; tot debita priſca
Regali diſpuncta manu; quis laudibus æquet
Splendorem genii, Natas ſive elocat oſtro
Semideûm Generum; ſeu nobiliora ſalutant

Europæ excelſi meritis, & ſanguine Nati.
Nil non eximium tanto ſub Principe, nil non
Dignum animo Herois, nec magnificentiùs un-
Dania legatis externo inclaruit orbe. (quam
Quid loquar ingenium morum? quid mite tribunal
Frontis, & in placido recubantem Neſtora vultu?
Nulla Charis procul eſt, ſemper molliſſima fandi
Tempora, nil tetricum, nil tempeſtatis in ore.
Circùm eques, & dulci circùm aſſuetudine civis
Pendet ab Auguſti ſermonibus, & ſtupet ingens
Depoſitum cœli tantâ cum laude ſeverum
Principis, & mixtum defendere poſſe ſerenum.
Sic videre ſuum, Xenophonte interprete, Cyrum
Perſidos indigenæ, quanquam ille Cyaxaris au-
Illuſtret genio, Medoque potentior omni (lam
Infrænat Sardeis, Crœſique ſuperba retundat
Spectra animi, lacrymas Abradatæ commodat urnis,
Et reſidens mediâ placidus Babylone colonos
Excipit affatu: nulli in ſermone cothurni,
Nulla ſupercilio nubes, Rex omnibus idem.
At ſi quando libet cauſæ extricare tenebras,
Rebus in ambiguis, ipſe omnibus intima rerum
Altiùs ingreditur, reliquiſque impervia cernit:
Haud ſecus obſcuram ſi quando illuminat *Arcton*
Phœbus, hebent reliqui raptis ſplendoribus ignes,
Et decus Arcturi furvum eſt, & Pleïas orba,
Degener Orion caligat, plauſtra queruntur
Indignatą tegi, vix Phœbe intermicat ipſa.
Nec ſatis eſt propriis defendere viribus Arcton,
Fœderibus reliquum trahit in conſortia mundum
Pervigil, hos cauſæ oſtentu communis, & illos
San-

Sanguine, non paucos hymenæi pignore, cunctos
Virtutum illiciis, & Majeſtate verendâ.
Nulla polo virtus lapſa eſt, quin illius aras
Imbuerit primùm; mens illibata, manuſque
Terras incoluit, ſed plùs habitavit Olympum.
His fixum ſtudiis, atque immortalibus auſis
Evexere poli, laxant ſe ſydera ſydus
Exceptura novum, Divæ quâ parte coruſcant
Progenitorum animæ: ſenſit FRIDERICUS adeſſe
Fatalem Lacheſin, viſaque animoſior illâ
Exſpectata diu, non formidata recepit
Spicula, & Auctori, miſſo in compendia morbo,
Redditus æternas ſcandit venerabilis arces.
Mens innexa Deo, quàm Te præmiſimus ægre
Funeribus noſtris? quàm Te tua Dania nollet
Cernere lethifero ponentem membra grabato?
Qui Boreæ vita, & nunquam moritura fuiſti
Gloria; qui ſeclo exemplum; qui crimine purus;
Delitium populi; ſed ſydus amabile Muſis;
Patronus Themidos; fortunæ in fulmine rectus:
Aſſertor patriæ; ſupra omnia, Numine plenus.
Te quondam Ægypto ſi fata benigna dediſſent,
Plurima ſacrificos laſſaret victima cultros;
Nunc alia in Danis merces; memoraberis omni
Ætati, & mœſtis longùm plorabere Delphis.
Plangite funeſti confuſâ voce Triones,
Plangite, Statorem extulimus, regniq; Parentem
Semianimes, unaq; ſimul prope condimur urna.
Plangite, jam SOPHIE plangit, viduoq; cubili
Tranſigit exſomnes inter ſuſpiria noctes.
Sola levat triſtem CHRISTIANI gloria luctum,
Demulcetque colos ſceptrorum filius ingens,
Et patriis locuples virtutibus; ille tiaras
Implet, & hæredem diviſus in omnia dextram

Porrigit auxilio, vacillanteſque Curules
Fulcit Atlas humeris; quo ſoſpite Dania rurſus
Tollet in aſtra caput, priſcumq; redibit in aurum,
Si quid habent ſolidi vatum præſagia, ſi quid
Ungvibus ex primis licet exſculpſiſſe leonem.
At nos interea defunctum Heroa madentes
Fletibus abluimus, memoriq; in corde theatrum
Erigimus Divo, quod ſecla refellet, & ignes,
In Natos Natorum abiens, & poſthuma ſecla.
Peſſum ierint lateres, pretium ſubduxerit ævum
Marmoribus, nullo ſapientia Principis ævo
Squaleſcet tenebris, formidabitve ſepulcrum.
Illam fama vehet ſuper æthera, transq; receſſus
Europæq;, Aſiæq;, & ſi virtutibus Afer
Decernit pretium, vel Phernambucus honorem.
Ibimus, & calamis ultoribus invida fati
Stamina rumpemus; nobis Academia vivax,
Illa Patris Patriæ toties animata favore,
Auxilio veniet; nos officioſa ſequetur
Poſteritas, noſtræ ſtipulæ ſuperinduet aurum.
Creſcet laude virens, ſemperq; virentior Arcton
Intrabit ſplendore novo Fridericus, & omni,
Quâ via virtuti eſt, florens cantabitur orbe,
Algentes dum bruma nives, dum ſylva juventam
Integrat, & nitidis expicta novalia plantis
Attollunt rediviva caput, dum ſceptra Nepotum
Inſpicit Arctophylax, dum flamma triumphat
Olympum.

DIXI.

ARCTOS RESPIRANS

Auſpiciis

SACRATISSIMI ET AUGU-
STISSIMI REGIS

CHRISTIANI QUINTI,

DANIÆ, NORWEGIÆ, VANDALO-
RUM, GOTHORUMQUE HÆRE-
DITARII MONARCHÆ,

DOMINI

Pietate & Juſtitiâ
florentiſſimi.

M. DC. LXXI.

Gaudia pullatis iterum naſcentia ſceptris, (aſtra
Spemq; polo miſſam canimus, redeuntiaq;
Nuper adorati prope marcida funera Regis.
Rurſus adeſt Phœbus: quin muta repectitis arma,
Arma Deæ? non pauſa lyris, non otia nervis
Conveniunt; tandem FRIDERICI exite ſepul-
Et vitam ſperate novam: ſenſiſtis ab illo (cris,
Fulmine torpentes citharas, & proxima morti
Deliquia, Auguſtus ſed damna reſarciet hæres,
Et rediviva dabit Muſis, rediviva tiaræ (mnes
Jubila; cantandum eſt, ſic res jubet, ite per o-
Lætitiæ chordas, totumq; Heroa reverſo
Delibate metro, quantum ſemiuſta valebit
Barbitos à ſacris pridem exſurdata favillis.
Dic mea Calliope, Grajo num luxerit orbe
Clarior illa dies, quâ ſe ſe indulſit Achivis
Æacides Trojæ veniens exſtinctor, utrúmne
Illa Macedonio fulſit quæ prima Monarchæ,
Imperii præſaga novi? quod certius Arcto
Præſidium ſuperis potuit deſcendere ab aſtris
Natali, CHRISTIANE, tuo? quem Dania pridem
Inter adoratas luces, atque omina Genti
Læta ſalutavit, cujuſque ab origine faſtis
Natalem Patriæ fas exſpectare ſecundum.
Non mihi Chaldæus fata inſpiravit haruſpex,
Nullus Ariſtander ſonuit, ſed publica Gentis
Lingua Mathematicis longè anteferenda trigonis
Faticano evolvit quondam eventura palato, (tum
Cùm ſceptro ſaturatus Avus, vigilumq; Nepo-
Anxius, in primis CHRISTIANUM ludere cunis
Lætus inaudiret, ſeque experrectior ulnas
Tenderet in cœlum vegeto conamine magnus,
Miranduſque ſenex, & divinante referret

Iſta

Iſta ſono, totus venturi in imagine ſecli:
Exſpectate Nepos, cœlo famulare, ſoloque
Parentes inter latè dominabere, & ultra
Majorum titulos, & fortia geſta Tuorum
Produces validos faſces. vox una regenti,
Et populo vox una fuit; quam denique certam
Eſſe jubent hodie Superi, ſemperque jubebunt.

Salve magnificis lux allatura trophæis
Principium, ſalve ſpes indubitata ſereni,
Optatique ſtatus, quo vernatura per orbem
Dania finitimas extendet gaudia ad Urſas.
Deplue ſacratos oleum venerabile in artus,
Et cirrhis adjunge decus; queîs textilis olim
Laurus, & innocuæ fulgebit ramus olivæ.
Nil niſi divinum de te promittimus orbi,
Nil niſi quod faſtos deceat; nos proſpera ab illo
Unguine fatidico deducimus ordine ſecla.
Stant patrii circum, nomen memorabile, Cimbri,
Ante tuos, Auguſte, pedes, Marioſque refoſſâ
Ulciſci tellure parant; ſtat Nerigon altis
Celſa jugis, animoſq; capit, queîs Celtica tempe
Stravit, & occiduis indixit fræna Britannis.
Omnibus ardor ineſt idem; ſpes omnibus una,
Sceptra tua ad veteres atavorum tendere metas,
Quas ſibi Canutus, fauſtis quas Waldemar armis,
Quas & Amazoniâ finxit ſibi Margaris haſtâ.

Nec ſolùm patriis ſpes hæc arrecta colonis;
Illa eadem Gallas retinet perſuaſio mentes,
Invaſitque ſolum Britonum, per & incluta Rheni
Oppida, fluctivagiſque diu regnata Batavis
Arva penetravit, quò jam penetraverat ante
Corpore, cùm famâ reliquo admirabilis orbe,
Magnus in externis hoſpes floreſceret Aulis,
Et genium, moreſq; hominum permiſtus Achivis

Prin-

Principibus legeret, cunctâque ex gente medullam
Delibans, regnando ſuum in diadema referret.
Quid peregrina moror? patrias ſtat totus ad aras
Conſcius augurii Septentrio, nulla laborum
Cura tenet, nulli fortuna domeſtica triſtis,
Exhilarante domos hoc Phœbo. ea ſola futuri
Cura eſt, Auguſtus Pylios ut proſper in annos
Exeat, hic populis clamor; nam cætera ſalva
Salvo Rege virent, exſpectatiſque fruuntur
Delitiis. nuſquam mœror, latrantia nuſquam
Corda metu, ſervum nihil, aut venale, nec unquam
Grandior in primis ſtetit exſpectatio ſceptris.
Hic mare fluctivagis intrat ſecurior alnis
Invitante lucro; telluri inſindere ſulcos
Ille amat innocuo diteſcens fœnore, ſunt qui
Et nitro, & longa ſe ſe experiuntur in haſta,
Tutaque fulmineis vibrant jacula ignea dextris,
Turba parata ſuum, flammas per & æquora, Regem
Sanguineos inter nimbos, inimicaque tela
Provehere ad lauros: alii perplexa togatæ
Munera militiæ, Themidoſque forenſia verſant
Cautiùs, & ſuperum reverentiùs ante tribunal
Mitia legitimis innectunt prælia nodis.
Nos Phœbo addicti, placidum genus, aurea Muſis
Secula, pacificoſque ſubacto errore triumphos
Spondemus, poſitiſque quieſcere certa machæris
Tempora, queîs vireant Phœbéo in vertice lauri,
Queîs vigeat ſolidis Eccleſia Dia columnis,
Et fora juſtitiâ; queîs pax ditiſſima ſceptris
Incubet, & ſanctâ decurrant fata quiete:
Qualis erat facies patriæ, cùm Frotho per amplos
Dani-

Danigenum ſaltus, & inhoſpita regna Quiriti
Pacatum regeret populum, cùm publica circum
Compita plebejis aurum proſtaret in arvis. (ma.
Quò te cunq; ferunt Superi, ſive horrida in ar-
Sive in honoratam requiem, primordia regni
Non niſi felicem ſpondent colophona, nec uſ-
Clariùs immenſi patuerunt omina ſceptri. (quam
Vix annum egredimur tanti poſt funera Patris,
Compôſtoſque ſacros cineres, cùm Filius ingens
Plena ſecuturi præbet monimenta valoris,
Orditurque novum ſeclum, promiſſaque cœlo
Fata Codanoniæ parat indulgere tiaræ.
Prima illi meta eſt *Pietas*, hac anteït omnes.
Ipſe diem precibus ſepelit, lumenque reverſum
Dedicat oraclis cœleſtibus; inde petuntur
Proſpera conſiliis, reſponſis certa, ſequenda
Ambiguis, una hæc Cynoſura, & ſana regenti eſt,
Sive pios ſtabilit per regna Arctoa miniſtros
Cœlorum, & puris de fontibus excita mella,
Mella per aſſiduas jubet exundare cathedras;
Ille Deo aſſuetus, templique ad roſtra perorans
Liniger imperii fructum delibat, ovanſque
Soſtra catenati recipit ſecura laboris,
Pauperiemq; ſupra, ſe totum impendere Chriſto
Deſtinat, & vacuus curis terreſtribus ardet
Primus inire viam, chordaſque potentiùs omnes
Tendere, Davidico flexurus pectora ſiſtro:
Sive ſacris patriam componit moribus Aulam,
Omnibus exemplo eſt, nec caſtigatiùs uſquam
Vivitur ad leges Superum. procul illa ſcyphorum
Prælia ſudoris nullos habitura triumphos.
Lingua procul mordax hebet,& cœleſtium inanis
Damnatur ſatyra: aſſiſtunt pietaſque fideſque
Proximaque excelſæ vigilax Aſtræa tiaræ:

Haud

Haud aliter patrio Salomon venerandus in oſtro
Dia Palæſtinis ſecum intulit omina ſceptris,
Dia gubernâclis elementa cadentia cœlo:
Queîs ſupra Orphéas, præcordia ſaxea, cautes
Traxit in obſequium, queîs non Regalia tantùm
Pectora, ſceptriferaſque animas, ſed ſumma Tonantis
Atria mollivit, totoque Oriente ſtupendus
Evexit Solymum cognata ad ſydera regnum.
Scilicet in tanto fortunæ culmine rara eſt,
Et tamen immenſis Peruano in climate gazis
Nobilior Pietas: gemma eſt pretioſior orbe,
Clava eſt Herculeis perrumpens ictibus aſtra,
Clavis in arcanæ ſenſim penetralia ducens
Lætitiæ, quâ nulla parem mortalia ſenſa
Libarunt, cuî ſi contendas nectar, & omnes
Ambroſiæ ſuccos, & quicquid ubiq; ſaporum eſt,
In vappam, & putridæ ſpeciem vaneſcet amurcæ:
Diîs genitis guſtare datum eſt; non illa moramur
Guttura, delitiis quæ ſurda rebellibus arent.
Quanto igitur, cuncti circumplectemur amore
Pulvinar, CHRISTJANE, tuum? qui ſceptra prehendis
Inter adoratos Domini cœleſtis honores,
Non à calcato ducens exordia cive,
Accerſis primos regnandi à Numine paſſus.
Nec metus eſt Danis, tibi nè conſtantia ſacra
Excidat, in ſuccum, fibraſq; in ſanguinis omnes
Introiit, nullo temere exſtirpanda paratu. (ſtum
Id Regi patrium eſt, manet inconcuſſus, & hau-
Numinis, intrantemque Deum fervore receptat
Continuo, totiſque hærent præcepta medullis
Cœlica, nulla rotat Danas vertigo tiaras:
Qualis in excelſo Libani viret ardua cedrus

Regnatrice comâ, non illam inſana fatigant
Prælia ventorum, licet hîc disjecta recumbat
Fraxinus, hîc ornus, Dryadumq; vetuſtior ævo
Quercus hiet, non illa Notis, non attremit
Euris,
Immoto tremulam deſpectat vertice ſylvam.
Altera, quam fixo Rex provocat impete, meta,
Juſtitia eſt; non illa forum, non illa tribunal
Æquiùs adſpexit, ſeu cùm Themis aurea lancem,
Seu cùm Minoam ſuſpenderet Æacus urnam.
Tendat inexhauſtis Hiſpana ad littora plantis
Amphitryoniades, mediiſque in Gadibus altas
Exigat adventûs certa in monimenta columnas:
Herculeæ Tibi ſunt *Pietas*, *Juſtumque* columnæ,
Quas ultra, citraque nefas, AUGUSTE putaſti
Porrigere ingenium ſacrum, cumq; omnia poſſis,
Tantùm poſſe voles, quæ faſque fideſque jube-
Felix illo animo Regis mea Dania, felix (bunt.
Curia, & incolumes illo rectore Curules. (bum,
Non ferus oppreſſor miſerum peſſumdabit or-
Non circumſcribet peregrina ad roſtra vocatos
Cauſidicum genus, aut ficto tricabitur audax
Crimine: nec veteres judex ſatiaverit iras,
Si qua regat mentem fortè indignatio priva:
Nulla ſalus lacrymis, nulla eſt mercabilis ære,
Si ſcelus immodicum, ſique in contagia iturum
Crimen, & ex illa timor eſt porrigine toti
Imperio. fuerint alibi, quos gratia juncti
Sanguinis, & ſoceri meritum ſubduxit ab urnæ
Fulmine; ſunt alii, CHRISTJANO judice,
mores, (eſt.
Non prece, non empto Themis occœcata favore
Sic quondam in Bethel, & florida Galgala cir-
Ramathique lares Samuel venerabile juri (cum,
Dicun-

Dicundo nomen dedit incorruptus, & orbis,
Pupillis, viduiſque idem, qui Principe natis,
Suſtinuit decus imperii, preſſitque ſuperba
Colla Palæſtini generis, tenuitque beatam
Vicinos inter, ſine cæde, & ſanguine pacem.
Parciùs injuſtas ex hoc meditabitur artes
Prædandi tacitus delator, parciùs unguem
Figet in innocuo populator milvius agno.
Parciùs inſontem venumdabit ira potentis,
Parciùs obſcuras nocturnus latro platéas
Impeter, & tardè diſtringet in ilia ferrum
Vinoſus mactator; adeſt qui talia juſtis
Suppliciis, meritâque coërceat acta ſecuri.
Cedite, queîs curæ eſt, ſtreperas procudere lites;
Retia ſimplicibus, pedicas tendiſſe columbæ;
Venari ambiguè dictum, committere fratres;
Noxia reſtinctis alimenta infundere flammis;
Atterere ignaros longo ſufflamine cauſſæ;
Candida nigrantes ſubitò convertere in umbras,
Et nigra candoris ſpecie ſimulare; cerebrum
Aucupiis miſeri, plebíſque impendere noxæ.
Cedite, Danigeno ſolertia curva Monarchæ
Diſplicet, & torti laquei: pellucet utrinque
Fabula, lyncéo cùm Regis aditur ocello.
Quin potiùs, venale genus, convertite vela
Ad ſpartam innocuam, geniumq; addicite *juſtis*
Mercibus, Indorum vocat area, Trangebar inſtat
Pollicitis, ſpondetq; ſuum ſine fraudibus aurum;
Inſontes gazas: alibi Veſputia tellus
Fœcundas telluris opes, & nobile lucrum
Promittit. nec ceſſat Iber, nec Celta ſalinas
Offerre, & Danas votis accerſere claſſes.
Adde quòd in patrio Spitzberga noviſſima ponto
Poſcat opem, cetoſq; graves, orcaſq; bimembres
Nutriat

Nutriat in fructum Dani: balæna pererrans
Littora Grönlandæ cautis, quæ debita Cimbro,
Pinguia nunc Batavis, quanquam invitiſſima, tranſtris
Viſcera diſtribuit, fruiturq; Hamaburgica Sidon
Æquore, nos macie; quin evigilamus, & undas,
Illa Codanoniæ patrimonia avita tiaræ
Aſſerimus noſtris, lucrum indubitabile, terris!
Quis pudor eſt lites, & bella domeſtica linguæ
Nil profecturis animoſè incendere tædis?
Si domus interea peregrino carpitur igne,
Si ſpoliis noſtri maris inſuperabile Tiphys
Accola molitur regnum; ſi mœnia cœlo
Educit paria, & gazis incumbit & oſtro,
Nos paleæ. quantam CHRISTJANE ſalutifer orbi
Arctoo promittis opem, qui ſerius iſta
Volvis, & ex æquo diſpenſas jura potenti,
Atque Iro; qui clauſa maris commercia Dano
Rurſum aperis, liteſque doces odiſſe, tuamque
Bantami ad Dominos facis inclareſcere gentem.
Dii Tibi compenſent, AUGUSTE, exordia tanta,
Conſiliiſque addant robur, cœptiſque faventes
Adſpirent placidè, nè quà incrementa ſiniſter
Obliquo adſpiciat Neptunus lumine, nè qua
Invida vicini malè faſcinet aura coloni.
Ite alacres Dani, quò ſollicitiſſima Regis
Cura vocat, Dominique aſſurgite honoribus omnes,
Et ſolio felix omen, facileſque vovete
Regnanti Superos, cujus ſolertia veſtram
Excubat in requiem, totoſque infuſa per artus
Imperii ſtabilit nutantia, lapſa reſarcit,
Improba caſtigat, prava abrogat, ardua ſancit.
Hoc Duce vos celebri tandem committite famæ,
Irruite in maria, & frænum laxate rudenti.

Hic

Hic eat in Chinæ, Japaniſque extrema cataplus,
Mogolicoſque ſinus, & quò via panditur alnis,
Auroræque illic nomen plantate Monarchæ
Danorum, & fructus, caſiam metite, atq; Sabæis
Edita thura jugis; feret acria cinnama dives (det
Ceilon, & in Balthen ſe multo adamante profun-
Biſnagar: ad Libycos claſſis meet altera portus,
Plurima ubi dentem ratibus dabit icta proboſcis,
Et fulvas fluvii glebas: Tagus integer iſtic
Profluit, & rutilis ſtagnat Pactolus arenis,
Exſpectatque tuas, aude modò Dane, carinas,
Hinc veſpertinos ducenda colonia ad Indos
Tertia tranſtra parat; non illic germina deſunt
Grata retundendæ morti, ſpecioſa crumenæ,
Apta gulæ: videas totis gemmaſcere pratis
Saccharon indigenam, paſſimq; cacumina petum
Tollere, fumoſiſque Europam accerſere ſpiris.
Parte aliâ extremum Boreæ intractabilis axem
Puppibus, & tenſis hilares invadite velis,
Fortuna Augusti comitabitur, arctaq; reddet
Pervia, non illic glacialia fragmina ponti
Interpellabunt curſus, non horridus Eurus
Siſtet iter tranſtris; tumidos illo æquore cetos
Figite, ſunt veſtri, quos uſurpator in hamum
Induit: exſpectant examina mille natantûm
Retia Danigenis pelagus verrentia dextris.
Et nè capturæ ſua condimenta negentur,
Sal natat Hiſpano, Gallo ſal littore ſpumat
Solibus in cruſtas, ratibuſque in Danica iturus
Horrea, præcipitate moras, ipſique carinis
Advehite; externo ſatis indulgentia nautæ
Favit, in oceano quoq; naſcimur; aëris hauſtus
Et Batavis, nobiſque idem, via publica utriſque.
Quin igitur ſimiles expergiſcemur ad artes.

Rex

Rex præit exemplo. Rex armamenta miniſtrat,
Velaque, conſultóſque viros; audete marinis
Fluctibus oſtendi coràm, patriumque Trionem
Et Zephyri gazis, & Eoâ merce beate.
Sic rediviva Arcto veniet Solyma, atque carinis
Hinc ebur, occiduiſque incognita ſantala terris,
Inde metallorum princeps vectabitur aurum,
Quicquid & aſpexit Tharſis, quod protulit ultra
Argenti maſſas pretioſum nobilis Ophir.
Sed non ſe ſe illo Regis vigilantia fine
Terminat, intendit ſtudia in graviora cerebrum
Mens Auguſta, togæ paſſim dum munia fervent,
Altera *Juſtitiæ* pars, ſceptro nata tuendo,
Servandoque olim civi, ſi Martius inſtet
Horror, & innocuo reſtagnent ſanguine foſſæ,
Non ſilet; armatas hyemes, & claſſica dorſo
Æquoris in patriæ gremium penetrâſſe, repôſtum
Altâ mente ſedet, memor hoſtica poſſe reverti
Secula, conſiliis, flexuque avertere fulmen
Deſtinat, & pacem nullo mercarier auro.
Sed ferro ſervare ratam, juſtoque paratu
Accinctus ſubitum non formidare periclum.
Providus hinc dites circumdat mœnibus urbes,
Mœnia delectu, veteranorumque maniplis,
Omnia perpetuo, qui regna interſecat orbe
Æquoris, atque æquor tranſtris, quæ, Marte fremente,
Nil niſi fulmineas mortes, & vulnera, & urnas
Edidicere loqui, tempeſtatemque minantem
Urbibus in ponto compeſcere; ſpumea circum
Littora perpetuis Mavortem avertere terrâ
Excubiis, priſcóque ſalum defendere jure.
Et ſi vel terris ſuperinfundatur, & agris

Bellonæ rabies, quibus arma coërceat arma
Sunt in procinctu. nec circumſtantia pila,
Tela, globi, galeæque, & rauca tonitrua deſunt;
Nec validi deſunt ad Martia geſta lacerti.
Hinc propere in campis manus exquiſita relucet
Ductorum, queîs laudis amor, queîs menſque, manuſque
Fida, nec in dubiis exterrita pectora rebus.
Junguntur denſæ, gens aſſuefacta, phalanges,
Cordatæque animæ, ſeu defenſanda ſariſſis
Mœnia, ſeu plano committenda agmina campo.
Adjice tot circum pagos, & compita turmas,
Auſpicium, CHRISTJANE, tuum, nutúmque ſequentes, (ha eſt,
Immemoreſque mori. *quid enim? vernacula tur-*
Imbelleſque manus; & raſtris nata propago;
At genus hoc tumidos, Alarico Rege, Quirites
Sub juga fulmineis quondam peſſumdedit *haſtis*,
Circuit Europam ſuperando, nec aſtra, nec Alpes
Impediere viam; quin per victricia paſſim
Arma triumphato lauros ſuſpenderet orbe.
Adde viris ſtimulos, crebriſque exercita bellis
Pectora ductorum, nec formidabile quicquam
Attentare negent. redit in præcordia virtus
Priſca, modò Heroas, proceresque ante agmina cernant
Provida non trepidis veſtigia figere plantis.
Hæc ſunt imperii, ſunt hæc elementa futuri
Roboris, hæc ſolium fidâ ſtatione coronant
Arma, virique, animiq;, quies his publica nervis
Salva ſtat, & pacis ſemper venerabile nomen.
His fruere ad laudes, & ahenea fulcra coronæ,
Pacatique eboris robur: ſic creſcet oliva
Floridiùs, ramoſque potens interſeret armis.

At

At ſi fata negant requiem [quod abominor] &
Irruat in patriæ glebas, illâ utere gente, (Mars
Illa tibi fidas dextras accommodat, illa (Auſtros
Sanguine Regalem, trans Gangem, & nubila, &
Extendet proprio famam, ſi quando neceſſe eſt
Migrare in chlamydes, Regemque inſcribere Marti. (pectus
Quid multis? AUGUSTE, tuî ſumus, excute
Cunctorum, nihil eſt quod non tibi palpitat, ire,
Ire jubes turres, & Martia ſpicula contra,
Et rediviva iterum monſtrari pectora Cimbri,
Imus in adverſos, ferroque retundimus hoſtes,
Quos tibi delegas, nec adhuc in vulnera torpet
Dextera protritis jam pridem cognita turmis,
Cùm Fionas inter glebas, inimicaque Baccho
Arva Codanonii patriam aſſeruere manipli,
Vix reliquo, ceſſæ, qui nuntius iret, harenæ.
Nondum laſſa manus, quæ, cùm ſtataria ad ur-
Pugna cruentatis ferveret utrinq; lacertis, (bem
Reppulit obſtantes, & maſcula contudit hoſtes.
Vis populum CHRISTJANE foro, vis cernere ferro
Devotum, vis æquoreis inſueſcere tranſtris,
Nulla mora eſt; vox una ſonat: *parebitur.* illa
Gloria Danorum ſemper fuit, illa vigebit
In natis natorum, & qui egredientur ab illis.
Utque magis vigeat, non clava potentior ulla eſt,
Nuſquam argumentum potiùs, quàm vita regentis:
Illa docet blandè, quod juſſa ſeveriùs urgent.
Illa nihil tacitum, nil non imitabile reddit
Civibus, illa tui lux excelſiſſima fati
Secretum ignorat, latebrâque illuſtrior omni
Intrat in obſcuras, & moribus exprimit urbes.

Nec ſatis AUGUSTO dextris firmare tiaram,
Ingeniis contendit idem, Muſaſque perenni
Sede locat, gnarus decus immortale parari
Faſcibus ex illo genere, & durabile nomen; (ptrũ,
Contra tenebroſum chaos, & lacrymabile ſce-
Quod caret extenti calamis victoribus ævi
Vivat, & extremos Mogol dominetur ad Indos,
Colla inimica premat, moderetur compede pon-
tum,
Claſſibus inſternat pelagus; feret omnia ventus
Vate ſine; in triſtes Mogol damnabitur umbras,
Poſtque hyemes aliquot, per longa oblivia, mutas
Deſinet in tenebras miſer, æternumque ſilebit
Æterno quia vate caret. nova vita petenda eſt
A Muſis, AUGUSTE, Tibi, cumq; omnia præſtes,
Quæ Macedo invictus, fauſtis quæ Julius armis,
A Phœbo exſpecta decus indelebile, nuſquam eſt,
Qui vivit tantùm famâ, dum ſpiritus ore.
Hæc ſacra contemnet lurco, atq; irriſerit effrons
Pulpita facundis jam dudum nata Camœnis;
Longè alia AUGUSTUS, qui doctum ex milite ra-
Fecerit, ex docto, qui militet, ante creârit, (rò
Quàm dabitur vertiſſe manum. nè longa petan-
Argumenta rei: teſtor pereuntia luſtra, (tur
Cum ſuperingeſtis & ferro, & molibus urbem
Cingeret hoſtilis manus, & catapulta tonaret
Fulminibus dextræ, queis nuper tritus Homerus,
Nuper Ariſtoteles, ſubitò incaluere ſagittis:
Punctum erat, & libri in lituos abiere, ſtilique
In frameas viſi protendier; arma novella
Non impune minis circumtonuere, nec uſquam
Dulciùs interiit, quàm fractus Apolline Suecus.
Vivitur exemplis. en aſpice Palladis arma!
Una manus gladium, patulum gerit una volu-
men,
Uti-

Utimur ambobus, ſi res jubet, atque tuenda eſt
Publica majeſtas, ſi vis expreſſerit arma;
Sponte libris, miteſque magis libamus ad aras,
Nullaque, ſi nobis permittimur, hoſtia noſtra eſt.
Cedimus hanc laudem Marti, petere arîete mu-
Calcare obſtantes, inimico ſanguine ferrum (ros,
Tingere, & adverſo captare ex vulnere laudem.
Nos vitiis bellum, nos fraudi indicimus urnas,
Pugnamuſq; animis contra ſtygi, corpore contra
Agmina morborum, genioque, & mortibus ipſis
Oppoſiti crudis multamus Cerberon umbris.
Utraq; turba tua eſt, AUGUSTE, tueris utramque
Legibus, illa dabit victas ad genûa catervas,
Hæc duraturas poſt ultima funera lauros.
Quid non ſpondebis tibi Dania? limine in ipſo
Imperii, jam tum veteranas cernimus artes
Regnandi, totumq; adſpecto ex ungue leonem:
Talis erat Macedo circa incunabula ſceptri,
Hic Clytus, & Dymnus, notiſq; Hephæſtion ar-
Parmenioque ſagax; illic præcepta Stagiræ (mis,
Formavere animum, queîs præmunitus ad ipſos
Auroræ thalamos, primique cubilia Phœbi
Extendit regni pomœria; nullus Hydaſpes,
Nulla viris gravido tardavit bellua dorſo.

Degener in plumas ſe Sardanapalus & oſtrum
Inferat, oblituſque ſui torpeſcere pergat
Delitiis, noſter Stator ludibria veſtis
Mille figuratæ in ſpecies compeſcit, & unum
Moribus antiquis habitum conſtantiùs urget,
Ut virtus antiqua viris, probitaſque reſurgat
Cordata, & levitas variabilis exeat Arcto,
Vertumnuſque animis, redeat conſtantia, & auſa
Maſcula; in expenſis prudens oneroſa relegat
Nomina debendi, circumciditque decenter

Illa ſupervacuo turgentia munia ſumptu;
Largior in titulis, quos gêſta celebria, & ingens
Invitat meritum: hinc Comites, nova gloria regni,
Baroneſque micant, Equitumq; ſacerrimus *ordo*
Ad nova magnanimo ſe pignerat acta calore.
Nulli clauſa via eſt creſcendi: hic ſtemma vetuſtum
Attollit meritis pænè ad confinia ſceptri;
Ille humilem illuſtri virtute ſupervolat ortum,
Juraque principibus diſpenſat mixtus Achivis
Cunarum victor. juvat erexiſſe capaces
Conſiliorum animas, omnique in gente decora
Quærere virtuti capita, & quæſita corollis
Cingere, patritiáſque inter numerare Curules.
Hâc iter eſt meritis, quocunq; in ſanguine ſedem
Inveniant: ſuda virtus, conare, fatiga
Pectus honorato molimine, præmia circum
Inconfuſa novis ſtabunt certantia lauris.
Rex indefeſſo cunctos ad dura laborum
Provocat exemplo, crebris ſudoribus artus
Roborat, & rigidis firmatus membra palæſtris
Algores, fremitumque, & flamina turbida venti
Excipit objecto vultu inconnivus, & arma
Ventilat, hybernâ rigeat ſeu grandine tellus,
Sive fatiſcentes ſol fervidus uſtulet agros;
Arma ſecuturæ referant quæ ſchemata pugnæ,
Si res poſcat opem: ſimulacra hæc bellica nervos
Expediunt, durantque animum, vegeta inde lacertis
Aura, vigor menti, vis oſſibus, eſca medullis.
Martia nunc celeres partitur in agmina turmas,
Hîc denſat cuneos, illic rapidè explicat alas,
Incurſatq; frequens, reſilitque, modò alite nitro
In latus obliquat, modò turbine promptiùs inſtat
Cor-

Cornibus, & ſtricto frontem premit ipſe veruto,
Rurſum alibi certos tormenta boantia in ictus
Dirigit, ad nutum vocalis machina paret,
Et globus ad juſſam defigit vulnera metam.
Eſt ubi fulminei, ſed natio parvula, ſclopi
Exercent digitos, oculiſque ſequentibus orbem
Deſignant telo, plumbum inde volatile diſcum
Perforat, albatâ quà tingitur area cretâ.
Nec minor eſt haſtæ ſolertia, provocet Euros
Curſibus, & Zephyros equus, illa jubente Magiſtro
Carpere docta viam volucris ruit, arte ſtupendâ
Trajiciens medio ſuſpenſum in fune metallum.
Plura referre mora eſt. nil conſummatius illo,
Quocunque inſpicias, ſive in Mavortia ſeclum
Impellat funebris Eris, ſeu dulce togati
Imperii regimen ſupero indulgetur ab aſtro.
Macte iſtis animi virtutibus, inclute Rector
Arctice, Danorum columen, rediviva Trionum
Gloria, Divorum de ſanguine Dia propago,
Una fatigati ſpes, & ſacra anchora regni;
Excipe felici, cœlo quod mittitur, unguen
Omine, nil Rhemos, nil Marmonſtera neceſſe eſt
Poſcere, nos precibus nubes aperimus ubique,
Fertur & in Danas ſacer ille columbulus aras;
Dumq; genu, & calido ſpiramus pectore vota,
Haud dubiè AUGUSTOS cœlum deſcendet in actus;
Utq; diu, & longum tecum inter proſpera ſeclum
Exigat in terris, atque halcyonéa coronæ
Tempora, pacatumque tuis indulgeat orbem
Imperiis, canam poſcemus ad uſque ſenectam.
Dii tibi Regali, quâ demum clauderis urnâ,
Spirantes, FRIDERICE, crocos, & veris inhalen‑

Perpetui flores, ſacramq; amaranthus ad urnam
Excubet, æterno qui pignore regna beâſti
Hinc abiens, meritis magnis ingentius addi
Nil potuit Nato, pater immortalis in illo eſt,
Immortalis Avus, cinis evigilavit uterque
In ſolio, CHRISTJANE, tuo; ſic pectore in uno
Diviſæ quondam Divis in Regibus artes
Conſpirare parant, & eâdem ſede morari.
Nec ſpes ſola fidem dictis facit, ipſa loquuntur
Tentamenta nihil primis laudatius annis
Vel tentâſſe Numam, vel præformâſſe Quirinum.
Quintus es AUGUSTO ſub nomine, grandia *Quinti*
Omina præfamur vates; eſſentia quinta
Certa vacillanti præſtat lenimina cordi.
Quid Carolo majus? qui tanti nominis olim
Menſuram implevit, viditque ad genûa Quirites,
Teutonas, Hiſpanos, Celtas qui fregit, & ipſum
[Teſtor agros Papiæ, monimentaq; triſtia Gallo]
Franciſcum nexu compeſcuit acer, & ultra
Afrorum in dites terrorem invexit harenas.
Illum, illum geſtis referes, qui primus ab illo
Quintus, inocciduo faſces moderaris ocello.
Ne dubites, *Carolotta* facit, *Carolo* illa propinquat
Nomine, conjuncta eſt *Quinto* nexuque perenni
Addita, junguntur fortunæ, & Dana reſurget
Gloria perpetuos inter victura triumphos.

D. M. (69)

Sanctiſſimi & Conſummatiſſimi Viri

PETRI BULLICHII

Archiatri olim Regii feliciſſimi,

& mox

Conſiliarii Aulici, Aſſeſſoriſque in ſummo Juſtitiæ Tribunali, tandem etiam

Præſidis Metropolitani graviſſimi.

NIl actum ô Parcæ! jacet umbra, ſtat incluta virtus,
Pulvereos ultra proſpicit illa rogos.
Illa replet Natos, teneros replet illa Nepotes
Totque in *Bullichiis* multiplicata redit.
Illa laboriferas accendit in ardua mentes
Utque animum capiat, ſpes generoſa, jubet.
Illa docet, quantum liceat ſperare Melampis,
Quàm Celſo Hippocrates congruat illa docet.
Rara quidem in Patriis viſa hæc concordia terris,
Non rara ingeniis meta ſtatuta foris.
Ante Machaoniis fulſere palatia Coſmis,
Ante parem didicit Tulpius ire viam.
Dii bene Sanctæ Animæ! quæ Dano in climate prima
Et Themin & Phœbum conſocianda mones.
Magnum erat, in Tumulo ſphæram & junxiſſe cylindrum,
Iſida & Aſtream jungere majus erit.

(70) Cordatiſſimo Martigenæ
Domino BARONI
HILARIO HOLCHIO
Lethiferum ſuaviſſimæ ſuæ ELISÆ
puerperium lugenti.

ANte ſuum extremos Æneam ardebat ad ignes
Maxima Sidonias inter Eliſa nurus:
Verſa rei ſcena eſt; Anchiſiadeſque Trionum
Fatum ultra, atque ignes ardet amore ſuæ.
Suſpirat poſt buſta frequens, nulluſque dolori
Eſt modus, ut quondam nullus amoris erat.
Seu Sol laxat equos ſeu veſpere condit habenas,
Arva per, atque domos dulcis *Eliſa* ſonat:
Vox quoq;crebra meat populorum,& vox tamen una eſt,
Non meruit fieri talis *Eliſa* Rachel.
Sed ſatis *Holchiade* eſt! tandem gravia ora Catonis
Indue, ſic dudum Mars pater ipſe rogat;
Atque ait: heroo quod geſtas pectore vulnus,
Hoſtili poſthac fronte ſedere jube.

---

(71)
Nobiliſſimo & ampliſſimo Præſidi
Hafnienſi
D.D. PETRO RESENIO
Sami Balthicæ hiſtoriam edenti.

ERige te mediis, Samos, erige rurſus ab undis,
Nil poſt,quod quatiant flabra Aquilonis,erit.
Perpetuò zephyros ſegetum experiere Magiſtros
Totaque ſquammigero littora plena grege,

Ex

Ex quo te Dominus ſubvectat in æthera Gryphus
Cœleſtique tuos lumine paſcit agros,
Ex quo jam Samiæ deterget nubila terræ
Et noctem & ſenium *Reſeniana* manus.
Felix! quam miti Sol ille ſerenat ocello,
Quamque hæc tam clarè luna micare docet.

Ad Fortunam, (72)

Quæ iterum, iterumque virtutibus ſummi Viri

D.D. THOMÆ BARTHOLINI,

Bibliothecæ incendio & funere Uxoris, aſperius cœpit inſultare. 1675.

NIl agis ô Fortuna! licet feriaſque premaſque
Inceſteſque rogis, funeribuſque domum,
Emergit ſupra fulmen BARTHLINUS, & arte
Corrigit infeſtum, quod meditaris, opus.
Suſtinuit pridem URE TUUM, cum luxit in igne,
Illa domus Charitum, Pieridum illa domus;
Cum gemuit prunas inter Phœbéa ſupellex,
Et didicit celſas Celſus inire vias.
Sed rediit lar ſplendidior; ſolamina libri
Ad Pluteos capient, Rex Philadelphe, tuos.
Suſtinuit jam TRISTE SECA, cum funebris uxor
Pars animi pluſquam dimidiata cadit;
Sed quod nunc reliquum docto ſe commodat orbi
Dimidium, toto majus in ora venit:
Totus enim ſuus eſt poſitâ jam Conjuge Phœbus,
Plenius & cauſam poſteritatis agit;
Ipſe quidem Muſis vera emolumenta librorum
Pandit, & ad trutinam juſtus Apollo ſedet,

Cætera per natos fatorum ulciſcitur auſa,
Proque uno, calamos reddere quinque parat.
Ergò viri porrò tanti vexare ſerenum
Deſine, & inviſos transfer acerba jocos:
Perſtat is in fati nunquam exarmandus harenâ;
Vulnera fac, vires colliget inde novas:
Hoc habet Antæi, toties quòd ſurgat ab ictu,
Quòd ſuperet toties, Herculis illud habet.

---

(73) Ad

D.D. SIMONEM PAULLI

Ingraveſcenti ætate commentantem &c.

SIccine limandis nunquam laſſabere ſcriptis?
Quodque tua emendet regula, ſemper erit?
Gloria Phillyridum! propriumne regentibus illud:
Plus ultra, in *Paullo* continuabit iter?
Suadet jam pridem ſenium venerabile pauſam,
Et requiem capitis promeruere nives.
Quid reliquum, partos niſi dinumerare triumphos?
Et legere ex ſcriptis ſerta decuſque tuis?
Tu tamen admotâ juveneſcere cerneris urnâ,
Atque inter taxos laurus honora viget.
Vos, ô Vos taxi procul, hinc procul ite cupreſſi!
Nullus adhuc letho, funeribuſque locus.
Hic ubi ſe calamus *Paulli* experrectior infert,
Et librat curâ floridiore ſtylum.
Nil opus, ut grandis natu renovetur aheno,
Quod Medéa nequit, dextra *Simonis* agit.

In Effigiem (74)

D. M. CHRISTIANI NOLDII.

NOLDIUS hic nitido faciem declarat in ære,
Et cathedram hoc habitu conſpiciendus adit.
Schema illud vultûs; ſed quo inflammetur ab i-
Spiritus, id vita, & ſcripta polita docent. (gne
Vis ſacræ nucleum Sophiæ nucleumque profanæ?
Vis in Eberino flumine ſtare ſitim?
Ut quæras rivos diverſo in climate, dices:
Purior in NOLDI fontibus unda fluit.

In Effigiem (75)

CURTII ADELER

Ordinis Danebrogici & Divi Marci Veneti Equitis, S. R. Maj. Daniæ & Norwegiæ Archithalaſſi.

ILle olim Heſperiis, Grajiſque animoſus in undis
Ductor & Adriaci fulmen, amorque maris
Curtius hac tabula vultum confeſſus in orbe
Durat & à fatis conſpiciendus adeſt:
Terror adhuc Thracum, quos ad Cretæa cecidit
Littora, ad illuſtrem nobilitate Rhodon;
Ad Seſton, Pontumque Helles, atque oſtia Abydi,
Quàque Muhammedis claſſica ventus agit.
Senſit id immanes inter trux Baſſa lacertos,
Dum ruit, adque necem ſanguinolentus hiat:
Ipſe cadit, Venetiſque diu jam putret in ulvis,
Supra *Aquila* eſt, infra Luna Ibrahima jacet.

Hinc patrium ad Balthen verſus regit æquora, & (omnes,
Qua volat, invictâ claſſe tuetur aquas:
Nullus adeſt, qui contra fremat, qui dira minetur,
Nemo Ibrahim rurſus ſcilicet eſſe cupit.

---

(76)

Epitaphium Nobiliſſ: & Ampliſſ: Viro

Dn. CHRISTIANO CASPARI SCHÖLERO

Conſuli quondam Coagiano, & in Supremo Juſtitiæ Tribunali Aſſeſſori graviſſimo erectum.

1679.

ILle fori lumen, juſtique æquique ſacerdos,
Ex Curiis Patriæ Fabriciiſque ſatus
SCHÖLERUS tandem longo defeſſus ab ævo
Repperit exuviis hac ſtatione locum;
Sed tantum exuviis: meritorum fama Triones
Occupat, & nullò clauditur illa ſinu.
Sive etenim Coagûm, præſedit ſanctius urbi,
Et viduæ è cauſis arcuit omne nefas,
Sive Amphictyonas inter Regale tribunal
Muniit, Aſtrææ, juſtitiæque ſacer,
Hæſerunt lateri comites Pietaſque Themiſque
Et Charis, & nullo munere victa Fides:
Priſca Fides, Dano generi Conſtantia priſca,
Sincerè in quoſvis officioſus Amor.
Utque excedendum ſcenâ, poſcentibus aſtris,
In gemino rediit pignore Imago Viri;
In quibus ut melius vel adhuc mereatur ab orbe
Quod nequiit vivus, mortuus illud agit.

Illuſtriſſimo (77)

Dn. COLBERTO

Regis Chriſtianiſſimi Conſiliario intimo, cùm librum ſuum De Hermetica Medicina illi dedicaret. 1674.

MActe illo, *Colberte*, animo: non Gallia ſola eſt
Conſiliis robuſta tuis: complecteris omne
Humanum genus officio: diffundis ubique
Ingentis meriti radios. Quod panditur æther,
Quod tellus, tibi deferimus; tua promit Eleuſis
Abdita, & in toto miracula parturit Orbe.

Dn. PETRO COMITI (78)

In GRIFFENFELD

Sacr: Reg: Maj. Cancellario &c.
cùm ipſi Cogitationes ſuas de Linguæ Latinæ ætatibus offerret. 1675.

HOc quoque reſtabat titulis; poſt pondera regni
Conſiliis librata tuis, ad Pallada noſtram
Flectere vitales oculo indulgente calores,
Atq; vacillantem gremio exceptare Camœnam;
Magne Atlas Patriæ, dudum qui totus in Aulâ
Excipis immenſam non feſſo vertice molem,
Totus ades Stator Patrio aſſertorque Lycéo.
Non alio mallet, quàm te ſplendente renaſci
Gloria Pœbéæ gentis; tunc ſurgimus omnes,
Cum tua proſtratas attollit dextera Muſas;
Haud dubii, quis Tiphys agat, quo Caſtore navis
Erigat antennas: quis enim ſapientiùs illo
Lubrica currentis moderetur tranſtra carinæ,
Quàm qui inter Sacra hæc ventos expertus & imbreis

Attigit excelſæ ſuprema cacumina Cirrhæ,
Cœleſti ſemper propior, ſeu prima juventæ
Stamina, ſeu plenos meritis & honoribus annos
Spectemus, patriam quibus amplexaris, & uno
Continuoque, ſacroque imples tua ſecla ſtupore.
Moribus his liquido quondam præluſit Olym-
Lactenteſq; novo circumſtitit omine cunas (pus,
Hinc atque hinc radios aſtrorum ex ignibus ultra
Credibile, indulgens puero, ſtetit excita Pallas
Grajorum è tumulis, Sophieq;, diſertaq; Peitho
Nutricum in numero vigiles, neq; largius unquam
Inſeruere uber, vel cum ter Maximus Hermes
Sugeret, in Pharias quæ poſtmodo dideret arces,
Vel Lacedæmonius, cùm prima elementa regen-
Divarum mammis extunderet ore Lycurgus. (di
Vix fantem ſtupuere viri: præſaga ſenectus
Audita eſt Procerum Phœbi, cum primus ad aras
Orator ſtares alacer, linguaque novenni
Palladiæ optares quondam felicia mitræ,
(Jam præſtare paras) cumq; accreſcentibus annis,
Major ubique viro juvenis, templum omne Mi-
Irradians tereti repleres voce Lycéa: (nervæ
Hic erit, hic noſtra tandem ſublimior arte,
Regnum aliud quærat Macedo, non ſufficit iſti
Calliope tota ingenio: metam altius urget
Spiritus excelſis olim venerabilis Aulis.
Augurium probat eventus, nec haruſpice Muſâ
Certius ad tripodas fudere oracla Sibyllæ.
Poſtquam igitur patrii, deplêſſes flumina Pindi,
Amſtelios mens ad latices, Tameſiſque fluenta,
Sequanicaſq; ſtetit lymphas; his quicquid in undis
Suave Promethéo, fructuque ſalubre palato,
Hauſtum eſt intrepidè: tum quæ Madriticus illis
Junxiſſe dedit Xaramas, Tiberiſq;, Paduſq;

Et Rheno cum fratre Albis; queis plurima debes,
Plura tamen genio ipſe tuo, quo viſcera rerum
Ingrederis propius, reliquiſque impervia ſpectas
Intima, Dulichio nondum attentata cerebro.
Clara revertentem per regna, per oppida fama
Anteiit, plauſuque domi comitata tribunal
Auguſtum ſtitit ante Jovis: quid plura moramur?
Audituſque places, viſuſque diſertior ore
Privato increſcis titulis; hic janua ſe ſe
Pandit ad æternas, geſta inter publica, lauros.
Creduntur foruli, reſerantur ſcrinia, præſtò eſt
Archivi penetrale ingens, ſecreta pateſcunt,
Curia Apollineam vocat ad ſuffragia linguam.
Itur ad Auguſto propiora negotia Sceptro,
Et ſolis manifeſta Diis; hic arte Magiſtrâ
Tranſigis, & varios ſceptri diviſus in actus
Luctaris, minimo ſtrepitu vaſtiſſima motans
Pondera: ad exemplum Phœbi, qui ſufficit Orbi
Et vitam, & vires placidè, cum turbida venti
Ira fremat, noceatq;, uno contenta fragore.
Sic ſe ſe in facies verſavit ſedulus omnes,
Gloria Chaoniæ, Cyneas; hos nectare vocis,
Et Demoſtheniæ pacavit flumine Suadæ,
Bella oſtentando quoſdam, graviterq; monendo
Addidit imperiis Pyrrhi; non ille lacertis
Ajacem ſupra ſtreperus, ſed cautus Ulyſſes
Oppida ſceptrifero ſubjecit plura Magiſtro
Conſiliis, quàm Marte alii; ſparſo ore Quirites
Oranti adſtupuere, memor cum nomina cunctis
Redderet, & Domino Tybrin placaret Achæo.
Hoc Xenophonte gradus Cyri per ſola feruntur
Virtutum monumenta; gemunt exuta colore
Turpia, & in proprias graſſantur dente catenas.
Hoc Narſete Themis per & ampla palatia regnat,

Et fora ; junguntur ſolio pietaſque fideſque
Et rigido permixtus amor ; neque ſegnius Irus
Eripitur liti infeſtæ , quàm ſanguinis alti
Scipiades ; priva ira procul , laterique ſatelles
Juſtitia æquali partitur jura tenore. (vum
Quid loquar excubias ? nemo experrectior æ-
Proſpicit in longum , caſuſve potentius omnes
Vertit in obſequium Domini ; vigil uſq; quietem
Cuſtodis Patriæ , ſomnoſque tueris in omni
Stans ſpeculâ , poſtquam paſſim Mavortius ardet
Ucalegon , jamque huc ſubito , jam dirigit illuc
Flammantes Bellona faces, & paſcitur arvis
Teutonicis , in qua rerum vertigine proram
Rectà agere in portum , & nuſquam alliſiſſe,
Deorum eſt. (auſtris,
Tiphys in ambigua eſt, nondum inſultantibus
Laude ; fac Æolios ſemel intercurrere fratres
Frontibus adverſis , tum demum ex arte ſolutos
Obliquare ſinus , & jam quò turbo minetur
Inſidias , quid triſte Notus , quid cogitet Eurus,
Proſpicere , ac flexu ſolerti eludere fulmen
Qui valet, hic ſolio Jovis , & cœleſtibus aris
Proximus accumbit, noſtri vigor ille Periclis (eſt.
Spondet ; in hoc Fabio , ne præcipitemur, habena
Sit Magnus Britoni Vulſæus , Guzman Ibero,
Richelius Celtæ armigero , Stilicoque Quiriti.
Quoſque referre mora eſt; nulli ſua gaudia Danus
Invidet : at *Grypho* nos contemplamur in uno ,
Quicquid & in Curiis, ſanctiſque Catonibus olim
Romulei videre Patres , quod præſtitit Urbi
Pompilius , Phariiſque ſacer Curator Ioſeph.
Hoc Duce , Codani tanta eſt reverentia ſceptri ,
Europæ ut dirimat lites ; hôc navigat Indum
Æquor , & ad Sinas commercia dirigit Arctos ,
Veſpu-

Veſputiuſque haurit Cimbrorum idiomata Tho-
Sed propiora vocant: alia ſpectaris harenâ (mas.
Phœbus, & Aonias (cerebro quas antè) ſorores
Nunc humeris portas; toti pendemus ab illis
Uberibus, qui voce rudem, calamoque juventam
Inſtruimus; ſignis veri ſub Apollinis ire
Magnificum eſt; nil non doctæ ſperabimus Arcto;
Proſpera cui tantam ſervarunt aſtra ſalutem.
Per te, ſacrorum Myſtæ ferventius inſtant
Cœlorum imperiis, atque exarmare parati
Tartara, confertim multâ prece nubila tranant.
Fortius acturi, cùm poſt certamina primò
Vere novem vigiles * aſcendent pulpita mitræ.
Per te jam Codex, per Te digeſta loquentur
Mitibus ingeniis fauſta, atque infauſta protervis;
Per te Phillyridum genus incunabula veri
Democriti ex puteo repetit, Grajiſque lacunis
Altius erigitur tentando, ipſamque laceſſit
Naturam; ſtat ſcire prius, quàm credere dictis.
Parte alia in fibras hominum, & penetralia bruti
Sanguinis artifici pergit deſcendere ferro,
Ambiguaſque vias lethi, fonteſque dolorum
Rimatur digitis? alibi quid Flora Medenti
Spondeat; & rurſus quid viſcere claudat Eleuſis
Chemica, quas animas expreſſeris arte metallo.
Quòd Sophie niteat; quod nondum exhauſta Matheſis
Parturiat nova perpetuo; quod adultera linguæ
Abſtergant, Lux noſtra, Tuum eſt; Tibi militat o-
Guttur, & inventis jam dexteriora minatur. (mne
Si quid in Heſperiâ Gothico peccavimus ore,
Wandaliciſve tonis; ſi qua eſt injuria grandem
Eridanum ad *Longi* componere murmura *bardi*,
Stat

* *i. e. Doctores Theologiæ novem creandi.*

Stat damnum ſarcire: Tuis, Gryphe ardue, pennis
Evecti Latium inviſâ purgabimus herbâ.
Tu nobis Alaricus eris, non ille cruento
Enſe Quirinalem frænans Mavortius urbem,
Sed placidè ſolers, & vulnera hiulca priorum
Cœleſti ſolidans dextrâ; cui credimus omnes
Bellica Neſtoreis concedere fulmina linguis.
Te Duce progredimur celeres, & calcar eundi
Immenſum eſt, ipſo Phœbo inſpectante probari,
Inque oculis ejus campo decurrere, cui ſe
Tota Hellas, totum Latium patefecit, & omne
Mortali quod ſcire datum eſt: qui junior annos
Prævertens ſenii cunctas rapidiſſimus artes
Hauſiſti, in quavis laurum meriturus harenâ;
Quique Vir (ingenti licet impugnatus ab æſtu
Curarum pro Rege Tuo, pro Gentis honore
Vix unquam Tuus es) reminiſceris omnia; juſſæ
Arbitrio parent linguæ, creditque loquentem,
Celta ſuum, Teutoq; ſuum, Batavuſq;, Britoque,
Et Caſtella ſuum, miratur Hetruria voces
In Dano ore ſuas, notat eloquiumq; modumq;
Accentumque ſibi proprium cultiſſima Roma.
Nec cuncta exploráſſe ſatis; ſtat lancibus æquis
Cujuſvis meritum librare, ut præmia dignos,
Et ſtimuli ignavum maneant, inhonoraq; fucum
Eſuries; illa eſt methodus, quæ ſceptra ſerenat,
Quæ cathedras animat, tandemq; à morte ſuperſtes
Æthereum involvit genium: reliquum omne caducum eſt,
Durat adulantûm ſaltem inter proſpera fumus,
Vaneſcunt empti plauſus; laus illa perennat,
Quæ meritis pœnas, meritiſq; adſtringit honores.
Illa tibi teritur nunc impete ſemita pleno;
Illa una eſt, quâ creſcere adhuc, quâq; altius Orbe

Ire

Ire velis, ex quo reliquam cœleſtibus Arcton
Impleſti meritis, & toto vertice ſupra
Nimborum patriam, Cauroſque Notoſq; locato
Quantum velle libet, tantundem poſſe licebit.
Jamq;adeò, ingenuæ,gens fortunata,Camœnæ
Ferte roſas, date thura, noviſq; adolete caniſtris
Cinnama, quâ graditur Veſtrum decus; illius ara
Tuta quies Pindo, trepidiſq; in rebus aſylum. (eſt
Hæc umbra eſt, in qua tuti ſpatiamur, & Euri
Sibila, ſtridenteſque Notos, & Iapygos auſa
Eximus Phœbi occurſu, quo nubila rerum
Disjiciente cadunt, tempeſtatumque furores
Hinc procul, in propriis exercent fulmina cam-
Aut, ſi dira ſuum belli contagio virus (pis.
Tendat in Arctoos, & cœlo extorqueat iram
Sacrorum novus ille tepor, qui mitiget ictum,
Obvius inſonti per fana, per atria voto,
Thariades Hic noſter erit, qui Neſtora quamvis
Anteeat genio, ſuperis ex arcibus haurit
Conſiliis animam; cujus ſuſpiria cunctis
Nota adytis patriæ ſuſpendent fata Gomorrhæ.
Aſſerite, ô Superi! caput hoc, ſalvoq;Trionum
AUGUSTO, optatis producite ſtamina fuſis;
Addite ſucceſſus ſucceſſibus, addite prompti
Vim membris, animo robur; Vos proſpera fræna
Ingerite his manibus, Vos inſpirate ſalutem
Arcanis rerum, Muſaſque Hoc Præſide ſupra
Squallentes dumis cautes, & inhoſpita ſaxa
Erigite, ut Magni in Gryphi cervicibus alas
Inveniant, quêis atra ſuper, fumoſaque terræ
Surgentes ſemper florenti in rupe quieſcant.

(79)

Illuſtriſſ. Dn. Comiti, Magno Daniæ
Cancellario, & Equiti &c.

FRIDERICO ab AHLEFELD,

Cum ipſi Diſſertat: ſuas de Poëtis dedicaret.
1683.

Fit hic converſio ad Poëtas, quorum nomina in hoc ſcripto attinguntur.

Illuſtres Muſarum animæ, queis ſcandere Pindum,
Ingeniumq; metro paſcere cura fuit;
Seu vos Elyſius tenet inter jubila campus,
Seu Jovis in gremio nectaris unda rigat;
Seu peregrinanti nondum hoc exîſtis ab Orbe
Venaque adhuc venâ fervidiore micat;
Si vacat, huc oculos, huc paulum advertite mentes
Et faciles, niſi jam diriguere, manus.
Parva mora eſt; ſpeculum Vobis hîc ſiſtitur, in quo
Veſtra iterum facies conſpicienda patet;
Non perfecta quidem, quis enim niſi Phœbus id auſit?
Umbra ſed horridulo deproperata ſtylo;
Quâ tamen inſpectâ vos internoſcitis omnes,
Atque iterum in ſcenam ſpiritus ille redit:
Spiritus æthereum, quô quondam hilarâſtis Olympum,
Et Grajæ, & Latiæ quô caluere Deæ;
Quo ſuper Atlantem, ſuper æquora, tranſque ſupremum
Caucaſon aërium corripuiſtis iter:
Accipite ingenuam, me ſuſpendente Tabellam,
Inque illâ Aonium dinumerate genus;
Et ſi quid mereor, mecum cognoſcite dotes
Unius ingentis, Pallade teſte, Viri,
Multa Sophocléo qui geſſit digna cothurno,
Multaque Pindaricis enumeranda modis.

Ille

Ille eſt, excelſum cui primo in limine nomen
Additur, & cujus luce coruſcat opus,
Ille eſt, qui dudum virtutibus altus avitis
In patriam meritis altius ire parat.
Quod prius ad ſolium regnantis OſiridisHermes,
Quod catus ad Trojæ mœnia Neſtor erat;
Quod rebus dubiis Ithacenſis Homericus olim;
Quod Gallo nuper Richeliana toga;
Illud in Heroâ florens *Ahleſeldius* Aulâ eſt,
Illôque Arctoum nomine fulcit ebur:
In proavis quondam redivivus Scipio caſtra
Rexit & hoſtili ſanguine tinxit agros,
Ipſe ſed Æneæ propior regit agmina curis,
Et ſolio Domini nobile robur adeſt:
Froſpicit in longum, quò ſeſe inimica datura eſt
Machina, quo frangas Marte, diu ante monet,
Par moli, ſeu bella vocent, ſeu pacifer Orbis
Fel Mahumedano deſtinet omne gregi.
HuncVeſtrum,Antiqui vates, agnoſcite Ulyſſem;
Hunc Oxenſtirnum, Richeliumque Novi.
Laudatis paſſim cum Parmenione Zamolxin,
Harpagus eſt aliis, Timoleonque labor.
Splendet Ariſtides Vos propter, & ipſe Pericles
Et ſuus eſt Curiis, Fabriciiſque locus.
Nuſquam grandis abeſt Fabius, nuſquam Cato, nuſquam
Narſes, & grandi cum Stilicone Numa.
Et ſi quando oculos ad noſtrum vertitis ævum,
Olivares plectris materia eſſe ſolet;
Nec manet intactus Vulſejus in orbe Britanno,
Nec Granvellani nomina clara ſilent;
Sed quod in his magnum, quod in his ſupereminet, illud
Ecce! *Ahleſeldino* clauditur omne ſinu.

(80)

In obitum perilluſtris & generoſiſſimi Dn. VINCENTII JOACHIMI von HAHNE Equitis Aurati &c. 1680.

Illuſtres cineres, & inexſpectata dolemus
Fulmina Magnificam corripuiſſe domum;
Quæ concuſſa trahit plures: Dictynna tremiſcit,
Inter Hamadryadas gaudia nulla Deas.
Ipſe etiam Arctoi Rector ter Maximus orbis
Aggemit imperio, Parca ſevera, *tuo*:
Et quiſquis pretium magnis virtutibus unquam
Conſtituit, partem, crede, doloris habet.
Quid mirum! ante ſuos cecidit vigil *Hahnius* an-
Hahnius orcheſtræ gloria, Regis amor: (nos,
Ille Aulæ officio dudum experrectus in omni,
Et genio, & lætis moribus ipſa Charis.
Tempora nulla metu fractum, vultuſve ſereno
Videre exutum, tempora nulla trucem:
Flammantes ſpe certâ oculi, ſua purpura labris,
Suada ori præſtò, conſiliiſque manus.
Hinc firmum aſſeruit media inter claſſica robur
Pectoris, & ſupra tela, neceſque fidem.
Interea ſenſim formata potentia *multis*
Proſpera, ſed nulli viſa nocere reo.
Qui legis hæc, ſequere acta Viri, ſequere abdita
Et Domini ad nutus obſequioſus age;(mentis,
Ne ſuaſiſſe velis, quæ primus adire pericla,
Sique Aulæ expediant, expediiſſe neges;
Quo propius diſcrimen adeſt, flagrantior inſta,
Et laterum objectu Principis abde latus.

Hæ ſunt *Hahni* artes, hæc inſtrumenta favoris,
Quo Magnete etiam ferrea corda trahas:
His alis ſeſe evexit generoſa volucris,
Hoc Jovis ad Solium remige carpſit iter.
Unde per Europam, dum ſtant ingentia Regis
Geſta inter lauros, perpetuumque crocum,
Illa diu Auguſto virtus notiſſima ſceptro,
Illa fides *Hahni* ſtabit in orbe comes.

---

(81)

Viſmaria diu refractaria tandem cicur. 1675.

VIſmaria externo dudum impenetrabilis hoſti,
Inde ferox muris, inde ſuperba mari,
Ut videt oppoſitas Dano ſub Rege phalanges
Cingere Martigenâ valla, ſalumque manu,
Infremit, & fruſtra, ingeminat, tentamur, in illâ,
Quam dedimus, certum eſt conſenuiſſe fide.
Undique ſecuris valli defendimur umbris,
Hic pinnæ, hic muros fida corona tegit,
Infra dimidiæ confirmant mœnia lunæ,
Has ultra, infeſtis valla tuemur aquis,
Adde aliam, foſſis quæ ſtagnat in omnibus, un-
Lenta ſalutiferæ gleba paludis adeſt: (dam,
Hæc ſuperinfuſo ſtat inexorabilis imbre,
Hic lacus, hic Dano bis Thraſymenus erit.
Cum venit adverſus, cadet irremeabilis hoſtis,
Atque inter medias, igne peribit, aquas:
Quippe perempturum ruet omni ex aggere fer-
Et ſua nex plumbi eſt aſſocianda pilis. (rum,
Parte aliâ in rigidum turgeſcens inſula *cetum*
Excubat, ad ſtreperas ingenioſa neces.

Gyrat in auxilium falco; quis ab illius ungue
In patriam ſecum lumina tuta feret?
Quid quòd amica natet vicina per æquora claſſis,
Tota viris, vario tota referta penu? (lis
Fœta armis Straleſunda ſoror, minitanſque cabal-
Vel parat auxilium Marte, vel Arte parat.
Eſt cibus, eſt virtus, & quicquid in Urbe requi-
Martius in Ducibus, præſidioque calor. (ras,
Denique Ariſtander *Ludovicius* advocat aſtra,
Et properam è Stellis prævidet unus opem.
Quid multis? patriâ pro libertate perorant
Omnia, miles, hyems, nix, pluvia, ulva, polus.
Parce tibi nimiùm confidere vana! ſalutem
E cœlo, & Danis, non aliunde petes.
Si Troja es, circum tentoria cernis Achillem,
Si Tyros, Auguſtus ſtat Macedo ante fores;
Si Carthago, vigil notam circumſpicit haſtam
Scipio, ſi Viſeby, Valdemar hoſpes adeſt;
Denique ſi Roma es, genibus venerare Trionem,
Aut qui Frotho venit, crede, Alaricus abit.
Quid moles, quid aquas cunctatrix lenta Monar-
Objicis? it muros illa tiara ſuper: (chæ
Solvitur Andromede, cetuſque innectitur hamo,
Cum novus hic Perſeus ad mare vertit iter.
Falco ungues mediis, plumaſque amittit in undis,
Et cicur Hafniacâ ſtat tremebunda manu,
Grando cadat tectis, indignatuſque December
Flatibus, & pluviâ lubricet uſque vias,
Nil agitur; Dano ventorum militat ira,
Virtutique alas ſæva miniſtrat hyems;
Tranantur Gotho licet obluctante paludes,
Et culpam in mediis valla fatentur aquis;
Tandem ſerò licet, vexillum in turribus, albet,
Et docet exemplo Martia ſecla novo

Nulla

Nulla Codanonium remorari ſepta Leonem,
Nec nodos, niſi quos dividat enſe, pati.

---

(82)

Ad Celebratiſſimum Virum D.D. THOMAM BARTHOLINUM De Ordinis Danebrogici inſignibus commentantem.

STa labarum, quali ſpecie Wolmaria circum
Arva Codanonio ſub Duce jura dabas:
Sta Boreæ fortuna tui, dum pingeris il[illegible],
Quam ſibi ſepoſuit Muſa Chariſque, manu.
Format te antiquo nunc *Bartholinus* in auro,
Reſtituitque polo, ſyderibuſque ſuum.
Auguria inſtructis porrò dabis alta maniplis,
Hærebis lateri pectoribuſque decus.
Ille tuo quondam qui ſanguinolentus in unco
Hæſit, militiæ eſt cura, ſaluſque ſuæ:
Scribitur in ſuperis per eum victoria ſtellis,
Inde per humanas ambulat illa manus.
Indue cœleſtes iterum mea Dania mores,
Et cœlum votis ſerviet omne tuis:
Waldemar in ſolio eſt, rutilo Joſephus in oſtro,
Livius in patriis, omina quanta! jugis.

---

(83)

De Eodem ſigno Danebrogico.

VIderis è cœlo delapſum ancile ſalutem
Portendiſſe tuis, relligioſe Numa;

Nil tibi debemus, Romane, ſtat alter in Arcto
Pompilius, cœli claviger, Orbis amor.
Waldemar è mediis ancilia ſanctius aſtris,
Evocat, & Livonum caſtra tremendus adit:
Caſtra Gradivicolis licet exſultantia turmis,
Caſtra referta penu, caſtra animoſa Duce.
It contrà, hoc ſigno crucis inſtimulatus, & ho-
Proterit, hoc verum Palladium eſſe videt. (ſtem
Poſteritas imitare pium dominantis acumen,
Cruxque aderit votis obſequioſa tuis.
Dii benè *Chriſtiano*! Regum qui maximus inde
Accerſit ſceptro robora fida ſuo.
Illius auſpiciis, quæ ſedit in aëre quondam,
Pectore nunc Procerum crux generoſa ſedet:
Hanc Eques aurato gerit ad præcordia textu,
Hanc memor & gemmis ſignat, & ore colit.
Quid revocata crucis ſequitur Myſteria? cedunt
Hoſtica, fortunæ dant ſupera aſtra viam.
Et ſi fata licet ventura exquirere, terræ
Is Dominus, cœlo qui famulatur, erit.

---

(84) Ad D. D.

SIMONEM PAULLI

Archiatrum Regium,

Cùm filius ejus Anno 1679. *Pariſiis* obiret.

Ambiit æternum ſcriptis & nomine *Paullum*
Atropos in tacitas ingenioſa neces.
Nulla diu patuit Parcæ via; quippe Minerva
Et Phœbus ſævas diſtinuere manus;
Paulus enim cubo ſimilis, quocunque rotatus,
Idem vultu, idem moribus uſque fuit:

Ten-

Tentavit greſſum Lacheſis, ruptiſque ſubinde
  Ductibus in vacuos lympha profuſa pedes.
Laxarunt currus humeros,& brachia ſanctæ
  Conjugis, in mediâ cura reperta Stoâ eſt.
Senſit ſe illuſam triſtis Dea: pergit ad Indos,
  Et Nato impingit tela dicata Patri.
Ibo inquit minitans, Bantami ad littora, faxo,
  Hæreat in filî pectore ſicca minax:
Nil ibi, nil actum eſt, felicior exiit ictum,
  Major & ex illo vulnere, *Paulus* erat.
Infremuit Lacheſis, totieſne dabo irrita telà?
  Armaque *Paullinos* vincere nulla queant?
Illa meis toties parere Lutetia parmis
  Sueta, novas vires in nova bella feret:
Deſigno, Chriſtiane tuos *Paullino* lacertos
  Peccavere alii, tu mea præda lues,
Sat fragiles toto comitatus Apolline terras
  Luſtrâſti, in cœlis plura videnda patent.
Dixit & ardenti calathos præſcindere morbo
  Imperat; heu! nimium eſt obſequioſa febris.
At non ille cadit, qui ſic cadit, umbra receſſit,
  Dos illa ingenii major in orbe viget.
Interea grandæve Pater, grandæve Machaon,
  Quem circum toties fulmina dira cadunt,
Collige te canoſque tuos, totumque Catonem
  Indue, ne lapſu ſcena ſuprema tremat:
Vivis parte tui Nabathæo in littore, vivis
  Quâ Nerigon, quâ ſe Teuto, Danuſq; movent.
Utque dies veniat tibi decretoria tandem,
  Vix erit ad mortem, quâ patet aura, locus.
Qui meritis, natiſque replêſti Illuſtribus Orbem,
  Quo vireas, nuſquam quo tumuleris, habes.

(85) Beatis Manibus
D. THOMÆ BARTHOLINI
Mortales jam titulos ſupergreſſi.

Ergo fugis noſtros, indignariſque Triones,
Regna diu meritis inferiora tuis
Phillyridum BARTHLINE decus? nil vota mo-
Pulpitaq; in plauſus officioſa tuos? (vebant.
Nonne triumphatos inter vixiſſe placebat
Errores? nulla eſt jam tibi Lerna ſuper; (orbem
Nuſquam Cacus agit, nuſquam Stymphalides;
Purgâſti hæreſeωn jam ſatis alta quies:
Ipſa tuis cedens jacet ignorantia telis,
Vinctaque perpetuo carcere muta ſtupet.
Viximus ignoti nobis, nec viſcera poſt tot
Extiſpices Grajos ſat patuere ſibi:
Nulli tuta fides placito, labyrinthus ubique
Credere ubique fuit, quàm reperire, prius.
Luxit in ambiguo Reſpublica corporis, inter
Totque Aquapendentes, triſte! pependit aqua.
Lympharum donec, Roſci Divine, meatus
Pandis, & æterna laude refingis iter.
Quid loquar exutum regno jecur, atq; palæſtram
Sanguinis ad proprios tranſiluiſſe lares.
Nec tibi ſuffecit genio ferroque manuque
Conari in multos ni ſimul ardor eat:
Pluribus accenſum eſt BARTHLINI à lumine
Pluribus ad laudem ſat fuit ille tripus. (lumen
Teſtor Bogdanos, & nomina clara Lyſeri
Teque Thoruninum, culte Segere, decus:
Quoſq; referre mora eſt: ex hac incude profectus
Supra iit & nubes, & nitida aſtra Steno.

Parte

Sufficis, & Cymbæ proxima membra levas.
O quoties Lacheſis medicato Nectare ſtamen
Viciſti, & lethi præcipitantis iter?
Ceſſit hydrops, ceſſit ſcelotyrbe, alviq; cruenta
Tormina, febriles ſuccubuere minæ;
Nec minus ex aliis tranſlata brabea palæſtris,
Nil reliquum Phœbo, quod retineret, erat;
Sive Sophocleis Regalia ſceptra cothurnis,
Geſtaque Apellæo ſignificanda ſtylo,
Sive parentales Academia deſtinat odas
In meritis claros officioſa viros,
Par onere hic calamus, nullo incurvatus in actu,
Nec longæ ætatis crimine viſus hebes;
Immò ſeneſcenti coluit generoſius ævo,
Et meruit crenâ floridiore decus.
Adde Novenſilium Parnaſſia caſtra Sororum,
Delitias juvenis, delitiaſque ſenis.
Utque hæc prætereas, ſancti ſine labe penates,
Sancti ad ſe mores, integritaſque vocant:
Illud amicitiæ populis venerabile nomen,
Ille carens fuco candor, & illa fides,
Rara olim Auroræ, ſed & Auſtro rarior ales,
Jamque in Hyperboreis vix bene nota plagis;
Certius in nullo legerunt pectore ſedem
Hîc ſibi virtutes, hic reperere domum:
Ira procul templo hoc, procul hinc abſtruſa ſi-
Nil odio, aut rixis, invidiæve datum. (multas,
Adverſos fateor, pupugit quandoque gigantes,
Antæoſque palam contudit illa manus.
Sed Jovis hoc opus eſt, placidè ut regnetur Olym-
Nolle Gyæ aut Tityis Enceladoq; locum, (pus,
Cætera, Epictetes, Antoninoſque, Numaſque,
Expreſſit, nulli voce ſtylove gravis,

Qualis Apoſtolico radians Eccleſia ſeclo
 Egit in exilium cum procul omne nefas;
Talis erat domus illa tuo tornata cerebro,
 Talis ad exemplum ſtirps generoſa tuum.
Omnia prona tuis, & reſpondentia votis,
 Ultima Penelope, Penelopeque prior.
Sceptra Machaonium coluerunt Regia myſtam,
 Vidit Areopagi nobilis ordo parem;
Scripta vel extremus Garamas miratur, & Indus,
 Immortale ſolo nomen, honoſque virent:
Unum reſtabat: coelo, *Barthline*, parente
 Veniſti, coelo reſtituendus eras.

---

(86) Viro Experientiſſimo
D. CHRISTOPHORO PFISTERO,
Randisburgenſium Medico, cùm
Hafniæ Lauro Med: ſupremâ
ornaretur.

HActenus in morbos pugnâſti fortibus armis,
 Et mortem à jugulis pellere cura fuit,
Mitius afflixit phthiſis, & nodoſa podagra,
 Et ſolitas vires dedidicere febres.
Poſtquam *Pfiſteri* validam ſenſere medelam,
 Et data præſenti pharmaca certa manu.
Vidit id Hafniaci Phœbéa caterva Lycei
 Et comes his factis gloria, dixit, erit;
Dixit, & implevit promiſſa, corona paratur
 Et capiti tegmen mittitur illa tuo.
Mittitur, & miſſam comitantur publica vota.
 Ut fato adveniat proſperiore mitra,

Sic

Sic dilata diu penſatur adorea duplo
Munere, nam laurus tarda, ſed ampla venit
Atque ſalutiferis paſſim circumdata votis,
Amplius hoc titulis omnibus eſſe ſolet.

Viro Experientiſſimo (87)

D. D. BÖHMIO,

Cum Medicinæ Doctor publicè renunciaretur.

EXorere Arctois, BÖHMI, nove Phoſphore terris,
Atq; ſalutiferâ pharmaca ſparge manu:
Totus Apollo patet, tibi tota Minerva miniſtrat,
Et medici faciles in tua vota Dii,
Unda favet, telluſque favet, per Falſtrica culta
Germina mille, tibi quæ famulentur, erunt.
Naſcitur una hodie circum tua tempora laurus,
Centum alias Mortæ vis hebetata dabit.

In Effigiem Illuſtriſſ: (88)

Dn. Dn. VINCENTII JOACHIMI von HAHNE.

REddidit Æneæ redivivum hic ſculptor Achatem,
Reddidit & Cyneam, maxime Pyrrhe, tibi:
Unum nos cruciat, quod reddere neſciat illam,
Quâ Domino addictus vicit utrumque, fidem.

(89)

Dn. M. GEORGIO HANNÆO

Cùm publicè Med: Doctor renunciaretur. 1684.

H*Annæ*, Aonidum juſtiſſima cura Sororum
Et Patrio duplici nomine clare ſolo:
Sive Othenigenam formaſq;, poliſq; Minervam,
Seu Medicâ infeſtam corrigis arte luem:
Scande diu meritam, Phœbo invitante, cathe-
Et fruere ingenii dotibus uſque diu (dram,
Conjugis ut Lacheſis diſſolverit, altera ſcena
Panditur, ante Uxor fœmina, nuncq; Dea eſt.

---

(90)

Ad D. D. HENRICUM BONSACH

ex Indis reducem.

IGnea mens nullo definit limite curſum,
Herculea eſt illi nulla columna ſatis:
Ulterius pergit, Gangem ſuper exit, & Indum
Inque notum, & zephyrum plenius ire parat.
Exemplo id monſtras dexter *Bonſache* recenti
Nuper ab Auroræ, qui catus orbe redis, (bos,
Poſtque tot edomitos peregrino in climate mor-
Jam Patriæ nitidum reddere lumen amas.
Macte tuo reditu! qui clarum nomen ab Euro
Portâſti, in Borea clarior eſſe meres.

In Imaginem Auguſti Regis (91)

CHRISTIANI QUINTI.

Hæc eſt Auguſti facies, quæ regna ſerenat
Arctica, & invicto robore ſceptra gerit:
Non alius magni magis æmulus Herculis, hinc &
Non alii Regum gloria major erit.

Cancellarius (92)

CHILEMANNUS,

Ut Diſcordiæ ſator mandatur carceri.

Viderat Auguſtus defixum in margine regni
Et nodum, & *cunei* * deterioris onus:
Atque hic nodus, ait, fuerat ſolvendus amicè,
Sed Cunei impulſu Gordius ecce! manet.
Solvere cûi lorum placidè, cûi tollere nexus
Officium eſt, nodos arctius ille ligat:
Findit amicitias qui flectere debuit iras,
Et nodum in nodis nectere dulce putat.
Quid reliquum, gladio niſi pertentare latebras
Nodorum? ut cunei machina nexa ruat.
Intuitu gladii cuneus mox perdidit ictum,
Nodus abeſt, ſtupeant ſecula, ſanguis abeſt.

* Kile.

De Viſmaria debellata à (93)

CHRISTIANO QUINTO.

1675.

Vis *maris* Auguſti Sceptris hôc paruit annô,
Ut quoque *vis terra* pareat, annus adeſt.

(94)

In Effigiem Generoſiſſimæ Heroinæ
Dn. BRIGITTÆ ROSENKRANTZIÆ, Perilluſtris & generoſiſſimi
Dn. CHRISTIANI SCHELII &c. uxoris deſideratiſſimæ.

Quæ Jerichuntinis Rosa quondam immarcuit hortis
Annum flore ſemel pingit & inde perit.
Aſt hæc, quæ Schelii Magni Platanona nitore
Veſtiit, ultra omnes ſuſpicienda nurus,
Stabit odoratâ ſemper radice perennis
Seu ver, ſive æſtas, ſive recurrit hyems;
Stabit & ut merita eſt: ſanctè rediviva novellas
Afferet in ſerâ poſteritate Rosas.

---

(95) Ad Dominum
JOACHIMUM JURGENS.
Invenitur in fine diſputationis ejuſdem inauguralis de Alimentorum curſu Præſide Ol. BORRICHIO. 1676.

Regia, quam reſeras eſcæ, via, Regia famæ
Illa tuæ, & laudi, crede, futura via eſt.

(96)

NICOLAUM HEITMULLERUM.

invenitur in fine diſputationis ejuſdem de HÆMORRHAGIA, pro licentia conſequenda habita ſub Præſidio BORRICHII.

HEITHMULLERE ſacri ſoboles germana Melampi
Et nova Phillyrio palma future choro
Incipe Apollineo lucere ſalutifer orbi
Quæque diu abſcondis, pectoris ima doce.
Prima tibi ut video nata eſt in ſanguine laurus,
Quem nimis errantem fræna ſubire jubes.
Perge pari genio reliquos ſuſpendere morbos,
Poſtque hac multiplici nomine victor eris.

Præſtantiſſimis
Laureæ primæ PhiloſophicæCandidatis
officioſè Salvere.

Dum *Numa pacificus* Legum decreta propa-
Et claudit Jani bellica templa ſui, (gat,
Quid genio erecto, quid Apolline dignius un-
Quàm ſacraPhœbéo fana aperire choro?(quam
Vertitur huc calamus, duce *magno Ahlefeldio*, honorum
Promittens facilem per ſtudia aucta viam.

Laurus ad innocuas Phœbi vigil excubat ædes,
Et, licet in medio frigore, tota viret;
Ut vireant Patriæ, Majo redeunte, cathedræ,
Ut decorent meritas verna brabea comas.
Audete Haſniacæ florentia pignora Cirrhæ,
Queis ſuper Ambroſiam caſta Minerva ſapit,
Audete in Campum niveâ deſcendere veſte,
Et labor ingenuus prodeat uſque comes:
Nulla mora, ad veſtras pendebit adorea frontes,
Venturæque index nobilitatis erit.
Sed niſi Sirenum voces, niſi lenta Vacuna
Sordeat, & Bacchi decipientis amor,
Incaſſum hæc precibus tentatur janua, tantùm
Illa patet notis ſedulitate procis;
Quales opperiôr plures, qui ſcita Stagiræ
Volvere, Democriti qui rediviva ſtudent;
Queis vacat Hamelios, Colbertinoſque receſſus,
Et nova per varios conglomerata ſequi,
Aut Grandes, aut Boyléos; aut quicquid amatur
Inter ephemeridas, culte Britanne, tuas.
His nutrite hyemem ſtudiis, ſuperaddite dulces
Helladis, & Solymæ, Romulidûmque Deas,
Et dabitur celſi ſperare cacumina Pindi,
Paullatimque novis greſſibus ire ſuper: (eſt,
Per graduum, in Muſis, veſtigia ſcandere tutum
Qui volat, Icario non procul igne volat.

Calendis Januarii
Anni M D C L X X X V.

In Exuſtum (98)

THOMÆ BARTHOLINI
Prædium HAGESTED.
1670.

Siccine anhelantes HAGESTED ſubſidit in ignes
Illa domus Charitum, Pieridum illa domus?
Siccine divinis radiantia pulpita ſcriptis
Eſca jacent ventis eſca novella rogo?
Mulciber informis! fere Mulciber! anne pudor,
Bis Trojam & pluteos bis temeraſſe Phari?
Qua ſtetit Æneis, cinis eſt, qua fulſit Homerus
Qua ſacer Hippocrates, ſæva favilla rubet:
Celſe decus Latii, cultiſſime Celſe Medentum
Hæc nimium ad Superos celſa rudiſq; via eſt.

* * * * *
* * * *

De Patrono Academiæ. (99)

Naſcitur extremis, quâ panditur India, ſylvis
Celſa caput, generoſa comas, ſolidiſſima truncum
Arbor, inaſſueto ſpargens umbracula more,
[Antilli Paretuva vocant] non illa ſtupendis
Aſtyagem exterrens foliis, ſed brachia flexu
Mirifico in terram curvans, radice novellâ
Pullulat, & rurſum Soles experta regreſſu
Tellurem repetens iterumque iterumq; reſurgiit
Tuta hominum ſtatio ramis ſub, tuta ferarum,
Plurimus huc ſeſe Brachman, ſi quando tonitru
Infremit aut rapido deſcendit Jupiter imbre,

Extra

Extra ictum recipit; nos nil te poſcimus inde:
Umbra favens patrio Gryphi ſub fronde Lycéo eſt.

(100) Parodia Carminis,

Quo HERM. CONRINGIUS ſuum de Hermetica Medicina librum claudit.

reperitur in ſcripto Borrichii de Hermetica Medicina pag. 440.
Anno 1674.

Talis in Iſiacis quondam clariſſimus oris
Et triplici magnus laude Taautus erat;
Talis & Helvetica natus Paracelſus eremo
Cortice ſub rigido clauſum adamanta dedit.
Aſtra Sophûm: placuere ideo: prope Numina viſa:
Sectaturque ſuos turba perita Duces.
Diſcite inexpertis cauti diffidere Momis.
Sub titulo fellis mella ſubinde latent.

(101)

In Auditorio Collegii Borrichiani reſervatur Chriſti Crucifixi Effigies ex Argento facta & capſæ incluſa, cujus Janua hanc præbet inſcriptionem à Borrichio poſitam 1690.

Condis me, pateris pro me, ſcelus omne remit-
Protegis; his meritis quis ſatis aptus amor? (tis,

(102)

In ſtatuam (102)
Auguſtiſſimo Regi
CHRISTIANO QUINTO
Hafniæ in foro Regio erectam.

Induat ex humili DOMINUS licet ora Metallo,
Aureus in populi pectore ſemper erit.

In Effigiem (103)
ANDREÆ VELLEJI Hiſtoriographi
Dan. Regis, Eccleſiæ Cathedral. Ripenſis Decan. Canon. & Sen.
anno ætatis 74. Chriſti
1616. Ripis defuncti,
a pronepote I. L.
Anno 1690. renovatam.

His oculis, hoc ore, ſuo venerabilis ævo
Vellejus, patrii lux rediviva ſui.
Priſcorum hiſtorias, & ſemiſepulta Trionum
Geſta iterum ſeclis conſpicienda dedit.

---

(104)
Florentiſſimo civi, Amico dilectiſſimo,
DN. FRIDERICO ROSTGAARD
Cum *delitias Poëtarum Danorum* publicaret.

Ergone quæ ſparſis volitârunt carmina membris
Neſcia fortunæ (ſors ita dura) ſuæ,

ROST-

ROSTGAARDE, Hafniaci decus, & nova gloria
Colligis, & fato nobiliore beas? (Pindi,
Macte inſperato, quo nil generoſius, auſu!
Quo Patriæ in laudes ſanctiùs ire nequis.
Hæc pietas, hæc priſca fides, hæc Dia voluptas,
Detrahere inſtanti ſemicremata rogo:
Vidiſti Hippolitos variis in curribus actos
In mortem celeres præcipitare rotas;
Vidiſti nullum, quæ noſtri incuria ſecli eſt,
Siſtere cornipedes, & revocare gradus;
Unum te opponis: ne tantum injuria poſſit
Temporum, & hæc Patriæ lumina obire vetas,
Hoc meritum, ROSTGAARDE, tuum eſt, ut Patria reddat
Et ſine nube dies, & ſine morte decus.

OLAUS BORRICHIUS.

Die 30. Julii. 1690.

FINIS.

ADDENDA AD CARMINA VITI BERINGII.

Viro Conſultiſſimo & Doctiſſimo (116)
Dn. JOHANNI MULLERO,
Sereniſſimi Holſatiæ Principis Conſiliario graviſſimo, apud Hafnienſes Profeſſori Publico, cum Roſtochii J. U. Doctor crearetur.
1650.

Plaudite quiſquis ades. Pandunt ſua templa Camœnæ,
Et reſonant lætis feſta theatra ſonis,
Mulleroque diu meriti ſcribuntur honores,
Et capit Aonius præmia digna labor
Felix jo labor, excubiæque inamabilis oti,
Curaque præclaræ laudis acerba comes.
Hac mercede places. Juvat impalleſcere chartis
Hac dote, & ſacras demeruiſſe Deas,
Quiſquis es; & pigram plebem, ſordeſq; peroſus
Munera fortunæ nobilioris amas,
Aſpice Fatorum domitrices, aſpice Muſas,
Hinc ſolidum ſperes, non aliunde, decus;
Hæ tibi laurigeras, Phœbëia dona, coronas,
Præmiaque ignavis non adeunda dabunt;
Illa per, & plauſus, & dulcia murmura Famæ,
Longævæ ſtudium poſteritatis emes:
Jactet terrarum dominatrix Juno tiaras,
Tu nullâ inferior, par mihi Pallas eris.

raptim ſcripſit
Vitus Berin[illegible]

(117)

Perilluſtri & Generoſiſſimo Romani Imperii Comiti

HENRICO DITLOVIO HOLKIO,

Nova tranſlatione Suetonium reddenti, peregrina linguâ, ac ne ſuâ quidem.

Prodiit hæc verſio Germanica Hafniæ 1664. in 8.

Dicitur aſpecti Pallas Mavortis ad haſtam
Paviſſe, & ſubitam corripuiſſe fugam:
Fors olim fuerit; nunc verè eſt fabula, poſtquam
Holkius unanimi jungit utrumque fide,
Qui lituos ſemper, qui bellum, ac ſæva profeſſus
Claſſica, & ardentes, effera ſigna, tubas,
Cum Mavorte tamen faciles ad plectra Camœnas
Colligit, & doctæ Palladis omne decus.
Hoc ſaltim dubium eſt, in amico fœdere Divûm
Uter prævaleat; hæc ſit, an ille prior.

Vitus Bering.

INDEX TRIPLEX

Eorum, de quibus, vel ad quos Carmina, quæ hoc Secundo Tomo comprehenduntur, ſunt ſcripta.

Numeris non pagina, ſed carmen indicatur.

INDEX I.

In carmina BERINGII.

Adeler (*Conradi*) Effigies. 75.
Arensdorfio Conjugem lugenti. 31.

Barnekovii (*Chriſtiani*) Effigies. 29.
Bartholino (*Alberto*) de Solio Regali Frider. III. 76.
Bartholino (*Bartholo*) Chriſtiano IV. parentanti. (99.
- - - de Penula ſcribenti. 101.
Bartholini (*Caſpari*) Effigies. 35.
Bartholino (*Thomæ*) & Henrico Fiurenio. 3.
Eidem Paternæ laudis vindici. 4
- - - Paternæ gloriæ vindici. 5.
- - - De luce Animalium. 6.
- - - Centuria I. & II. Hiſtoriar. Anatom. 15.
- - - Hiſtoria Vaſorum Lacteorum. 16.
- - - De Nivibus. 20.
- - - Centuria V. & VI. Hiſtor. 21.
- - - In Ciſta Medica Hafnienſi. 23.
- - - De Hepatis deſperata cauſſa. 28.
- - - Diem feſtum agenti. 44.
- - - De nihilo ſcribenti. 45.
- - - Anatomiam edenti. 100.

Ejuſ-

Ejuſdem Natalis. 9.
- - - Nuptiæ. 10.
Ejuſdem Sponſæ. 11.
Below (*Tycho*) vel ejus defunctæ Conjugis proſopopœia ad ipſum. 96.
Bibliotheca Scavenii. 26.
Boeclero (*Johann. Henrico*) in Cornel. Nepote. 7.
Borrichio (*Olao*) ab exteris redeunti. 89.
Brahe (*Georgii*) Effigies. 52.
Brahe (*Sophiæ*) Memoriæ. Anno 1649. Num. 83.
Brahe (*Sophiæ*) Cineri. Anno 1643. Num. 106.
Brochmanno (*Caſparo*) cùm Epiſcopus crearetur. 115.
de Budowa (*Wenceſlaus Theodorus* Baro) 95.
Caroli I. Regis Angliæ indigno funeri Anno 1648. Num. 90.
Caroli II. Regis Angliæ Effigies. 70.
Charlottæ Amaliæ Reginæ Daniæ Effigies. 56.
Chriſtianus V. electus Daniæ princeps. 114.
- - - Ejuſdem Effigies. 46.
- - - Eidem Regi Daniæ. 38. 39.
- - - - - - - Holſatiam adeunti. 92.
Chriſtiani Alberti Princ. Schleſw. & Holſat. Effigies. 66.
Dreiling (*Melchior*) 108.
Ἕδρα Ἀρετῆς ad Brochmannum. 115.
Elers (*Eggerti*) Effigies. 59.
Finckia (*Margareta*) 25.
Fiurenio (*Henrico*) & Thomæ Bartholino de ſummis in medicina Honoribus. 3.
Foſſio (*Matthia*) beato Suaningio parentanti. 104.
Friderico III. Regi Daniæ. 36.
- - -

- - - Ejuſdem Effigies. 14. & 88.
- - - Ejuſdem Regale ſolium. 76.
Fridericæ Amaliæ Natalitiæ Choreæ. 112.
Gabel (*Chriſtophori*) Effigies. 47.
Georgii Principis Effigies. 57.
Griffenfeldio uxorem lugenti. 40.
Gyldenlöwe (*Uldarici Friderici*) Effigies. 58.
Gyldenſtiern (*Judithæ*) Manibus. 61.
- - - in Ejuſdem obitum Leſſus. 62.
Hafniæ Typographia à Reſenio delineata. 53.
Högh (*Eliſabethæ*) memoriæ. 41.
de Holck (*Henricus Ditlovius* Comes) 117.
Holk (*Hilarii*) Effigies. 73. [pag. 596.
Hwitfeld (*Arnoldi*) Effigies. 49.
Hwitfeld (*Ollegaardæ*) in obitum. 82.
Johannis Georgii III. Electoris Saxoniæ Effi-
Juliæ (*Margaretæ*) funus. 84. [gies. 67.
Julii (*Ovidii*) Effigies. 63.
Julii (*Petri*) Effigies. 86.
Kaas (*Chriſtinæ*) Proſopopœia ad maritum Tychonem Below. 96.
Kingo (*Thomas*) 54.
Körbitz (*Chriſtophori*) Effigies. 72
Krackewitz (*Joachimus*) 105.
Kragii (*Erici*) Effigies. 60.
Kragius (*Nicolaus*) 12.
Longobardorum Exitus. 110.
Ludovici XIV. Regis Galliæ Effigies. 69.
Magdalenæ Sibyllæ Electoris Saxoniæ Conjugis
van Manderen (*Carolus*) 24. [Effigies. 68.
Muller (*Henrici*) Effigies. 34.
Muller (*Johannes*) 116. pag. 595
Natalitiæ Choreæ Fridericæ Amaliæ. 112.
Nicolai (*Chriſtiani*) Nuptiis. 80.
Paulli (*Simon*) 87.

Pfeiffius (*Daniel*) 22.
Pontoppidanus (*Ericus Ericius*) 32.
Profeſſores Hafnienſes. 27.
Ramel (*Henrici*) Exequiis. 13.
Ranzovii (*Chriſtierni* Comitis) Effigies. 65.
Reetz (*Petri*) Effigies. 71.
Reſenius (*Petrus*) 37. 53.
- - - Ejuſdem Epitaphium 64.
Roſenkrantz (*Georgius*) 33. 91. 113.
Roſenkrantzii (*Holigeri*) Obitus. 1.
Roſenkrantzii (*Olai* Baronis) Effigies. 74.
Ruffe (*Henrici*) Effigies. 77. & 78.
Samſoæ Inſulæ deſcriptio 42.
Saxonis Grammatici in laudem. 51.
Scavenius (*Petrus*) 26.
Schack (*Johannes* Comes de) 102.
Schöleri (*Caſparis Chriſtophori*) Effigies. 43.
Scheſted (*Chriſtianus Thomaus*) 17.
- - - Ejuſdem Effigies 18.
Scheſted (*Hannibalis*) Effigies. 93. Nuptiæ. 103
Sophiæ Amaliæ Reginæ Daniæ Effigies. 55.
Stephanius (*Stephanus*] 50.
Suaningius (*Johannes*) Præpoſitus in Inſula Samo. 8.
Suaningius (*Johannes*) Archiepiſcopus. 97. [98. 104
Thyſius (*Antonius*) 94.
Tormius [*Ericus Olai*] 30.
Tott (*Birgitta*) Effigies. 19.
Tott (*Otto*) 81. 107. Ejuſd. Effigies. 111.
Tott (*Tagonis*) Effigies. 79. Memoriæ. 85.
Wind (*Holigeri*) Effigies. 48.
Windingius (*Eraſmus*) 27.
Winſtrup (*Petrus*) 109.
van Vliet (*Catharina*) 94.
Wormius (*Olaus*) 2.

INDEX II.

INDEX II.

In Carmina

HARDERI.

Prior Numerus librum Epigrammatum indicat.

Abrahamus filium immolaturus. I. 14.
Abſalonis & Samſonis comparatio. I. 45.
Abſalon crine ſuperbiens. I. 46.
- - - pendens. I. 47.
Abſtinentia. III. 85.
Academia Hafnienſis armata. II. 10.
Acerra. III. 50.
Achitophel & Judas Iſchariotes. I. 44.
Achitophel pendens. I. 48.
Adami lapſus. I. 3.
Ænigma. III. 145.
Ætas Parentum pejor Avis. III. 144.
Agar in eremo. I. 13.
Ahlefeld (*Fridericus* Comes ab) III. 1.
Albani Ducis Epitaphium. III. 97.
Aleatorius calculus. II. 81.
Alexander & Philippus. III. 112.
Alexandri Magni Mors. II. 105.
- - - Ejuſdem Epitaphium. III. 95.
Aliquid ex nihilo. III. 45.
Alſtedius per anagramma. III. 73.
Amantium lacrymæ. III. 42.
Amen. III. 114.
Amica Poëtæ. II. 134. 135.
Amicitia. III. 120.
Amicitia inter pauciores firmior. II. 109
Amici Etymon. III. 7.
Amicus per anagramma. II. 139.
Amicus ex divitiis inſolens. III. 52.

Amicus amore ardens. III. 22.
Amicus ad ſacra Romana tranſiens. III. 28.
Amicus inter exteros degens. II. 27.
Amor & Fides. I. 65. II. 92.
Amor & Timor. I. 91.
Amoris Remedium. II. 33.
Anglicana Lingua. III. 93.
Animæ piæ ſolatium. I. 116.
- - - deſiderium. I. 119.
- - - refugium. I. 118.
Anna Margareta à Götzen. II. 26.
Anna ſterilis. I. 39.
Anolbi privilegium. III. 74.
Apellis Epitaphium. III. 94.
Arca Noæ. I. 6. 7.
Archimedes. III. 90.
Ariſtippus aurum abjiciens. II. 30.
Aſini maxillâ Samſon Philiſtæos ſternit. II. 73.
Aſſyriorum Holoferne occiſo fuga. I. 60.
Attalus. III. 100.
Avari domus. II. 88.
- - - Epitaphium. III. 27.
Avarus. II. 60. 75. 86. III. 116.
Avarus criticus. II. 122. 137.
- - - Podagricus. III. 154.
- - - & prodigus. II. 83. III. 62.
Aulus. III. 43.
Aurum. III. 8. abjicit Ariſtippus. II. 30.
Babylonis Turris. I. 8.
Baptiſtæ (Johannis) Officium. I. 68.
Barbata Mulier. III. 63.
Bartholinus (*Thomas*) III. 149.
Bentzonius (*Aurelius*) III. 76.
Bibuli Epitaphium. II. 69.

Bibu-

Bibulus febricitans. III. 20.
Bonus & Sapiens. II. 17.
Boni videri quàm eſſe multi malunt. II. 70.
Borrichii Hiſtoria Poëtarum. III. 111.
Bos Jupiter. II. 20.
Brahæi (*Tychonis*) Epitaphium. III. 71.
Brandes (*Fridericus*) II. 21.
- - - Ejuſdem nuptiis. II. 22. 23. 24.
Brevitatis amator ſuperſtitioſus. II. 110.
Cæcilianus. III. 31.
Cæcilianus Grammaticus II. 39.
Cæſaris & Pompeji Epitaphium. III. 96.
Cainus deſperans. I. 5.
Calanus mendax. III. 113.
Calculo exſtinctus Euclio. III. 147.
Calculus aleatorius. II. 81.
Calendæ Majæ. II. 36.
Calendæ Maji, Junii Anni 76. Junii & Junii Anni 77. Suecis inauſpicatæ. III. 151.
Calvus. II. 74.
Camilla. III. 126.
Caneſcens homo. II. 91.
Cantores Spadones. II. 140.
Carmen fine ſuo placens. II. 147.
Carolus II. Magn. Britann. Rex. II. 15.
Catharinæ de Medicis Epithaphium. III. 98.
Chærilus. II. 118. III. 11.
Chemiæ ſtudioſa Mulier. II. 80.
Chiromantia. III. 47.
Chiromantes Otto. III. 59.
Chriſtianus V. Daniæ Rex. II. 13.
- - - Ordinis Danebrogici reſtaurator. II. 14.
CHRISTUS de nocte natus. I. 69.
Chriſtô natô ſtella nova viſa. I. 70.

Chriſti Vincula. I. 93.
Chriſtus Cruci affixus. I. 106. 107.
Chriſtus via & vita. I. 108.
in Ejuſdem in Cruce pendentis imaginem. I. 109.
Chriſto moriente petræ fiſſæ. I. 111.
Chriſti Sepulchrum. I. 113.
Chriſti Epitaphium. I. 112.
Clepſammium. II. 131.
Clerici Pontificii Conjugii oſores. II. 89. 90. 119.
Clœliæ fortitudo. II. 102.
Coclitis (*Horatii*) facinus. II. 103. 104.
Cœcilius Philautus. III. 67.
Cœlibis vitæ amator. II. 120.
Comparatio Abſalonis & Samſonis. I. 45.
Concionator malè vivens. III. 110.
Conjuges. II. 58.
Conjuges novi. III. 49.
Conſcientia totum Tribunal. II. 87.
Convivarum ordo. II. 53.
Cornelius per anagramma. III. 60.
Cornuta fœmina. III. 88.
Corvi Eliam paſcunt. I. 51.
Cotta. III. 41.
Cotta & Proclus Poëtæ. II. 35.
Creatio Mundi. 1. 2.
Crine ſuperbiens Abſalon. I. 46.
Cromvellus. II. 16.
Damianus Calvus. 3. 105.
Dania ἀνάγραμμα. 2. 12.
Debitum invitè ſolutum. 2. 97.
Deformis vult formoſa pingi. 2. 127.
Deſperans Caïnus. 1. 5.
Deſperans Judas. 1. 102. 103.
Dictator Julius Cæſar. 3. 64.
Didericus Schulte. 2. 25.

Dido

Dido. 2. 98.
Die Sonne/ Der Mond. 3. 143.
Dina filia Jacobi. I. 18, 19.
Dioniſius Corinth. 3. 56.
Diſcipulus ingratiſſimus. 2. 145.
Diſcipulus præmaturè Scholam deſerens & vitæ peſſimæ ſe conſecrans ſtigmate notatur. 2. 146.
Dives Epulo. I. 83.
Divitias ſimulans pauper 2. 72.
Dona Danaum. 2. 54.
Ebrietas. 3. 115.
Ebrietatis Apologia. 2. 125.
Ebrius ſecreti proditor. 2. 76.
Elephas Danicus 3. 78.
Elias à Corvis paſtus. 1. 51.
Eliſæi oſſa mortuum viviſicant: 1. 52.
Emma fucata. 3. 118.
Epigramma factu difficilius quàm totus liber. (2. 121.
Epigrammatici. 3. 51.
Epitaphium Goliathi. 1. 41. 42.
- - - Lothi. 1. 11.
- - - Ejuſdem uxoris. 1. 12.
- - - Cujuſdam extra patriam mortui. 3. 123.
- - - CHRISTI. 1. 112.
- - - mortis. 1. 113.
- - - bibuli. 2. 69.
- - - hominis. 2. 123.
Equeſtris Ordo Elephantinus. 3. 77.
Eſavus. 1. 15.
Evæ Mors. 1. 4.
Euctio calculo mortuus. 3. 147.
Europa. 3. 137.
Falces Meſſoriæ in Obſidione Hafnienſi uſurpatæ 2. 6. 7. 8.

Fama Fœminarum. 2. 124. 3. 57.
Febricitans bibulus. 3. 20.
Felix ex infelice. 3. 35.
Fides & Amor. 1. 65.
Fides Mercatorum. 2. 79.
Filia Jephtes ad Patrem. I. 32.
Filius prodigus. I. 89. ad ejuſdem Patrem. I. 90.
Finis reſpiciendus. I. 117.
Flora Meretrix, III. 48.
Fœdifragus. II. 130.
Fœmina cornuta. III. 88.
Fridericus III. Rex Danorum Hæreditarius. II. 1. 2. 3. 4.
Fuga Aſſyriorum cæſo Holoferne. I. 60.
Fur Harpalus. III. 32. 91.
Furor Poëtarum. III. 83.
Galla. III. 89.
Gallia hodierna. III. 124.
Gazæorum portas Samſon tollit. I. 34.
Germania. III. 139.
Γνῶθι σεαυτόν. II. 126.
Goliathi Epitaphium. I. 41. 42.
à Götzen (*Anna Margareta*) II. 26.
Grammaticus Cæcilianus. II. 39.
Grammaticus Philautus. III. 132.
Hafnia obſeſſa & liberata. pag. 307. & ſequ.
Hafnia munita. III. 4.
Hafnienſis Obſidio. II. 5. 9.
Hafnienſis Academia armata. II. 10.
Hagar in eremo. I. 13.
Hamanus gratia Regis ſuperbiens. I. 56. 57.
- - - Mardochæi loco ſuſpenſus. I. 58.
Hanna ſterilis. I. 39.
Harderi Imago. III. 17.

Ha-

Harderus de ſuis Epigrammatibus. III. 21.146. (153.
Harpalus fur. III. 32. 91.
Hermus & Phyllis novi conjuges. III. 49.
Herodes Johannem occidens. I. 81.
Hevæ Mors. I. 4.
Hieroſolyma prophetis infeſta. I. 87.
Hilarius (*Georgius*) II. 67.
Hippocrene. II. 116.
Hominis Epitaphium. II. 123.
Homo. II. 100.
Honoris ſcala. III. 10.
Hoſpes multi joci. II. 138.
Jacobus Patriarcha. I. 15.
- - - Deceptus. I. 16.
- - - Filii tunicam agnoſcens. I. 23.
- - - à filiis conſolatus. I. 24.
- - - Conſolatus. I. 25.
- - - audiens Joſephum vivere. I. 26.
Janus-Georgius-Chriſtophorus. III. 143.
Jephtes ad filiam obviam. I. 31.
Jeruſalem prophetas inſectatur. I. 87.
JESU Nomen. I. 72.
in Imaginem Chriſti in Cruce pendentis. I. 109.
Imperii Romani Status. III. 138.
Incendium Londinenſe. III. 92.
Infelix ex felice. III. 34.
Johannis Baptiſtæ Officium. I. 68.
Joſephus à fratribus malè habitus. I. 20.
- - - venditus. I. 21.
- - - ad adulterium ſolicitatus. I. 22.
Joſephus de Herodis inſidiis admonitus. I. 79.
Judas Iſchariotes & Achitophel. I. 44.
Judæ deſperatio. I. 102. 103.
Judex injuſtus. II. 78.

Judicher (*Paulus*) II. 42.
Judita Holofernem obtruncans. I. 59.
Julius Cæſar Dictator. III. 64.
Julius Mazarinus. III. 2.
Julius (*Nicolaus*) Archithalaſſus Danicus. III. 150. 152.
Jupiter Bos. II. 20.
Kingo (*Thomas*) III. 102. 103.
Kölichen (*Caſparus*) II. 28. 29.
Körbitz (*Joh. Chriſtoph.*) III. 79.
Labio diteſcens. III. 46.
Labor & preces. I. 66.
Lacrymæ amantium. III. 42.
Lactuca. III. 155.
Lalages Epitaphium. III. 128.
La Mode. II. 48.
Laocoontis Romani ſtatua. II. 19.
Lapidibus obruti. I. 63.
Lapſus Adami. I. 3.
Laudantibus dignè magna laus eſt. II. 66.
Laurea. II. 115.
Lazarus pauper. I. 84.
Lazarus à Chriſto reſuſcitatus. I. 92.
Legati Regii in itinere mortui Epitaphium. 3. 99.
Lente (*Theodorus*) II. 55. 56.
Lentulus Poëta. III. 23.
Lesbiæ Epitaphium. 3. 38.
Liberalis & avarus. 3. 117.
Liberorum necem intuens Sedechias. 1. 54.
Libidinoſi Senes Suſannam ad adulterium ſolicitantes. 1. 61.
Lindenow (*Chriſtophorus*) 3. 80.
Lingua Anglicana. 3. 93.
Londinenſe incendium. 3. 92.

Lothi

Lothi inceſtus. 1. 10.
- - - Epitaphium. 1. 11.
- - - Uxoris Epitaphium. 1. 12.
Lucilius Poëta. 3. 33.
Lucius Mercator. 3. 6.
Luſcinia. 2. 37.
Luſcus & Luſca in Conjugio. 2. 71.
Lux Veritatis. 1. 64.
Lycoris. 3. 134.
Machiavellus. 2. 117. 3. 39. 40.
Mæcenas. 3. 109.
Magi Orientis. 1. 77. 78.
Majæ Calendæ. 2. 36.
Malchus aure mulctatus. 1. 94.
Manaſſes reſtitutus. 1. 53.
Maria Deipara. 1. 73. 74. 75. 76.
Maria Magdalena ſub Cruce. 1. 110.
Martialis. 3. 5.
Maſenii Ars Argutiarum. 2. 57.
Matho Poëta-Maſtix. 3. 36.
Mauſolus. 2. 111.
Maxillâ aſininâ Samſon Philiſtæos ſternit. 2. 73.
Mazarinus (*Julius*) 3. 2.
Mendax. 2. 59.
Mercatoris cujuſdam Epitaphium. 3. 30.
Meſſoriæ falces in obſidione Hafnienſi uſurpatæ. 2. 6. 7. 8.
Meum & tuum. 3. 130.
Milites Chriſtum capientes. 1. 95.
Miſſa. 3. 107.
la Mode. 2. 48.
Modus, terminus Grammaticorum. 2. 143.
Mollerus (*Johannes*) 2. 31.
Momus. 2. 49.

Momi civilitas. 2. 34.
Monachi tonſi. 3. 106.
Monachus conjugii oſor. 2. 90.
Morenius. 3. 19.
Mori (*Thomæ*) Epitaphium. 3. 101.
Mors ultima linea. 2. 133.
Mortis Epitaphium. 1. 113.
Mortis ingenium. 3. 18.
Moſis Mater filium expoſitura. 1. 27.
Moſes mare rubrum transgreſſus. 1. 28.
Moſis Epitaphium. 1. 29.
Moth (*Rudolphus*) 2. 32.
Mulier barbata. 3. 63.
Mulieres Chriſtum uncturæ. 1. 114.
Mulierum fama. 3. 57.
Mundi creatio. 1. 2.
Mundum non eſſe æternum. 3. 61.
Nævolus Grammaticus ſcortator. 3. 108.
Narciſſi mors. 2. 38.
Naturalis Hiſtoria Plinii. 2. 114.
Navalis pugna in freto Codano. 2. 11.
Nepotes quis habens non tamen Avus eſt. 2. 107.
Nero. 3. 65.
- - - Ejuſdem mors. 3. 66.
Nicodemus myſteria regenerationis non capiens (1. 82.
Noæ nativitas. 2. 85.
Noæ arca. 1. 6. 7.
Nomen Jeſu. 1. 72.
Noſce teipſum. 2. 126.
Nutrix claudicans. 2. 51.
Obſidio Hafnienſis. 2. 5. 9. & pag. 305.
Occaſio. 2. 52. 3. 24.
Ora & labora. 1. 66.
Orator infinitus. 2. 96.

Or-

Ordo Equeſtris Elephantinus. 3. 77.
Ordo in conviviis. 2. 53.
Owenus. 3. 133.
Panegyricus Attali. 3. 131.
Parcus & Porcus. 2. 142.
Pariſii. 2. 112. (144.
Pater præmaturam ſobolem non agnoſcens. 2.
Patientia victrix. 3. 55.
Paulus & Petrus. 2. 99.
Paulus Romanus. 3. 135.
Pauper Poëta. 3. 129.
Pauper ſe divitem ſimulans. 2. 72.
Pecunia ab avaro fruſtra petita. 2. 40.
Pecunia rerum adminiſtra optima. 2. 94.
Peregrinator ſtultus. 2. 108.
Petræ fiſſæ moriente Chriſto. 1. 111.
Petrus ad focum. 1. 98.
- - - lacrymans. 1. 97. 99.
- - - reſipiſcens. 1. 100.
- - - in Ejuſdem nomen Anagramma. 1. 101.
Phariſæi ſabbathum propugnantes. 1. 85. 86.
Philoſophi ſpes in adverſis. 3. 104.
Phœbus. 3. 3.
Phyllis & Hermus novi conjuges. 3. 49.
Pietas. 1. 1.
Pilatus quid ſit veritas neſciens. 1. 104.
- - - manus lavans. 1. 105.
Plinii Hiſtoria naturalis. 2. 114.
Poëſeos utilitas. 3. 84.
Poëtarum furor. 3. 83.
in Poëtas inſulſos. 2. 61. ad 64. 95.
Polla Sponſa. 3. 58.
Πολύγραφος quidam. 3. 125.
Pompeji & Cæſaris Epitaphium. 3. 96.

Pontia fucata. 2. 34.
Ponticus. 3. 141.
Ponticus philautus. 3. 37.
Pontificii clerici oſores Conjugii. 2. 89. 90.
Pontilianus Poëta. 3. 72.
Præconium venale. 2. 82.
Preces & labores. 1. 66.
Priſcus Senex. 3. 25.
Privilegium Anolbi. 3. 74.
Proclus Poëta. 3. 119.
Proclus & Cotta Poëtæ. 2. 35.
Prodigus. 2. 136.
Prodigus & avarus. 2. 83. 3. 62.
Prodigus tandem egenus. 2. 113.
Pugna navalis in freto Codano. 2. 11.
Pythagoras. 3. 121. 122.
Quintus Judex. 3. 70.
Rachel moriens. 1. 17.
- - - plorans. 1. 80.
Rivales duo. 3. 9.
Roma nova. 2. 77.
Romanæ Eccleſiæ auctoritas. 3. 12.
Romanenſes Clerici cœlibis vitæ amatores. 2. (119. 120.
Romani Imperii ſtatus. 3. 138.
Roſenkrantzius. (*Janus*) 3. 81.
Roſillæ formæ & mores. 3. 13. 86.
- - - Anagramma. 3. 14.
- - - Imago. 3. 16.
Roſilla inexorabilis. 3. 15.
Rudolphus Moth. 2. 32.
Ruffus. 3. 127.
Ruſticus furax. 2. 106.
Sabbathum à Phariſæis propugnatum. 1. 85. 86.
Sacrificia varia variis diis oblata. 3. 1.

Salo-

Salomon litem fœminarum de infantulo dirimens. 1. 50.
- - - ad Uxores. 1. 49.
Samſon ſitiens. 1. 33.
- - - laqueos rumpens. 1. 35.
- - - tonſus. 1. 36.
- - - captus. 1. 37.
- - - Moriturus. 1. 38.
- - - portas Gazæorum portans, 1. 34.
Samſonis & Achitophelis comparatio. 1. 45.
Sapiens & bonus. 2. 17.
Sapientis votum. 2. 18.
Sapientiæ initium Timor Domini. 1. 1.
Saulus in Regem unctus. 1. 40.
- - - moriturus. 1. 43.
Saulus converſus. 1. 115.
Scævola (*Mutius*) 2. 101.
Scala Honoris. 3. 10.
Scheel (*Magnus*) 2. 43 ad 46.
Schölerus (*Caſparus*) 3. 82.
Scientiæ Genealogia. 2. 47.
Scriptor ineptus. 2. 141.
Secreti proditor Ebrius. 2. 76.
Sedechias necem liberorum intuens. 1. 54.
- - - Oculos amittens. 1. 55.
Siſſera. 1. 30.
Sodomitæ. 1. 9.
Solatium animæ piæ. 1. 116.
Die Sonne / der Mond. 3. 143.
Spadones Cantores. 2. 140.
Sponſa gravida. 2. 50.
Statua Laocoontis Romani. 2. 19.
Stella nato Chriſto exorta. 1. 70.
Sterilis Anna. 1. 39.

Stultus peregrinator. 2. 108.
Superbus. 2. 128.
Suſanna ad adulterium invitatur. 1. 61.
- - - Ejuſdem reſponſio. 1. 62.
Suecis inauſpicatæ Calendæ Maji & Junii Anni 1676. item Junii & Julii Anni 1677. 3. 151.
Tempora Ultima. 3. 68.
Thaïs. 2. 41.
Thomæ Mori Epitaphium. 3. 101.
Timor Domini. 1. 1.
Timor & Amor. 1. 91.
Troja. 3. 136.
Turcarum Imperator. 3. 140.
Turenni Mors. 3. 148.
Turris Babel. 1. 8.
Tychonis Brahæi Epitaphium. 3. 71.
Typographia. 2. 68.
Tyrannus. 2. 93.
Ultima tempora. 3. 68.
Unctio extrema Pontificiorum. 3. 44. 75.
Uxoris Lothi Epitaphium. 1. 12.
Venale præconium. 2. 82.
Veritatis lux. 1. 64.
Virtus. 3. 53.
Virtus antiqua. 3. 69.
Virtus Platonica. 3. 87.
Vita Humana. 2. 65.
Vulcanus in cornu. 3. 26.
Zacharias nato Johanne incipit fari. 1. 67.
Zachæus reſipiſcens. 1. 88.
Zelotypia. 2. 129.
Zoilus. 3. 54.

INDEX III.

In Carmina BORRICHII.

Academiæ Haſnienſis Patronus. 99.
Adeler (*Curtii*) Effigies. 75.
Ahlefeld (*Fridericus* Comes) 79.
Alaniæ (*Giörwelda*) Obitus. 18.
Amagria Vindicata. 66.
Amico ſtrenæ loco mittit carmen. 43.
Andreades (*Benedictus* & *Nicolaus*) fratres uno eodemque die moriuntur. 23.
Ἀποϛασία Chriſtiani Wilhelmi Adminiſtratoris Magdenburgici. 1.
Arctos Pullata. 67.
Arctos Reſpirans. 68.
Baccalaurei 27. Anno 1648. creati. 2.
Baccalaurei 24. Anno 1650. creati. 4.
Baccalaurei Anno 1685. creati. 97.
Bangiæ (*Chriſtina*) Obitus. 19.
Bangius (*Thomas*) 30.
Bartholinus (*Thomas*) 21. 54. 72. 82.
Ejuſdem prædium Exuſtum. 98.
- - - Obitus. 85.
Beringio (*Vito*) uxorem lugenti. 29.
Blaſius (*Gerhard. Leonhard.*) 37. & 38.
Böhmius Doctor creatus. 87.
Bonſach (*Henricus*) ex Indis redux. 90.
Borrichii (*Caudii*) Nuptiis. 17.
Borrichius de ſe ipſo. 56.
Brochmannus (*Caſparus*) 1. Ejuſdem Obitus. 16.
Bullichii (*Petri*) Obitus. 69.
Burrus (*Franciſcus Joſephus*) 45. 46. 47. 48. 56.

Chilemannus Cancellarius carceri mandatur. 92.
Chriſti Crucifixi Effigies. 101.
Chriſtiani Quinti Homagium. 26. Coronatio. 68.
- - - ſtatua. 102. Effigies. 91.
Chriſtiani Wilhelmi Adminiſtratoris Magdeburgici Ἀριστεία. 1.
Chriſtiani (*Gregorius*) Magiſter creatus. 8.
Claſſis onerariæ Belgicæ Incendium. 50.
Colbertus. 77.
Conringiani Carminis Parodia. 100.
Danebrogicus Ordo. 82. 83.
Equeſtris Ordo Danebrogicus. 82. 83.
Foſſii (*Chriſtiani*) Nuptiis. 13. & 41.
Fratres duo una eademque die mortui. 23.
Fridericus 3. Rex. 53.
- - - Ejuſdem natalis ſexageſimus. 60.
- - - Ejuſdem Natali offert mortarium ex marmore Porphyretico. 64.
- - - Ejuſdem Obitus. 67.
Friſii (*Nicolai*) Obitus. 31.
Gabelii Nomen per anagramma. 59.
Gerſtorffii (*Joachimi*) Obitus. 35.
Glacies prodigioſè rubens. 28.
Gregorius Chriſtiani Magiſter creatus. 8.
Griffenfeld (*Petrus* Comes) 78.
Gyldenlöwe (*Uldarici Chriſtiani*) Obitus. 34.
Hageſted exuſtum. 98.
von Hahne (*Vincentii Joachimi*) Effigies. 88.
- - - Ejuſdem Obitus. 80.
Hannæus (*Georgius*) Doctor creatus. 89.
Heitmullerus (*Nicolaus*) Doctor creatus. 96.
Hilarius (*Georgius*) 14.
Holkio (*Hilario*) uxorem lugenti. 70.
Homagium Chriſtani Quinti. 26.

van

van Horne (*Johannis*) Nuptiis. 42.
Hwitfeld (*Henrici*) Obitus 11. Effigies. 12.
Hwitfeld (*Ollegaarda*) Obitus. 24.
- - Ejuſdem Effigies. 27.
Jani Jacobi Nuptiis. 39.
Incendium claſſis Belgicæ. 50.
- - - prædii Bartholiniani. 98.
Jurgens (*Joachimus*) Doctor creatus. 95.
Kockius (*Hieronymus*) eodem die Doctor & Sponſus. 10
Kragii (*Erici*) Nuptiis. 9.
Kragii (*Ottonis*) Effigies. 32.
Laſſonius (*Fridericus*) baptizatus. 51.
Laſſonii (*Jani*) Nuptiis. 7.
van der Linden (*Henricus*) 36.
Magiſtri XX Anno 1649. creati. 15.
Muſeum Manfredi Septalii. 49.
- - - Wormianum. 3.
Noldii (*Chriſtiani*) Effigies. 74.
Ordo Equeſtris Danebrogicus. 82. 83.
Parodia Carminis Conringii. 100.
Patronus Academiæ Hafnienſis. 99.
Paulli (*Simoni*) 33. 73. 84.
- - - uxorem lugenti. 22.
- - - Ejuſdem Climactericus magnus. 44.
Paulli (*Simonis*) Nuptiis. 40.
Pfiſterus (*Chriſtophorus*) 86.
Reſenii (*Johannis*) Obitus. 25.
Reſenius (*Paulus*) 6.
Reſenius (*Petrus*) 71.
Rhodius (*Johannes*) 5.
Ripæ Clarorum Virorum Urbs fœcundiſſima. 65.
Roſenkrantziæ (*Brigitta*) Effigies. 94.

Roſen-

Roſenkrantz (*Georgius*) 61. 62.
Roſenkrantziæ (*Ida*) Effigies. 58.
Roſtgaard (*Fridericus*) 104.
Schöleri (*Caſpari Chriſtophori*) Obitus. 65.
Schöleri (*Chriſtiani Caſpari*) Epitaphium. 76.
Seheſted (*Chriſtiani Thomæ*) Obitus. 30.
Septalii (*Manfredi*) Muſéum. 49.
Statua Regis Chriſtiani Quinti. 102.
Strenæ loco miſſum carmen. 43.
Suaningius (*Johannes*) 52. Ejuſd. Effig. 55.
Wandalinus (*Johannes*) Epiſcopus creatur. 57.
Welleii (*Andreæ*) Effigies. 103.
Wernerus (*Adamus Fridericus*) 63.
Viſmaria ſuccumbens. 81. 93.
Wormii (*Olai*) Muſéum. 3. Obitus. 20.

FINIS.